ORDINATIONES VNIUERSI CLERI GALLICANI CIRCA REGULARES, CONDITAE PRIMUM...

Chiesa cattolica, François Hallier, Jean Gerbais

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
15 D
7
619.
13-19. f. 18.
Digitized by Google

~~XIX B 5~~

by Google

Digitized by Google

ORDINATIONES VNIVERSI CLERI GALLICANI CIRCA REGVLARES,

CONDITÆ PRIMVM
IN COMITIIS GENERALIBVS
ANN. M. DC. XXV. RENOVATÆ
& promulgatæ in Comitiis ann. 1645.

Cum Commentariis FRANCISCI HALLIER, Doctoris Theologi & Profeſſoris olim Regij apud Sorbonam, ac deinceps Epiſcopi Cabellicenſis.

Editæ in lucem juſſu Cleri Gallicani, opera Ioann. Gerbais, Doctoris ac Socij Sorbonici.

Ex Bibl.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Excudebat Antonius Vitré, Regis & Cleri Gallicani Typographus.

M. DC. LXV.
Cum priuilegio Regis.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS AC REVERENDISSIMIS

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ET VNIVERSO CLERO ECCLESIÆ GALLICANÆ.

QVOD ego vobis conſecro, illud jam inde ab origine ſacrum eſt, ANTISTITES ILLVSTRISSIMI, Hæ ſunt nempe Ordinationes quas ipſi olim data vobis à Deo poteſtate ſanxiſtis: quæ quidem dum in lucem prodeunt, alios non aduocant Patronos, quam quos ante parentes habuere. Vbi enim azylum ipſæ vel tutius, vel ſanctius inueniſſent, quam eo in ſinu, è quo, tanquam ex vberrimo ſanctitatis fonte prodierant? Cum autem azylum quærunt, ne reas credite, ANTISTITES ILLVSTRISSIMI, neſcit enim crimen ſanctitas, verùm à noxiis illæ hominibus timent; quos inter illi quidem formidandi

Digitized by Google

magis, qui aſſumptâ Religionis & ſanctitatis laruâ hoſtilem reapſe animum diſſimulant. Prolem chariſſimam haud ægrè ſuſcipietis, PATRES SANCTISSIMI; *ſed neque abijcietis omnino commentationes illas quæ illi adhærent fidelium inſtar ancillarum: Nam & hæ quoque nominis veſtri præſidium poſtulant; eóque ſperant faciliùs, quod & ipſæ à vobis jam tum adoptatæ viſæ ſunt, cùm ire eas in lucem decreto veſtro ſolemni mandauiſtis. Quî verò ingratæ forent illæ vobis, quarum author Ordini veſtro ampliſſimo tam gratus olim fuit & acceptus? Hallerium dico,* ANTISTITES ILLVSTRISSIMI, *acrem illum Hierarchici Ordinis vindicem & defenſorem; qui quidem cùm de Ordine veſtro, tùm de vniuerſa Eccleſia ſic bene meritus eſt, vt ad Eccleſiaſticæ dignitatis faſtigium euehi tandem meruerit. Scio equidem, gratiores accidiſſent illæ vobis, ſi vel ab Hallerio ipſo, vel ab alio aliquo dignitatis haud imparis viro delatæ fuiſſent. Sed neque omnino profanus ſum, qui jam à quinque annis Ordini veſtro ſanctiſſimo deuotus eſſe cæpi; neque omnino temerarius, qui non niſi juſſu veſtro ad id genus Officij ſum aggreſſus. Cum enim juſſiſtis relegere me Hallerij commentationes, juſſiſtis & obſequij mei rationem apud vos reddere: quorum quidem illud quanta potui dili-*

gentia præſtiti; hoc verò ecce qua debeo reuerentia exequor. Ordinationes itaque veſtras ſic tractaui vt rem ſanctam, ILLVSTRISSIMI ANTISTITES, atque vt ab Hallerio traditæ ſunt, ſic eas ad vos integras, atque intactas refero: ſunt autem illæ hujuſmodi, vt ſi per authoritatem veſtram in Galliis tandem obtineant, non alibi terrarum Sponſa Chriſti vel comptior fuerit, vel ſanctior. Quod vero ſpectat ad illuſtriſſimi Hallerij commentarios; quoniam eos ipſe anteuertente fato nec digeſſerat ſatis, nec plane forſan abſoluerat, legendi mihi fuerunt è ſparſis ejus, & promiſcuis fere chartulis; quod vt non paruo labore, ita ego ſumma, atque integerrima fide præſtiti. Nihil equidem adjeci de meo, ne auro plumbum viderer miſcuiſſe; pauciſſima detraxi, quæ vel ſæpius repetita, vel certe minus exquiſita videbantur. Vbique autem mirari licuit viri optimi candorem ſummum, ſummamque ingenuitatem; ita nihil fingit in argumentis quæ perſequitur, nihil diſſimulat. Vna res optanda mihi ſupereſt, ANTISTITES ILLVSTRISSIMI, ne opera mea, qualis qualis eſt, ingrata vobis ſit & injucunda. Quod ſi obtinuero, id certe dabitis, quod vel expetere voto erat immodicum. Quantum enim eſt, proh Deum immortalem! cœtui tam celebri, tam ſancto,

Digitized by Google

tamque illuſtri vel ſemel placuiſſe? Id ſane mihi erit tanti, vt bene multorum ea lege inuidiam ſubire non recuſem. (ſi tamen veniam ab aliquibus, & non magis laudem ab omnibus expectare illi debent, qui Ordini *ſe veſtro manciparunt) Quod ſi quid artis in me, ſi quid induſtriæ adhuc deſideretis, ſuſtinete tantiſper hominem litterarum non minùs quam nominis veſtri gloriæ auidum: erit forſan aliquando, cum & eo nomine fiam acceptior. Interea verò mea vos ſaltem tangat pietas; quæ certè in eminentiſſimum VESTRVM ORDINEM tanta eſt, quantâ nullius vnquam vel fuit, vel erit major: Ita juro, ita ſpondeo,*

Illuſtriſſimæ ac reuerendiſſimæ D. Veſtræ
adictiſſimus, IOAN. GERBAIS.

Digitized by Google

SVMMA ARTICVLORVM.

Art. 1 IVRIS eſt Epiſcoporum viſitare Eccleſias in ſua diœceſi, etiam eas quas exemptas vocant, & quod in eis minus conſentaneum videbitur emendare. pag. 1.

Art. 2. Ne quipiam, ſiue ſeculares, ſiue Regulares, ſanctiſſimum Sacramentum adorationi populorum exponere præſumant, citra mandatum Epiſcopi. pag. 4.

Art. 3. Fideles ad Miſſam Parochialem frequentandam compellantur ab Epiſcopis, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas: nihilque tam ſanctæ Legi contrarium Religioſi ſuggerant, vel prædicent. pag. 6.

Art. 4. Nullus Sacerdos admittatur ad rem ſacram faciendam, etiam apud Religioſos, niſi ſcripto probet factam ſibi poteſtatem ab Epiſcopo diœceſano, aut ſaltem ab ejus Vicario generali. pag. 113.

Art. 5. Quiſque fidelis, ſaltem in Paſchate, in propria Parochia peccata confiteatur, & Chriſti corpori communicet; Nulloſque Religioſi, etiam exempti, apud ſe ad hæc ſacra admittant, à Dominica Palmarum ad Dominicam octauæ Paſchatis. pag. 126.

Art. 6. Nullus Sacerdos ad Pœnitentiæ miniſterium accedat abſque licentia ſcripto data ab Epiſcopo diœceſano, vel à Generali ejus Vicario. Nec Religioſi, quocunque pretextu, confeſſiones excipere audeant, niſi ante examen ſubierint, & ab Epiſcopo, aut Vicario ejus Generali fuerint approbati. pag. 190.

Art. 7. Ne Religioſi præſumant vi indultorum aut priuilegiorum à crimine hæreſeos; & ab aliis ſimilibus vel Summo Pontifici, vel Epiſcopo reſeruatis abſoluere; quin ante indulta ejuſmodi agnouerit Epiſcopus. pag. 243.

Art. 8. Nullus Sacerdos admittatur ad confeſsiones audiendas, ad celebrandam Miſſam, aut ad conciones habendas; quin ante parocho approbationem Epiſcopi exhibuerit; à quo & conſenſum accipiet. Neminem præterea Religioſi Matrimonio jungent abſque parochi licentia. pag. 268.

Digitized by Google

Art. 9. *Ne Religioſi, vel Religioſæ de Baptiſmo quemquam ſuſcipiant.* pag. 272.

Art. 10. *Nulli Eccleſiaſtici, ſiue ſeculares, ſiue Regulares, indulgentias promulgare, ſodalitia ſtabilire, nouas imagines aut reliquias exponere ad venerationem, vt nec miracula noua populo ſignificare audeant abſque licentia Epiſcopi.* pag. 273.

Art. 11. *Defunctorum corpora in Parochiis condantur, niſi alibi ſit familiæ tumulus, vel aliter in teſtamento fideles ordinarint: quo in caſu parochi erit efferre corpora. Ne autem Religioſi quenquam inducant ad ſepulturam apud Eccleſias ſuas eligendam.* pag. 300.

Art. 12. *Prædicationis munus ad Epiſcopum pertinet. Hinc Regulares vetantur concionari publicè, vel in ſuis Eccleſiis, citra miſſionem Epiſcopi diæceſani: qui poterit quoque extraordinariis concionibus eorum in Eccleſiis habendis legere quem libuerit; immo & ordinariis, ſi forte ob locorum opportunitatem illic haberi ſoleant.* pag. 317.

Art. 13. *Puniantur Regulares, etiam ij qui ſe immunes iactant, quoties inter concionandum aliqua protulerint quæ aduerſentur Conciliis generalibus aut prouincialibus, Conſtitutionibus vel Statutis ſynodalibus, Epiſcoporum diæceſanorum monitionibus, aut cenſuris.* pag. 337.

Art. 14. *Ne Abbates, Priores, Capitula, & ſocietates Religioſæ, nomine primitiuorum Curatorum, ſeu Parochialium Rectorum, Parochialia vſquam munera exerceant, niſi ab Epiſcopo fuerint approbati.* pag. 346.

Art. 15. *Cauebunt Epiſcopi ne Ordines conferant, aut Pontificale aliquod Officium peragant extra propriam diæceſim, niſi annuente Epiſcopo diæceſano: quæcunque tandem priuilegia obtendantur.* pag. 358.

Art. 16. *Ne Religioſos quantumuis priuilegiatos certo addictos Monaſterio admittant Epiſcopi ad ordines; niſi præter Superiorum litteras quibus de vita conſtet, Litteras quoque dimiſſorias ab Epiſcopo perferant. ij vero qui ambulatorij ſunt magis, Epiſcopum Monaſterij in quo tunc forte commorantur, adeant; vel teſtimonium, quòd Ordines tunc temporis non celebret, ab ipſo poſtulent.* pag. 364.

Art. 17. *Religioſi Ordinati ſuſcepti Ordinis litteras teſtimonia-*

les accipient: ſine quibus & obedientia Superiorum, ne ad celebrandam Miſſam, prædicandum, aut confeſſiones audiendas admittantur. In his autem litteris & nomen proprium, & familiæ cognomen exprimantur. 372.

Art. 18. *Ne Regulares ordinati è domibus Religioſis temere ejiciantur, & ejecti Eccleſiæ opprobrium fiant; Regularium nullus ad Ordines promoueatur, quin ante domus ex qua erit, obſtringat ſe Epiſcopo ad eum retinendum, aut certe alendum, ſi qua de cauſa exiuerit. Quod ſi domus ipſa inopiâ laboret, his in caſibus conſulat Epiſcopum.* pag. 378.

Art. 19. *Religioſi quantumuis exempti teneantur mandata Epiſcoporum ad ſe directa publicare, ſeruare dies feſtos in diœceſi, Sanctorum localium Officium dicere, nec non ſupplicationibus publicis intereſſe.* pag. 385.

Art. 20. *Omnes Religioſi, & quicumque ſe exemptos jactant, Epiſcopum diœceſanum cum habitu Pontificali, vel Archiepiſcopum erecta cruce ſuas in Eccleſias venientem, reuerenter excipiant. Quibus in Eccleſiis poterunt Antiſtites, citra omnem declarationem ſcripto datam, in habitu Pontificali celebrare, concionari, & Epiſcopalia alia munera exercere.* pag. 391.

Art. 21. *Epiſcopo vrbem ſolenniter primùm ingrediente, Regulares omnes qui perpetuæ clauſuræ addicti non ſunt, ſupplicationibus hanc ob rem indictis aderunt eo ordine qui præſcribetur ab Epiſcopo: Quem ſuas Eccleſias deinceps luſtrantem veſtibus ſacris induti, præferentes crucem cum luſtrali aqua, & Euangeliorum libro, debita obſeruantia excipient, & ſupplicantium ritu in Chorum deducent benedictionem ab ipſo recepturi.* pag 403.

Art. 22. *Nullum beneficium curatum à juriſdictione Epiſcopi diœceſani plane liberum eſt, ſiue Ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, ſiue aliarum Congregationum juris eſſe dicatur; ſiue etiam nullius ſe diœceſis eſſe jactet. Quare ne audeant Congregationes iſtæ intra terminos curatorum ejuſmodi beneficiorum juriſdictionem ſibi contentioſam vindicare, munia purè Epiſcopalia exercere, vt nec matrimonia celebrare ſine licentia tum Epiſcopi, tum Parochorum qui contrahunt.* pag. 406.

Art. 23. *Parochi, obtentis prouiſionibus, Epiſcopis ſe ſiſtant ab ipſis inſtituendos.* pag. 417.

Digitized by Google

Art. 24. *Regulares exempti, qui nomine Curatorum primitiuorum Eccleſias aliquas poßident, Vicarios in eis perpetuos habeant, inſtituendos ab Epiſcopo, aßignata eis portione congrua.* pag. 424.

Art. 25. *Monaſteria ſanctæ Sedi ante ſubdita, ni ſe præfixo tempore à Synodo Tridentina & Comitiis Bleſenſibus in Congregationem bene caſtigatam redigant, diœceſani Epiſcopi juris fient.* pag. 428.

Art. 26. *Nouæ omnes Congregationes Epiſcopali juriſdictioni addicentur. Quod ſi Monaſterium juris Epiſcopalis, exemptæ Congregationi vniatur, Epiſcopo ſubditum nihil minus erit.* pag. 431.

Art. 27. *Ne Regulares ſcholas apertas habeant ſecularibus; aut quæſtores mittant per diœceſim, abſque licentia Epiſcopi diœceſani. Ne feminas etiam ingredi patiantur intra Clauſtra, citra priuilegium probatum Epiſcopo.* pag. 436.

Art. 28. *Nulla Monaſteria inſtituantur, citra conſenſum Epiſcopi ſcripto conſignatum. Vacante Sede nihil innouetur. Religioſi de nouo inſtituti, ne celebrent in profano loco, etiam cum altari portatili, niſi annuente Epiſcopo. Nuſquam verò calices conſecrare attentent.* pag. 446.

Art. 29. *Quibus ex priuilegio datum eſt ornamenta, corporalia* &c. *benedicere, id ne præſtent, niſi in propriis domibus, & in earum vſum. Oratoria autem, cæmeteria & Eccleſias reconciliare, ne quis tentet, citra permiſſum Epiſcopi ſcripto conſignatum. Abbates Regulares ne mitram & baculum ferant, niſi ex priuilegio ſpeciali, eoque recepto. Commendatarÿ vero crucem pectoralem ne geſtent, aut camalium, ſed rocheto ſint contenti.* pag. 454.

Art. 30. *Non eſt Religioſorum dare litteras teſtimoniales de vita, moribus, Religione aut natalibus vlli ſeculari; nec omnino iis qui non ſint ſui Ordinis. Hoc enim ad ſolos Epiſcopos, aut Curatos attinet.* pag. 465:

Art. 31. *Si Regulares, quantumuis exempti, extra Monaſteria commorantes, aut ſine obedientialibus, vt aiunt, litteris, iter facientes deliquerint; Ordinariorum juriſdictioni ſubjacebunt; vt & ÿ qui ſcandalo fuerint in Monialium Monaſteriis, aut eorundem clauſuram violauerint. Si verò aliis in caſibus extra clauſtra deliquerint, Superiores ab ipſis pœnas exigent: quod ſi neglexerint,*

Digitized by Google

Epiſcoporum erit ipſos omni modo compellere. Cauſas autem ciuiles agent Religioſi coram Officialibus Epiſcoporum. pag. 468.

Art. 32. *Epiſcopi Monialium domus & clauſtra ſingulis annis, & quoties neceſſitas exiget, luſtrabunt: dabuntque operam vt omnia illic tuta ſint, & quæ ad clauſuram ſpectant rectè ſint constructa:* pag. 494.

Art. 33. *Conſtitutiones Epiſcoporum, quibus in Monialium clauſtra ingreſſus, & ex eis egreſſus Monialibus interdicitur, ſeruentur accuratè. Cùm vero Monialis aliqua egredietur, præter licentiam Superiorum, accedat conſenſus tum Epiſcopi diœceſis è qua profectura eſt, tum illius cujus in diœceſim eſt profectura.* pag. eadem.

Art. 34. *Toto menſe ante monebitur Epiſcopus, quam vel Religionis candidatæ veſtis imponatur, vel ipſa ad votorum emiſſionem admittatur. Neutrum vero fiat niſi poſt examinatam diligenter candidatam, extra ſepta Monaſterii.* pag. 501.

Art. 35. *Regulares, quantumuis priuilegiati, non excipient Monialium confeſſiones, niſi ad id ſpecialiter ab Epiſcopis probati & commiſſi fuerint: quo munere ſi minus ritè fungantur, eos amoueri curabunt Epiſcopi.* pag. 503.

Art. 36. *Omnes Monialium famuli famulæve, ſi extra loca Regularia verſentur, ſuis Parochiis addicti ſunto. Famulæ autem ſeculares quæ intra Monaſteria degunt, vt & puellæ quæ illic inſtituuntur, clauſuram inuiolatam ſeruent.* pag. 507.

Art. 37. *Si forte dilapidentur Monialium bona à procuratoribus, Epiſcopus, aduocato ſecum Monialium præfecto, ipſorum rationes examinabit: Qui ſi non ſatis idonei videantur, alios in eorum locum ſuffici procurabit.* pag. 511.

Art. 38. *Electioni Superioris ſeu Præfectæ Monialium, quibus in locis electiones vigent, aderit ac praerit Epiſcopus, vel per ſe, vel per alium à ſe delegatum.* pag. 516.

FINIS.

Digitized by Google

Extraict du Priuilege du Roy.

LE Roy par ſes Lettres patentes a permis à Antoine Vitré ſon Imprimeur ordinaire, & du Clergé de ſon Royaume, d'imprimer, vendre & debiter tous les *Edicts, Declarations, Contracts, Arreſts, Remonſtrances, & generalement toutes les choſes qui luy ſeront baillées par les Aſſemblées generales, ou par les Agents generaux du Clergé de France*, & ce pour le temps & eſpace de dix ans. Auec deffenſes à tous autres de les imprimer, faire imprimer, contrefaire, ny d'en auoir d'autres que de l'impreſſion dudit Vitré, à peine de ſix mille liures d'amande, confiſcation des Exemplaires, deſpens, dommages & intereſts; comme il eſt porté plus au long par leſdites Lettres, données à Paris le 17. Feurier 1661. Signées, Par le Roy en ſon Conſeil, CHARLOT. Et ſeellées.

Digitized by Google

COMMENTARII IN ORDINATIONES VNIVERSI CLERI GALLICANI; CIRCA REGVLARES.

Ordinationum Cleri Gallicani

Articvlvs I.

CVm ſacratiſſimum altaris Sacramentum inter omnia Eccleſiæ pignora pretioſiſſimum habeatur, & inter depoſita luculentiſſimum, ipſius cura & inſpectio miniſtro digniori, Epiſcopo ſcilicet, reſeruatur: Ideoque quotieſcunque congruum judicabit in Monaſteriis, aliiſque ſuæ diœceſis locis, quæ ſe prætendunt ab ejus juriſdictione exempta, ipſum viſitabit: cui recognitioni omnes Religioſi, vel alij Eccleſiaſtici adeſſe tenebuntur; vt ſcilicet, omnium defectuum occurrentium rationem reddant. Infirmorum quoque oleum ſanctum, quod ordinariè in ipſorum Eccleſiis aſſeruatur, Reliquias, Imagines, Luſtrales fontes, Ornamenta, Sacraria,

Digitized by Google

Confeſſariorumque ſellas inſpiciet. Quod ſi res ſupra relatæ malè ſe habeant, dicti Religioſi quicquid ab Epiſcopo ipſis præſcriptum fuerit, & injunctum adimplere tenebuntur.

Commentarius ad Articulum primum.

ECCLESIAS debere viſitari ab Epiſcopis, Ius commune ſtatuit, can. *Si ex Laicis*, can. *Relata eſt*, can. *Decreuimus*, can. *Epiſcopum*, can. *Placuit*; 10. quæſt. 1. nec ab eo jure penitus eximuntur Eccleſiæ exemptæ ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 7. cap. 8. *De reformatione. Locorum*, inquit, *Ordinarij Eccleſias quaſcunque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apoſtolicâ ſingulis annis viſitare teneantur; & opportunis juris remediis prouidere, vt quæ reparatione indigent, reparentur, & curâ animarum, ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minimè defraudentur*, &c. Item cap. 8. ſeſſ. 22. *De Reformatione:* & cap. 9. ſeſſ. 24. quod confirmat Aquenſe Concilium Prouinciale anno 1585. habitum, probatum à Sixto V. titulo: *De iis, in quibus Epiſcopus ex ſacro Concilio Tridentino, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatus, debet & poteſt procedere.* §. *Epiſcopi*, §. *Idem ſeruetur*, §. *Quæcunque*, & §. *Si in eis*, conformiter Concilio Mediolanenſi 4. Prouinciali ſub ſancto Carolo, tit. *De ſacris Reliquiis*, &c. *& inſtructionis Fabricæ*, lib. 1. cap. 15. necnon Concilio Prouinciali 3. tit. *De iis quæ pertinent ad ornatum*, &c. Porro in viſitatione ſolemne eſt, vt à ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento incipiatur, vt conſtat ex Cæremoniali Romano, & Cæremoniali Epiſcoporum, necnon ex cap. 1. & 2. *De cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum:* minuſque videtur præjudicium inferri libertati Eccleſiarum exemptarum & Monaſteriorum ſi viſitet Epiſcopus quomodo in Eccleſiis Euchariſtiæ Sacramentum cuſtodiatur Parochianis adminiſtrandum, quàm ſi aut clauſura Monaſteriorum à Monialibus ſeruetur, quod præcipit Concilium Tridentinum; aut quomodo reliquiæ Sanctorum debitè & religioſè

Digitized by Google

in iiſdem Eccleſiis ſeruentur, quod præcipit Mediolanenſe 4. ſupra: aut reparatio Eccleſiarum procuretur, quod ſtatuit Tridentinum citatum. Certè Concilium Mediolanenſe primum tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum ſanctæ Euchariſtiæ*, ſtatuit, *vt Epiſcopus diligentiſſimè curet, vt in Cathedrali, Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibuſuis Eccleſiis*, [ergo etiam in Regularibus] *vbi ſacroſancta Euchariſtia cuſtodiri ſolet, vel debet, in majori altari collocetur, niſi neceſſaria vel graui de cauſa aliud ei videatur.* Innocentius autem III. in Concilio generali Lateranenſi cap. 20. refertur autem cap. 1. *De cuſtodia Euchariſtiæ. Statuimus*, inquit, *vt in cunctis Eccleſiis*, [nota vniuerſaliter in omnes Eccleſias Epiſcopi poteſtatem ab ipſo ampliati] *Chriſma & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia, clauibus adhibitis, conſeruentur, ne poſſit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si verò is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incautè reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur: Et ſi per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, grauiori ſubjaceat vltioni.* Atque hæc de cuſtodia Chriſmatis antiquo juri conformia ſunt, cap. 18. Concilij Arelatenſis ſub Carolo magno; Turonenſis ſub eodem, cap. 20. & Moguntini, cap. 27. quæ etiam confirmantur in Concilio Oxonienſi ſub Innocentio III. cap. 16. De cuſtodia verò Euchariſtiæ conſentanea ſunt tum prædicto Concilio generali Lateranenſi, cap. 20. & Oxonienſi, cap. 16. tum etiam Clementis Romani epiſt. 2. & Bituricenſis Concilij, cap. 2. apud Synodum Lemouicenſem, act. 2. citata verò epiſtola Clementis oſtendit ſupellectilium ſacrorum curam Epiſcopum pariter inter viſitandum habere debere, eique maximè eorum Ordinationem propriam eſſe. De Confeſſionalibus par eſt ratio, quorum formam Concilia Prouincialia & Diœceſana in Italia habita, & à ſummis Pontificibus probata, cùm præſcribant, indicium eſt, Epiſcopos inſpicere poſſe, & debere vtrum iſta ab iis decreta ſeruentur, ac proinde ab eorum inſpectione Eccleſias exemptas non eſſe immunes.

Eorum autem omnium ratio eſt, quia Monaſteria omnia exempta, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta, viſitationi

Digitized by Google

Epiſcoporum ſubduntur ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. *de Regularibus*: quam receperunt non ſolùm Gallicani Epiſcopi in variis Conciliis, & in generalibus Cleri Comitiis, quorum Ordinationes explicamus, verum receperunt Comitia regni totius in Statibus Aurelianenſibus, art. 11. Atqui in viſitatione ea maximè Epiſcopo ſubſunt, quæ ſpiritualia, quæ ſacra, quæ diuina, quæ ad populi Diœceſeos venerationem exponuntur, vſui ſeruiunt, vtilitati deſtinantur, cujuſmodi ſunt prædicta omnia. Igitur hæc ab Epiſcopo viſitari poſſe, & explorari, juris eſt. Quin immo, cùm Regularium mendicantium ordines ad ſalutem populi, ſub cura præſentium, & cum licentia Epiſcopi, procurandam inſtituti ſint, ea quibus ſalus populi procuratur, vel quæ ad illam inſtrumenta ſunt, ſubtrahi Epiſcoporum viſitationi æquum minimè viſum eſt; cùm & in Monaſteriis exemptis Parochias fundatas viſitari certi juris ſit ex dicendis. Nec mihi aliquando videre licuit Bullam vllam qua à poteſtate Epiſcoporum ipſorum Eccleſiæ expreſsè eximerentur. Verum ponamus, eſſe aliquod priuilegium, attamen poſt Concilium Tridentinum in Statibus regni pro lege, ea in parte receptum, priuilegium nullum prætendere aut allegare poſſunt. Regula verò certa eſt, aduerſus quam exceptio nulla admittenda. Viget enim commune aduerſus hæc pronuntiatum juris communis, juxta quod omnes Baſilicæ, & Oratoria omnia in Epiſcoporum ſunt poteſtate. Sed nec fructus vllus iſtius emancipationis aſſignari poteſt, propter quem aut priuilegia iſta petita à Regularibus, aut conceſſa à ſummis Pontificibus ex æquitate dici poſſint.

ARTICVLVS II.

PLVRIMI priuatâ auctoritate, cultu particulari, ſub prætextu indulgentiarum, Monialium, profeſſionum, ſupplicationum vel feſtorum quorumdam & ſolemnitatum ſui Ordinis, in ſuis

Digitized by Google

Eccleſiis ſanctiſſimum Sacramentum in omnium conſpectum exponere præſumunt; ſe etiam adſtringunt legatis, quæ hac de cauſa recipiunt: hoc verò tam auguſto Sacramento debitum honorem imminuit, quod ſibi ſeruat Eccleſia tanquam vltimum & ſecuriſſimum refugium in extraordinariis neceſſitatibus; Vt ergo talis licentia impediatur, prohibetur expreſsè ne ſanctiſſimum Sacramentum ſupra altare apertum exponatur; nec in proceſſionibus deferatur, niſi cùm Eccleſia officium ſancti Sacramenti celebrabit, vel iis diebus quibus officia pietatis extraordinaria publica de cauſa ab Epiſcopo probata indicentur. Nec poterunt deinceps Eccleſiaſtici Sæculares vel Regulares ſoluti ab Epiſcoporum poteſtate, vel ei adſtricti, contractu, aut quacumque conuentione ſeſe obſtringere ad exponendum palam ſanctiſſimum Sacramentum, nec ad vllam eo fine recipiendam fundationem, niſi ex ordine & conſenſu Epiſcopi Diœceſani.

Commentarius ad Articulum ſecundum.

PROBATVR Articulus ſecundus decreto Congregationis Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium ab eadem Congregatione miſſo ad Eminentiſſimum Cardinalem Grimaldum, tunc temporis Nuntium Apoſtolicum ad Regem Franciæ, ab eodemque ſubſcriptum die 3. Ian. ann. 1644. quod communicatum fuit pluribus Epiſcopis Gallicanis; in quo duo alia decreta ejuſdem Congregationis laudantur; vnum die 23. Nouembris, ann. 1630. Alterum die 12. Maij, ann. 1603. quibus declarationibus expreſsè ſtatuitur, ne in Eccleſiis Regularium etiam exemptorum, ſacroſancta Euchariſtia detecta populo proponatur, quouis præ-

Argumentum ad hominem: hoc eſt quod valet ſaltem aduerſus Regulares qui decreta huiuſmodi venerantur.

textu, abſque licentia Epiſcopi Diœceſeos; ad quem ſcilicet, vt ſupra ex Clemente I. epiſt. 2. docebamus, tanquam præcipuum auctorem & directorem atque Hierarchiæ Principem ſpectat ejus expoſitio; ſine quo nullam olim ſynaxim legitimam putabant Ignatius epiſt. ad Smyrnenſes; Concilia Arelatenſe 1. can.19. Laodicenum, can.57. Carthaginenſe 2. c. 9. & 3. c. 32. cujus veſtigia hæc exſtant, quod conſecrari prohibeatur, niſi in loco ab Epiſcopis conſecrato: epiſt. 2. Clementis. 2. Anacleti, cap. 1. 1ª Fœlicis IV. Concilij Laodiceni c. 57. alias 58. Cabilonenſis ſub Carolo cap. 49. Pariſienſis ſub Ludouico & Lothario, lib. 1. cap. 47. lib. 2. cap. 10. in fine, lib. 3. cap. 6. Moguntini ſub Arnulpho, cap. 9. Metenſis, cap. 5. teſtanturque Athanaſius Apologiâ 2. Synodus ad quercum contra Chryſoſtomum, cap. 13. apud Photium in bibliotheca. Baſilius lib. 2. de Baptiſmo, reſponſione ad quæſt. 8. Item quod nec eadem conſecraretur niſi in altari ab Epiſcopo conſecrato, ex ſtatutis Syluestri Papæ in Pontificali Damaſi. Fœlicis IV. epiſt. 1. citatâ, Concilij Pariſienſis lib 3. citato cap. 6. & cap. 9. Moguntini citato, necnon Agathenſis c. 14. & 43. & Epaonenſis, c. 26.

ARTICVLVS III.

CVM ob ouium neceſſitatem ad Paſtoris vocem audiendam; Paſtoriſque ad videndas & cognoſcendas oues ordinauerit Eccleſia, vt Fideles Miſſæ parochiali, vnâ ſaltem ex tribus Dominicis, adeſſent cum poteſtate Prælatis conceſsâ, vt per cenſuras Eccleſiaſticas ad id ipſos compellerent; ſtudioſè hæc conſtitutio obſeruari debet, tum vt quiſque quod propriæ debet Eccleſiæ, reddat; tum vt Chriſtiani ſymboli præconium, necnon feſtorum, jejuniorum, monitoriarum literarum, aliarumque rerum,

Digitized by Google

ad quarum notitiam quiſque tenetur, publicationem intelligat. Ideoque religioſis contrarium prædicare, aliamque doctrinam tradere, aut conſilia diſſentanea ſuggerere, vel aliis viis populos à parochia auocare, conciones ſcilicet, ſupplicationes, congregationes alioſque publicos conuentus celebrando iiſdem horis, quibus Miſſa parochialis celebrari ſolet, prohibetur.

Commentarius ad Articulum tertium.

§. I.

Veteri jure Miſſa parœcialis præcepta.

MISSAM parœcialem audiri juſſum vetera & noua jura declarant. Concilium Eliberitanum vetuſtiſſimum, puta anno Domini 305. quo Marcellus I. Eccleſiæ, Conſtantius & Galerius Imperij gubernacula tenebant, cap. 21. de Miſſa parochiali hoc decernit: ***Si quis in ciuitate poſitus per tres Dominicas Eccleſiam, ſeu ad Eccleſiam*** (vt habet alia lectio) ***non acceſſerit, pauco***, aliàs, ***paruo tempore abſtineat, vt correptus eſſe videatur.*** Hic enim de Miſſa ſolemni ſermo eſt, ad quam vnuſquiſque ſtatutis diebus accedere debebat: pœnitentiâ impoſitâ iis, qui legem minimè obſeruarent. Balſamon videtur innuere in can. 11. Sardicenſem ex Apoſtolica traditione ſcriptis non conſignata, hunc morem fluxiſſe, vt nonniſi Eccleſiam ciuitatis, ij qui ciuitatem incolerent; qui vero vicos, ij vicanas Eccleſias (quæ parœciæ ſtrictiori ſignificato dictæ ſunt, quibus Presbyteri rurenſes ſeu parœci præſidebant) ſingulis Dominicis pro Miſſa audienda frequentare tenerentur. Concilium Sardicenſe poſt Nicenum, tempore Iulij I. Pontificis c. 12. de Eccleſia parœciali quæ ruri haberetur, eamdem legem figit. Hoſius Epiſcopus dixit quia nihil eſt prætermittendum, hoc quoque definiatur, quidam Fratres & Coepiſcopi in ciuitatibus, in quibus Epiſcopi conſtituuntur, videntur valde

Digitized by Google

pauca, quæ ſibi ſunt propria, poſſidere; in aliis autem locis magnas poſſeſſiones, ex quibus etiam poſſunt opem ferre pauperibus; iis ita eſſe concedendum judico, vt ſi in ſuas poſſeſſiones venturi ſunt & fructus ſuos collecturi, tribus diebus Dominicis, id eſt tribus ſeptimanis, in ſuis poſſeſſionibus degant, & in Eccleſia quæ prope eſt, in qua Preſbyter populum congregat, ne congregationis expertes eſſe videantur, conueniant, & diuina Officia obeant; & ne frequentius in ciuitate in qua ſunt Epiſcopi, adſint; eo enim modo & res eorum propter ipſorum abſentiam nihil detrimenti patientur, & arrogantiæ ac ſuperbiæ crimen effugere videbuntur. Omnes Epiſcopi dixerunt, placet hæc quoque conſtitutio. Hæc eſt verſio Concilij Sardicenſis ex Græco caſtigatior; ex qua diſcimus hujus temporis ſolemnem morem fuiſſe, vt populus in Eccleſia parochiali à Preſbytero plebano congregaretur; & Epiſcopus in ſuis poſſeſſionibus nonniſi in eadem Eccleſia Miſſam & diuina Officia obiret. Alia expreſſior ordinatio eſt ejuſdem Concilij in 2. editione Latina, c. 14. *Memini autem*, inquit, *ſuperiori Concilio fratres noſtros conſtituiſſe, vt ſi quis Laicus in ea in qua commoratur ciuitate, tres Dominicos dies, id eſt per tres ſeptimanas non celebraſſet conuentum, communione priuaretur. Si ergo hæc circa Laicos conſtituta ſunt, multò magis Epiſcopum nec licet, nec decet, ſi nulla ſit tam grauis neceſſitas quæ detineat, vt amplius ſupraſcripto tempore abſens ſit ab Eccleſia ſua.* Conſentit alia pariter editio Latina, c. 14. Congruit etiam can. 80. Concilij Trullani. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel eorum qui in Clero enumerantur, vel Laicus nullam grauiorem habens neceſſitatem vel negotium difficilè, vt à ſua Eccleſia abſit diutiſſime, ſed in ciuitate agens tribus diebus Dominicis in tribus ſeptimanis, vnà non conveniat, ſi ſit quidem Clericus deponatur, ſi verò Laicus ſegregetur.* Eamdem legem, ſed in gratiam familiæ præſertim, laxiorem firmat Synodus Agathenſis ſub Symmacho Papa, regnante in Gallia Narbonenſi Alarico Gothorum Rege, c. 21. *Si quis etiam extra Parochias in quibus legitimus eſt ordinariuſque conuentus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis Feſtiuitatibus, vt ibi Miſſas teneat propter*

Prima licentia priuatorum oratoriorum in familiarum gratiam.

pter fatigationem familiæ juſta ordinatione permittimus. Paſcha verò, Natale Domini, Epiphania, Aſcenſionem Domini, Pentecoſten & Natalem ſancti Ioannis Baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in Feſtiuitatibus habentur, nonniſi in ciuitatibus, aut in Parochiis teneant. Clerici verò ſi qui in Feſtiuitatibus, quas ſuprà diximus, in Oratoriis, niſi jubente aut permittente Epiſcopo, Miſſas facere aut tenere voluerint, à communione pellantur.

§. 2.

Ad explicationem Conciliȷ Agathenſis, multa de Oratoriis.

LAXIOR, inquam, videtur iſte canon. Nam permittit Oratoria quædam priuata haberi, in quibus alicujus familiæ inquilini Miſſam nonnunquam diebus Dominicis & minoribus Feſtiuitatibus audire poſſint. quod ante hæc tempora non memini me legere. Non diffiteor tamen præcedentibus temporibus Oratoriorum, ſeu Martyriorum mentionem frequentem occurrere, in quibus forſan celebratæ etiam Miſſæ aliquando diebus feſtis, & ab accedentibus ad Martyrum ſepulchra auditæ. Nam v. g. apud Gregorium Nazianzenum epiſt. 196. Valentiniano, mentio fit Valentiniani & aliorum præcedentium Clericorum, qui Martyrum Oratorium incoluerint, & Martyribus ſeſe conſecrarint: & epiſt. ſequenti 197. Ad eos qui in Republica verſantur, mentio cujuſdam Theotecni Diaconi Martyriorum inquilini, qui idem Sacerdos vocatur, eo, credo, ſenſu, quòd Diaconus in tertio Sacerdotio dici poſſet cum Optato Mileuitano. Memorat quoque Ammianus Marcellinus lib. 22. hiſtoriæ, tempore Iuliani Imperatoris cadauer ſancti Martyris ſubito igne crematum, & in lacum projectum, ne collectis ejus Reliquiis ſacra ei ædes extrueretur. Similiter Sozomenus lib. 5. cap. 19. refert eundem Iulianum Præſidi Cariæ ſcripſiſſe, vt Oratoria, quæ in Martyrum honorem ædificarentur, ſolo æquari curaret. Narrat Chryſoſtomus ſerm. 67. tom. 5. Oratorium in honorem ſancti Droſidis Martyris ædificatum, in quod ejus corpus à Flauiano Epiſcopo Antiocheno honorificè deductum fuerit. Tradit Hie-

Digitized by Google

ronymus in vita ſancti Hilarionis cap. 26. occultatum corpus ſancti Antonij juxta præceptum ejus, ne Pergamius, qui in illis locis ditiſſimus erat, eo ſublato, ad villam ſuam Martyrium fabricaret. De æde in laudem ſancti Felicis Martyris, quam incoleret ſanctus Paulinus Nolanus, ipſe Paulinus diſſerit epiſt. 1. 9. 10. 11. 12. 23. 28. & variis carminibus quæ in natali ſancti Felicis cecinit; in eaque æde *ſe altari Dei deſeruiſſe, & menſis ſalutaribus miniſtraſſe* teſtatur epiſt. 23. *ad Amandum*. Meminit Ioannes Moſchus Prati ſpiritualis cap. 145. Chariſij Lectoris in Oratorio ſancti Eleutheri ordinati, & diuinitus ob impudicitiam puniti. Mentio fit Preſbyteri Martyrij in Septimo, id eſt ſuburbio quodam Conſtantinopolitano, Act. 1. Concilij Chalcedonenſis, poſt epiſt. Concilij Conſtantinopolitani ad Eutychem, in interloquutione quadam Flauij Conſtantinopolitani. Celebris autem eſt canon Concilij Chalcedonenſis ſextus, quo jubetur, *nullum abſolutè ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec abſolutè aliquem eorum qui ſunt in ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia ciuitatis* (cui præerat Epiſcopus) *vel pagi*, (cui inferior Parochus) *vel Martyrio*, id eſt Oratorio Martyri conſecrato, *vel Monaſterio*, cui conceſſum aliquos, vel Preſbyteros, vel Diaconos præſidere; eos autem Clericos omnes hujuſmodi addictos titulis, Epiſcopis ſubditos eſſe præcipit canon octauus ejuſdem Concilij. Denique plurima exempla Oratoriorum, in quibus ſepulchra eſſent Martyris alicujus, leges apud Ioannem Moſchum cap. 88. Prati ſpiritualis. Apud Theodoretum in Philotheo cap. 18. apud Palladium cap. 3. & 139. & alios ſcriptores vitarum ſanctorum Patrum, quibus Oratoriis dotem aliquam aſſignari, tum ad luminaria accendenda, tum ad Clericos alendos, præcipiunt Concilium Epaonenſe can. 15. & 26. (in quo duo Oratoriorum genera referuntur; vnum eorum quibus Clerici parœciæ vicinæ deſeruirent; alterum illorum quibus Clerici proprij miniſtrarent) & Bracharenſe 2. can. 5. necnon Aurelianenſe 4. can. 33. Itaque patet quidem ex his Oratoria in honorem Martyrum conſecrata fuiſſe in quibus populi Miſſam fortè aliquando audirent; attamen priuata

Digitized by Google

Oratoria & domeſtica ad commoditatem aliquarum familiarum extrui ante Concilium Agathenſe, vix ac ne vix quidem fortè legitur. Neque certè probabile eſt permiſiſſe Concilium Agathenſe vt paſſim & indiſcriminatim omnibus diebus feſtis, & quibuſlibet liceret in iſtis Oratoriis Miſſam audire. Neque enim dixiſſet, eâ datâ licentiâ, *ordinarium ac legitimum conuentum in Parochiis haberi.* Itaque voluit vt nonniſi extraordinariè in iis Miſſæ auditio concederetur extra Parochiam; & quidem illis tantùm qui facilè non poſſent ad eam conuenire: cujuſmodi erant qui de familia viliores erant, vt paſtores gregum, bubulci quoque, & alij quos propter defatigationem & continuam domi vel alibi operam in Oratoriis propriis Miſſæ intereſſe permittit: ita tamen vt vel iſti puniantur, ſi majoribus Feſtiuitatibus Miſſæ Parochiali minimè interfuerint. Rectè autem aduertit vetus Concilium Rothomagenſe, cap.5. quod extat apud Burchardum lib. 2. cap.71. *Admonere debere Sacerdotes plebes ſubditas ſibi, vt bubulcos quoque, atque porcarios, vel alios paſtores, vel aratores, qui in agris aſſiduè commorantur, vel in ſiluis, & ideo velut more pecudum viuunt, in Dominicis, & in aliis Feſtis diebus ſaltem, vel ad Miſſam faciant, vel permittant venire. nam & hos Chriſtus pretioſo ſuo ſanguine redemit. Quod ſi,* inquit, *neglexerint, pro animabus eorum abſque dubio rationem ſe reddituros ſciant,* &c. Quo quidem canone vides Patres Gallicanos, etiam de familiaribus & mancipiis vilioribus ſolicitos fuiſſe, vt diebus Dominicis & Feſtis tum ad auditionem Miſſæ, tum ad inſtructionem veniant.

Neque verò inutile fuit prædicta de Oratoriis obſeruare. Nam ad Oratoria quidem, quæ propter ſepulturas Martyrum colebantur, fatemur fuiſſe nonnunquam conuentus populorum; præſertim diebus eorum Martyrio, vel tranſlationi, aut conſecrationi Oratorij dicatis. quod, vtpote extraordinarium, obligationem ad audiendas Miſſas Parœciales non tollit. Ne tamen iſta frequentiora ſint, fusè ſcripſit Amulo Lugdunenſis Archiepiſcopus in opuſculo ea de re edito; in Epiſtola nimirum ad Theodboldum Epiſcopum Lingonenſem.

§. 3.
De Miſſa in Monaſteriis.

IN monaſteriorum verò ædibus ſacris, in quibus Monachi religioſo ritu conueniebant, populares conuentus permiſſos paſſim non fuiſſe, conſtat, vel ex teſtimonio Gregorij magni ad Caſtorium Ariminenſem lib. 4. epiſt. 43. & ad Luminoſum Abbatem epiſt. 41. necnon ex Concilio Lateranenſi ſub eodem; ex quibus omnibus hæc retulit Gratianus 18. q. 2. c. *Luminoſo: Miſſas quoque publicas in Cœnobiis fieri omnino prohibemus, ne in ſeruorum Dei receſſibus & in eorum receptaculis vlla popularis conuentus præbeatur occaſio, vel mulierum fiat illis introitus, quia non expedit animabus eorum.* Eadem prohibitio refertur facta à Calixto III. apud Gratianum 16. quæſt. 1. c. *Interdicimus,* quo Miſſas publicas celebrare Monachis inter cetera Parochialia officia interdictum. quod pariter illis vetuiſſe videtur Concilium Chalcedonenſe can. 4. quo, referente Gratiano citatis ſuperiùs cauſa & quæſt. c. *Qui verè*, ipſis neque communicare Eccleſiaſticas, neque ſeculares aliquas attrectare actiones permittitur: ſeu, vt habetur in Græco, μήτε δὲ ἐκκλησιαστικοῖς, μήτε βιωτικοῖς παρενοχλεῖν πράγμασιν, ἢ ἐπικοινωνεῖν, id eſt, *neque Eccleſiaſtica, neque ſecularia negotia turbare, vel iis ſe immiſcere.* Quibus contraria non eſt querimonia Agapiti Abbatis à ſancto Gregorio probata lib. 1. epiſt. 12. ad Ioannem Epiſcopum de vrbe veteri relata apud Gratianum c. *Agapitus* quæſt. citatâ, *quòd in Monaſterio Miſſas prohiberet celebrari; mortuos etiam ibidem interdiceret ſepeliri.* Nam vel Monaſterium illud habebat populum, vt notat in eum canonem gloſſa *v. Miſſas;* vel de Miſſis priuatis pro Monachis, & ſepultura Monachorum ſermo eſt, quæ non erant in vnoquoque Monaſterio vetita. Egregium noſtri dicti exemplum cap. 10. lib. 2. vitæ ſancti Ioannis primi Abbatis Monaſterij Reomanenſis, ſcriptæ à Iona Abbate, ſancti Columbani ſectatore, juſſu Clotharij Regis & Brunechildis ejuſdem matris, editæ cura Petri Rouerij Societatis Ieſu: *Agreſtius quidam Magnimontenſium partium ciuis, vir bonis mori-*

Digitized by Google

bus, cùm ad Monaſterium ſancti Ioannis, flagitandæ benedictionis obtentu, die Dominico aduenißet, expectans atque ambiens vt ab ore Ioannis corpus conſecratum mereretur accipere; & ille, vt ſibi moris erat, ſecretiùs Miſſarum voluiſſet ſolemnia celebrare: Egredere, inquit Ioannes, *Agreſti, foras, dummodo ſecretiùs, vt Monaſterij vtilitas poſcit, pura myſteria peragamus. Non ideo*, inquit Ioannes, *id facimus, quòd execrari velimus tuæ caritatis præſentiam; ſed ne videamur ſanctorum Patrum irrita præcepta facere, néue præſumamus regularem laxare cenſuram. Tandem egreſſus eſt, victus vel ratione, vel precibus.* Idem Ionas teſtis eſt vitæ ſancti Columbani cap. 20. *quòd adductus eſt hic ſanctus in inuidiam apud Regem Theodoricum, quòd ſeculares intra ſecretiora ſepta non admitteret; atque ille regularis inſtituti, & religioſæ quietis lege ſe tutatus eſt.* Ex quibus duo licet colligere: primum, in interioribus Monaſterij ſeptis collectas fieri ſolitas à Monachis: alterum, ad interiora Oratoria ſeculares admitti non conſueuiſſe.

Fauent 28. & 29. Regula ſancti Pachomij. Siquidem 28. Monachis præcipit, *vt ſi voluerint orationis tempore, atque collectæ, venire ad conuentum Fratrum, ſi ejuſdem fidei fuerint, miniſter Monaſterij nuntiabit Patri Monaſterij, & ſic deducentur ad orandum.* 29. vt, *ſi ſeculares homines, aut debiles, aut vaſa infirmiora mulierculæ venerint ad oſtium, ſuſcipiant ſingulos in diuerſis locis, juxta ordinem Præpoſiti, vt grex Fratrum liberè ſuo officio ſeruiat.*

Expreſſa verò apud Lenuclauium juris Græco-Romani lib. 2. ſeu Sententiarum Synodalium lib. 2. refertur Conſtitutio Alexij Patriarchæ Conſtantinopolitani prædeceſſoris in eadem ſede Michaëlis Cartularij, qui ſchiſma à Photio inchoatum maximè renouauit. Hic ergo in Concilio multarum Prouinciarum vetat alibi quàm in Cathedralibus aut Parochialibus Eccleſiis Miſſam audiri, iis verbis: *Et quoniam alicubi quidam Potentes in Oratoriis imperium habere, cœtúſque cogere nituntur, & ſacras preces, baptiſmos, atque talia peragere, Patriarchalibus ſcilicet crucium defixionibus, aut Epiſcopalibus freti, generales interim Eccleſias repudiantes, & cœtus qui in iis habentur, contemnentes: opera pretium eſt, de*

Digitized by Google

his etiam decernere, vt Epiſcopi Prouinciales tale quid ampliùs fieri non permittant; ſed Sacerdotes quidem qui præterquam ante miniſterium ſacrum, idque fortaſſe die feriato, & Epiſcopi permiſſu, aliquid rei ſacræ in Oratoriis peragere fuerint auſi, depoſitioni, Potentes autem, qui hoc non amplectuntur, anathemati ſubjiciant. Hæc enim canonis verba ſunt, Concilij ſcilicet
Can. 6. 7. Gangrenſis: *Si quis doceat ædem Dei contemni poſſe, & qui fiunt in Eccleſia congreſſus, ſique ſeorſum extra generalem Eccleſiam cœtus cogat, toto Presbyterio non præſente, anathema eſto.* Quæſtio præſens hìc tangitur, ac dirimitur. Nam canon editus eſt contra eos qui præſumebant obtentu priuilegij Patriarchalis aut Epiſcopalis dati in crucis fixione, extra Eccleſias plebis (quas τὰς καθολικὰς appellat) ſacræ Miſſæ intereſſe, & ſacra celebrare. Dixi obtentu priuilegij, in crucis fixione à Patriarcha vel Epiſcopo conceſſi. Nam priuilegium Eccleſiæ in fixione crucis (quàm σταυροπήγιον nominant) non quidem ob poſitionem lapidis fundamentalis, cui crux affixa ſit, ſed ob miſſionem crucis à Patriarcha abſente benedictæ, & ab Epiſcopo ejus nomine erectæ, priuilegium, inquam, immunitatis & exemptionis, ab Epiſcoporum poteſtate conferebatur; vt docent Balſamon in ſupplemento, ad canonem 7. Synodi 7. fol. 1120. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in reſponſione ad quæſt. De adjacentibus domibus, quæ Lauræ vocantur Patriarchales, ad quem pertinere debeant lib. 2. juris Orientalis, Cruſius in Turco-Græcia, Scholio ad epiſt. 18. lib. 4. & alij citati à Patre Iacobo Goar in Notis ad Euchologium ad crucis fixionem. Hæc ergo prærogatiua immunitatis ab Epiſcoporum poteſtate adnexa erat σταυροπηγίῳ Patriarchali: vi cujus quidam prætendebant, quòd ad Oratoria his munita ſignis Patriarchalibus, pro audienda Miſſa omnes conuenire poſſent. Hoc etiam Epiſcopi, in crucis fixione, priuilegium concedere potuerunt. quod ne deinceps faciant, prohibetur dicta Conſtitutione. Eccleſiæ verò Parochiales καθολικαὶ vocantur, quaſi generales & perfectæ. Vox enim καθολικὸν *perfectum* modernâ linguâ, *generale* antiquâ Græcâ ſignificat; vt rectè notat citatus Goar ſupra. *Perfectæ* autem

Digitized by Google

ſunt Parochiales Eccleſiæ, quia in iis omnia Sacramenta perficiuntur, & officia celebrantur; *generales* ſunt, quia omnes tam mares quàm feminas recipiunt. eoque ſenſu apud Codinum Sacello præpoſitus in primo Quinario Officialium Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ curam habet καθολικῶν ἐκκλησιῶν, *Catholicarum Eccleſiarum*, id eſt, Eccleſiarum quæ & mares & feminas capiunt, vt interpretatur Balſamon de officio Chartophylacis; cui præpoſito Sacello opponitur magnus Sacellarius, qui Monaſteriorum Præfecturam gerit. Eodemque ſenſu ſumpſit Catholicam Eccleſiam pro Parœciali auctor vitæ Nili iunioris, dum hæc ſcribit, Depone illa ἐν τῇ καθολικῇ τοῦ κάστρου, *in vrbis communi Parœcia.* Monaſteriorum ergo Oratoria non erant locus legitimus ſecularibus audiendæ Miſſæ, ſicut nec alia Potentum Oratoria, ſed ſolæ plebis Eccleſiæ apud Græcos, imò nec hodie paſſim eſſe perhibentur.

§. 4.

In Oratoriis medio æuo prohibetur Miſſæ vſitata auditio, ne populus à Miſſa parœciali auocetur, quæ etiam expreſſè præcipitur.

QVIN etiam in Oratoriis de quibus ſuprà, non ita paſſim conceſſa licentia audiendi Miſſam legitur, ne populus à Miſſis Parochialibus auocaretur. Nam Theodulphus Aurelianenſis (qui ſub Carolo Magno floruit) cap. 11. capitularis ad Compreſbyteros Aurelianenſis diœceſis, *Miſſarum,* inquit, *ſolemnia nequaquam alibi, niſi in Eccleſia celebranda ſunt; non in quibuſlibet domibus & vilibus locis, ſed in loco quem elegerit Dominus, juxta illud quod ſcriptum eſt* (Deuteronom. 12.) *vide ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris, ſed in loco quem elegerit Dominus, vt ponat nomen ſuum ibi.* Expendendum etiam cap. 45. ejuſdem capitularis Theodulphi: *Vt Miſſæ quæ per dies Dominicos peculiares à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas populus à publicis Miſſarum ſolemnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt, abſtrahatur; quia peſſimus vſus eſt apud quoſdam, qui in diebus Dominicis, ſiue in*

Digitized by Google

quibuſlibet Feſtiuitatibus mox vbi Miſſam celebrari, etiamſi pro defunctis ſit, audierint, abſcedunt, vt per totum diem à primo mane ebrietati & comeſſationi potiùs quàm Deo deſeruiant. Item capitulum 46. *Quod eſt optimum, admonendus eſt populus, vt ante publicum peractum officium, ad cibum non accedat, & omnes ad ſanctam Matrem Eccleſiam, Miſſarum ſolemnia & prædicationem audituri, conueniant; & Sacerdotes per Oratoria nequaquam Miſſas, niſi tam cautè ante ſecundam horam celebrent, vt populus à publicis ſolemnitatibus non abſtrahatur. Sed ſiue Sacerdotes qui in circuitu vrbis, aut in eadem vrbe ſunt, ſiue populus, vt prædiximus, in vnum ad publicam Miſſarum celebrationem conueniant: exceptis Deo ſacratis feminis, quibus mos eſt ad publicum non egredi, ſed clauſtris Monaſterij contineri.*

§. 5.

Aliqua obiter de Miſſa in Eccleſia Cathedrali.

NEQVE hoc teſtimonium ſciolus aliquis eludet, quaſi pro neceſſitate duntaxat ſcriptum ſit audiendi Miſſam in Eccleſia Cathedrali impoſita iis qui ciuitatem incolerent. Nam certum eſt antiquitus conſuetum fuiſſe, vt populus ſeorſim ab Epiſcopo ſynaxes non frequentaret, nec Preſbyteri in ciuitatibus populum colligerent, eſſétque Epiſcopus veluti Parochus ciuitatis, vt ex conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 2. colligitur cap. 57. & lib. 8. fusè. Ex Ignatio Antiocheno epiſt. ad Smyrnenſes, & ad Heronem Diaconum. Ex Cypriano epiſt. 6. 10. 11. 12. 33. 34. 35. & Confeſſorum ad Cyprianum epiſt. 26. Ex Concilij Sardicenſis can. 11. Græco, & can. 12. Ex Optato Mileuitano lib. 1. contra Parmenianum. Ambroſio ſerm. 5. De diuerſis. Ex Concilij Chalcedonenſis can. 6. Ex Chryſoſtomo hom. 1. De incomprehenſibili Dei natura. Ex auctore de operibus Cardinalibus ſerm. De Cœna Domini. Ex Ambroſio lib. 4. & 5 De Sacramentis. Baſilio in Liturgia. Nazianzeno carmine De inſomnio Anaſtaſiæ. Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi 5. myſtagogica: Chryſoſtomo hom. 5. in epiſt. ad Coloſſenſes, & lib. 6. de Sacerdotio, atque aliis paſſim ſcriptoribus, etiam medij æui,

Digitized by Google

æui, qui ritus antiquos referunt. ij enim publicas Miſſas in ciuitate nonniſi juſſu Epiſcopi, aut ab ipſo Epiſcopo celebrari ſolitas nobis deſcribunt. Quibus adde eos qui nec Sacramenta ejus injuſſu miniſtrari, aut ſacrificium celebrari affirmant: cujuſmodi ſunt Ignatius epiſt. citata ad Smyrnenſes, Clemens Romanus epiſt. 1. & 3. Damaſus epiſt. 1. de Coëpiſcopis, Arelatenſis primi Concilij Patres can. 19. Laodicenſis can. 57. Gangrenſis can. 6. 7. 8. Carthaginenſis 2. can. 9. & Carthaginenſis 3. can. 32. Quamuis factum fuerit propter multitudinem populi, tempore ſancti Leonis, vt plures Miſſæ publicæ eodem die, nec à ſolo Epiſcopo celebrarentur; vt tradit ipſe Leo epiſt. 80. ad Dioſcorum Alexandrinum cap. 2. Atque hinc fit, vt paſſim in Conciliis, Eccleſia ciuitatis Eccleſiis parœcialibus opponatur, & Clerici ciuitatenſes Clericis vicanis, ruſticanarum Eccleſiarum incolis; vt Concilij Neocæſarienſis can. 13. Sardicenſis can. 12. apud Balſamonem, Agathenſis can. 21. & can. 64. Aruernenſis can. 15. Cæſar-auguſtani ſub Damaſo can. 4. Emeritenſis can. 14. Toletani 7. can. 4. Barcinonenſis can. 2. & epiſt. Montani Epiſcopi Toletani (qui præfuit Toletano Concilio 2. tempore Bonifacij II.) ad Fratres territorij Palentini, & alibi paſſim. Hinc etiam fit vt Clerici ciuitatis aut pagi, qui cum Epiſcopo vel plebano in ciuitate aut vicis populos regunt, canonici vocentur, quaſi regulariter ordinati, & opponantur Clericis in Oratoriis conſtitutis, eorúmque miniſterio addictis in Concilio Aruernenſi citato can. 15. Hinc etiam contigit, vt in Concilio Aurelianenſi 3. oblationes factæ baſilicis ciuitatum, indubitato jure ad poteſtatem Epiſcoporum pertinerent; facultates verò Parochiarum, ſeu Eccleſiarum in vicis conſtitutarum, non indubitato jure ad eam ſpectare dicerentur. Sed conſuetudinis habenda eſt ratio.

Atque hæc obſeruatio pro Eccleſiis vbique conſtitutis, paucis exceptis, ſtatuenda eſt. Nam Alexandrinæ peculiare fuiſſe, vt licèt vnus omnibus præeſſet Epiſcopus, Preſbyteri tamen ſeparatim Eccleſias retinerent, populúmque ſibi commiſſum ad conuentus cogerent, tradunt Sozomenus

lib. 1. cap. 14. Caſſiodorus lib. 1. tripartitæ hiſtoriæ cap. 19. Epiphanius hæreſi 69. num. 1. & 2. Hic enim Arium Eccleſiæ Baucalenſi præpoſitum fuiſſe diſertè refert tempore Alexandri & Athanaſij. Item aliam Coluthum adminiſtraſſe, aliam Carponem, aliam Sarmatam, eáſque Eccleſias parœciales Lauras dictas fuiſſe notat. quo etiam nomine Monaſteria olim dicta fuiſſe certiſſimum eſt. Hujus quoque moris teſtis eſſe poteſt Athanaſius Apolog. 1. ad Imperatorem Conſtantium; vbi obiter notat populos ſolitos diuerſis in locis conuenire, nonnunquam jubente Epiſcopo in vnum locum coactos: quod & ad ſuam juſſionem factum refert, & à prædeceſſore ſuo Alexandro in Eccleſia Theone nondum dedicata. Varij hujuſce moris ratio in Eccleſiæ Alexandrinæ numeroſiſſimum populum refunditur. Ob quam eandem cauſam Romæ quoque factum eſt, vt Tituli Eccleſiarum parœcialium jam à tempore ſancti Cleti inſtituti fuerint, ex lib. Pontificali qui Damaſi dicitur; eóſque reſtituerint, vel auxerint Pius I. Euariſtus, Hyginus, ampliarit & Dionyſius; vt fidem faciunt liber Pontificalis in prædictorum Pontificum vitis, Petrus Vrbeuetanus Epiſc. in expoſitione vocum Eccleſiaſticarum, Onuphrius lib. de Epiſcopatibus, Titulis, & Diaconiis Cardinalium, Pius epiſt. ad Iuſtum Viennenſem, Dionyſius epiſt. 2. ad Seuerum. Marcellum etiam poſtea reperio in prædicto Pontificali, feciſſe cœmeterium in via Salaria, & viginti quinque Titulos in Vrbe Roma conſtituiſſe, & quaſi diœceſes, propter baptiſmum & pœnitentiam illorum qui conuertebantur ex paganis, & propter ſepulturam martyrum. Vnde & Optatus Mileuitanus lib. 2. aduersùs Parmenianum ante medium, quadraginta & ampliùs baſilicas Romæ numerat, vbi fideles colligerentur. Innocentius quoque I. epiſt. ad Decentium varias Romæ baſilicas refert, in quibus Romæ populorum ſynaxes haberentur, ad quas fermentum ſummus Pontifex communionis ſignificandæ cauſa dirigere ſoleret; de quibus legatur Synodus Romana 2. ſub Simplicio canone 2. Sed hæc obiter dicta ſufficiant.

Digitized by Google

§. 6.

Reditur iterum ad Oratoria, & Miſſas priuatas ac publicas.

CAPVT ergo vltimum Theodulphi Aurelianenſis citatum §. 4. clarè oſtendit tam in vrbibus, quàm in vicis, ſolicitè tunc temporis cautum fuiſſe, vt qui Miſſæ in Oratoriis intereſſent, non ideo ab audienda in Eccleſia plebis Miſſa immunes eſſent; ideoque ſtatutum fuiſſe, ne quæ in iiſdem Miſſæ celebrarentur, ita publicè celebrarentur, vt per eas populus à publicis Miſſarum ſolennibus, quæ hora tertia celebrari jubebantur, auocari poſſet. Et hoc confirmant Capitulare Epiſcoporum anno 802. c. 9. *Vt nullus Sacerdos in domibus, vel in aliis locis, niſi in Eccleſiis dedicatis celebrare Miſſas audeat*, & capitula excepta de canone eodem anno juxta Sirmondum cap. 21. *Vt feſtiuitates præclaræ nonniſi in ciuitatibus, aut in vicis publicis teneantur.* Scilicet hoc canone præſcribuntur ad Miſſam audiendam duo genera Eccleſiarum ad quas plebs conuenire deberet, puta vel ciuitatenſis, cui præerat Epiſcopus; vel parœcialis, cui parœcus. Item Pontigonenſe Concilium ſub Carolo Caluo can. 7. *Vt Epiſcopi ſecundùm ſacram juſſionem Domini noſtri* IESV CHRISTI *prædicationem per ſe vel per ſuos congruenter exerceant, & Presbyteros ſuos, vt ſimiliter faciant, inſtruere procurent: & vt ſeculares & fideles laici diebus feſtis qui in ciuitatibus ſunt ad publicas ſtationes occurrant; & qui in villis & poſſeſſionibus ſunt, ad publicum officium ad plebis Eccleſiam feſtinent, & nullus latibuloſa Miſſarum in ſuis domibus officia celebrare præſumat ſine ſui rationabili licentia Epiſcopi.*

Vetatur igitur hoc canone, abſque licentia Epiſcopi, & quidem rationabili, ne ſola Epiſcopi voluntate aliquis ſe tutum putet: Vetatur, inquam, ne in domibus latenter diuinum quis audiat officium, & quidem eo conſilio, vt ad publicum pro plebe inſtitutum officium feſtinet; id eſt, vt ad Eccleſiam plebis, ſiue in ciuitate, ſiue in vicis accedat. Denique Hincmarus Remenſis in Capitulis datis ann. 877. Archidiaconibus Preſbyteris can. 8. diſtrictè vetat ne Archi-

Digitized by Google

diaconi Preſbyteri Capellam alicui in domo ſua habere concedant ſine licentia ipſius Hincmari, aut Miſſas ſine ejuſdem licentia ibi celebrari; quin etiam ab vnoquoque eorum perquiri jubet, in quibus locis data ſit ab Ebbone, licentia habendi Capellam extra Eccleſiam principalem, tanquam reuocaturus. Quamobrem ex iis omnibus patet, tunc ad Eccleſiam cathedralem, quæ eſſet loco parochialis, ab iis qui ciuitatem incolerent ad publica Miſſarum ſolennia (quæ hora tertia diei cantari ſolebant, quandoque tamen citiùs, quandoque tardiùs, vt notat Gloſſa v. *tertia*. in can. *Ordinationes*. diſt. 75.) conueniri ſolitum; ad Eccleſiam verò parœcialem ab iis qui in vicis habitarent, ad ejuſmodi Miſſas audiendas; & quidem ex lege Eccleſiaſtica, niſi fortè aliqua neceſſitas excuſaret. Atque in hac ſententia fuerunt omnes veteres canonum Doctores, atque Interpretes.

§. 7.

Antiqui moris duo Argumenta pro Miſſa parœciali.

MVLTA præterea ſolida iſtius moris & legis argumenta ex veteri ritu deduci poſſunt. Primùm enim certum eſt, antiquitus (juxta regij Prophetæ ordinationem Pſal. 21. *Apud te laus mea in Eccleſia magna*. Pſal. 25. *In Eccleſiis benedicam te Domine*. Pſal. 106. *Et exaltent eum in Eccleſiis plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum.*) vſitatum fuiſſe vt ibi Miſſæ ſeu conuentus populi agerentur, vbi eſſet cathedra ſeniorum, id eſt ordinaria juriſdictio. Nam & antiqui ſcriptores referunt, in ſacris ſynaxibus fidelium ab infidelibus ſeparationem olim factam, vt & mundorum & immundorum diſcretionem, peccatorum correptionem & purgationem per pœnitentiam atque impoſitionem manuum, rudiorum inſtructionem, doctiorum illuminationem ac perfectionem: quæ omnia leges fuſiùs apud ſanctum Clement. Conſtitut. Apoſtolic. lib. 2. & 8. Dionyſium cap. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & alios. Audiamus Tertullianum Apologetici cap. 39. *Coïmus*, inquit, *ad literarum diuinarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præ-*

Digitized by Google

monere cogit, aut recognoſcere. Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina. Nam & judicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu: ſummúmque futuri judicij præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur. Præſident probati quique ſeniores, &c. Præſidentium nomen ſacrificantibus tribuit Tertullianus. Tribuit etiam Iuſtinus apol. 2. ſacrificantem Sacerdotem præſidentem vocans. Legatur etiam in eam ſententiam Conſtitutionum Apoſtolicarum liber ſecundus.

Deinde conſtat pariter olim vſitatum fuiſſe, vt nonniſi ſubditi ad ſacram Liturgiam à Paſtoribus ſuis vocarentur, aut admitterentur. Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 2. cap. 58. ſtatuunt, *vt ſi aliquis frater aut ſoror ex paræcia aduenerit, qui commendatitias afferat, à Diacono inquiratur, quisnam ſit, & ad locum ſuum deducatur, & peregrino cum iſtis literis commendatitiis honor referatur.* Ignatius Antiochenus epiſt. ad Polycarpum Smyrnenſem & Heronem Diaconum, nominatim ſingulos fideles ad ſacram ſynaxim vocatos refert. Scilicet ignoti minimè ad eam admittebantur. Tertullianus pariter lib. de fuga teſtatur per ſingulos Chriſtianæ fidei & Catholicæ communionis viros, Eccleſiaſticos Miniſtros diſcurrere ſolere, vt ſacræ ſynaxeos tempus & locus ſignificarentur. Poſterioribus quoque temporibus, diù etiam poſt redditam Eccleſiæ pacem, ſolennem morem fuiſſe, vt ſcrutinium à Parochis adhiberetur, ne alienos ipſi parochianos ad ſacram Liturgiam admitterent, oſtendit ſynodus Nannetenſis, cujus tempus incertum eſt, quamuis ante annum Chriſti 900. habita ſtatuatur, can. 1. qui refertur à Gratiano 9. quæſt. 2. can. *In Dominicis*. & ab Iuone parte 2. c. 122. Ita verò hæc ſtatuit: *In Dominicis & feſtis diebus Preſbyteri, antequam Miſſas celebrent, plebem interrogent, ſi alterius parochianus in Eccleſia ſit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Miſſam velit audire. Quem ſi inuenerint, ſtatim ab Eccleſia rejiciant, & ad ſuam parochiam redire compellant.* Iſtiuſmodi

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

quoque ſcrutinij videntur meminiſſe Capitularia Caroli Magni lib. 5. cap. 220. *Vt omnis Presbyter die Dominico cum pſallentio circumeat Eccleſiam ſuam vnà cum populo, & aquam benedictam ſecum ferat. Et vt ſcrutinium, more Romano, tempore ſuo* (ſcilicet ad ingreſſum Eccleſiæ) *ordinatè agatur.* Nannetenſe Concilium can. 2. *Nullus Presbyter alterius parochianum, niſi in itinere fuerit, & placitum habuerit, ad Miſſam recipiat.* Refertur 9. quæſt. 2. can. 5. à Gratiano, & à Burchardo lib. 2. can. 91. Eadem ratione à Synodo Hybernica ſub Leone III. & à Gregorio VII. in Concilio Romano anni incerti can. 7. cautum reperitur, ne abſque neceſſitate vllus Presbyter pœnitentiæ vel etiam baptiſmi Sacramenta alteri Parochiano conferat.

§. 8.

De collectis & oblationibus in Miſſa paræciali, ex antiquo ritu fieri ſolitis.

TERTIVM indicium Miſſarum parœcialium afferri poteſt, quòd in Miſſis quas in diebus Dominicis & feſtis audire ſolebant, collectæ fierent erogandæ per Paſtores in opera pia, quemadmodum & oblationes ad altare in ſignum communionis cum Paſtoribus Eccleſiæ, & in ſubſidium ipſorum Paſtorum. De collectis Dominicis diebus fieri ſolitis legatur ſanctus Paulus 1. Cor. cap. 16. *De collectis autem quæ ſiunt in Sanctos, ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite per vnam Sabbathi* &c. ſeu pluraliter, vt habetur in Græco, *per vnam Sabbathorum,* id eſt, Dominica die, quæ eſt prima Sabbathi, ſeu ſeptimanæ. atque adeo phraſi Scripturæ ſacræ, *vna Sabbathi* vocatur, ſeu *vna Sabbathorum*, vt habetur in hiſtoria reſurrectionis Domini, apud quatuor Euangeliſtas, & Act. 20. verſ 7. Hac ergo die conuentus fiebat ſolennis Chriſtianorum, cui præerant populorum Antiſtites ſeu Paſtores; apud quos mos erat ſepoſitas tota ſeptimana pecunias reponere, in Chriſtianos erogandas. Iuſtinus Martyr in orat. ad Antoninum Pium, apertè hunc vſum demonſtrat: *Quod ita*, inquit, *colligitur, apud*

Digitized by Google

præpoſitum deponitur: Atque ille inde opitulatur pupillis & viduis, & his qui propter morbum, vel aliquam aliam cauſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregrè venientibus hoſpitibus; &, vt ſimpliciter dicam, is omnium curator eſt. Tertullianus egregiè Apologet. cap. 39. *Præſident probati quique ſeniores* (de ſacra ſynaxi loquitur) *honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti. Neque enim pretio vlla res Dei conſtat. Etiamſi quod arcæ genus eſt, non de honoraria ſumma quaſi redemptæ religionis congregatur. modicam vnuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cùm velit, & ſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis humandíſque, & pueris ac puellis re ac parentibus deſtitutis, iámque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis, duntaxat ex cauſa Dei ſectæ, alumni confeſſionis ſuæ fiunt.* Cyprianus ſerm. de opere & eleemoſynis: *Locuples,* inquit, *& diues, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis; quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis; quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis?* Ex iis & pluribus aliis videre eſt ſacras ſynaxes Dominicis diebus à fidelibus fuiſſe celebratas præſidente Eccleſiæ Præpoſito ſeu Paſtore, primis Eccleſiæ ſeculis: in quibus ſynaxibus omnia pietatis opera exercerentur, nimirum oratio, pœnitentia, eleemoſyna; Paſtores eleemoſynarum diſtributores electos fuiſſe; eóſque ſacros conuentus caritatis & religionis Chriſtianæ ſcholam habitam fuiſſe.

In iiſdem quoque conuentibus, obſeruatu dignum eſt, Paſtoribus ipſis ſacrificium Miſſæ celebrantibus tum in vſum ſacrificij, tum in ſubſidium ipſorum Paſtorum, oblationes dari ſolitas fuiſſe ab vniuerſis fidelibus. Idoneus Cypriani locus ſuperiùs citatus ſerm. de opere & eleemoſynis: in quo reprehenditur quæ in Dominicum, ſeu ad Eccleſiam plebis, ſine ſacrificio venit, id eſt, ſine pane & vino, aliiſve quorum vſus eſſet in ſacrificio, & quæ de ſacrificio, quod pauper obtuliſſet, ſumeret. Auguſtinus pariter ſerm. 213. de tempore in eundem ſenſum hæc habet: *Oblationes quæ in al-*

Digitized by Google

tario conſecrantur offerre, & erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicet. Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum: *Mihi, quaſi infructuoſæ arbori, ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero: nec poſſum oſtendere paupertatem, cùm in Euangelio anum viduam duo quæ ſibi ſola ſupererant æra mittentem, laudauerit Dominus*: Aras muneribus implere, gratitudinis erga Deum officium putat Saluianus Maſſilienſis lib. 6. de gubernatione Dei; objurgans Chriſtianos ſuorum temporum, quòd nec inluſtrarent donariis ſacra limina, nec aras muneribus implerent. Illuſtrat maximè hunc ritum can. 3. & ſequentibus Apoſtolorum: *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare, id eſt, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, & confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina; contra conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Item can. 4. *Offerri non liceat aliquid ad altare præter nouas ſpicas, & vuas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id eſt, incenſum, tempore quo ſancta celebratur oblatio.* Et can. 5. *Reliqua poma omnia ad domum primitiæ Epiſcopo & Presbyteris dirigantur, nec offerantur in altari.* Conſtat autem quòd Epiſcopus & Preſbyteri partem faciebant Diaconis & reliquis Clericis. Legantur quoque ad horum canonum fuſiorem explicationem Concilium Carthaginenſe 3. c. 24. Synodus 6. c. 57. Amalarius lib. 1. cap. 1. Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 27. In vſum quoque Paſtorum, necnon pauperum quibus Paſtores ſubueniendum ducebant, ceſſiſſe iſtas oblationes oſtendunt canones: qui debitas oblationes iſtas Paſtoribus, & intra Miſſarum ſolennia perſolui ſolitas, demonſtrant. Clemens Romanus lib. 2. Conſtitut. Apoſtol. cap. 25. lib. 4. cap. 5. 6. 7. 8. exemplo veteris Teſtamenti, primitias, decimas & oblationes Clericis miniſterio ſacro pro plebe deſtinatis deberi contendit. Pius I. Melchiades, Fabianus Papa, prout refertur tom. 1. Conciliorum ex cod. Decretorum & ex Pontificali Damaſi, eundem oblationis vſum decretis ſuis confirmarunt. Recentior à Greg. VII. lex iſta promulgata eſt in Synodo habita anno 1078. Romæ c. 13. relata à Gratiano

De

De conſecrat. diſt. 1. canone *Omnis*. Nam his verbis expreſsè habetur : *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolennia aliquid Deo offerre & ducere ad memoriam, quod Deus per Moyſem dixit : Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Etenim in collectis ſanctorum Patrum liquidò apparet quòd omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex vſu ſanctorum Patrum debent*, &c. In quam pariter ſententiam Anaſtaſius III. ſummus Pontifex videtur deſcendiſſe apud Gratianum c. *Statuimus*, 16. q. 1. dum communione priuandum illum ſtatuit qui extra Epiſcopi conſcientiam oblationes Eccleſiæ, vel decimas, *quas*, inquit, *populus dare debet*, retinuerit. Eandem legem Imperator Carolus Magnus ſuis legibus inſeruït lib. 6. capitul. cap. 167. *Placuit vt fideles oblationes eorum Sacerdotibus quotidie, ſi fieri poteſt, in Eccleſia offerant : & ſi quotidie non poteſt, ſaltem Dominica die abſque vlla excuſatione fiat : & vt prædicationem audiant : & ſi fieri poteſt omni Dominica die communicent*, &c. Vides non excuſari fideles à religioſiſſimo Principe, ſi qualibet Dominica die Miſſæ parœciali non interfuerint, in ea verbum diuinum non audierint, oblationes ad altare Sacerdotibus ſuis non obtulerint. Plura ſub ipſo Carolo Concilia hunc morem ſtatuunt, Cabilonenſe cap. 6. licèt reprehendantur Sacerdotes qui fideles ad res ſuas dandas cogunt, vel circumueniunt, quia dicit Scriptura Exod. 35. *Separate apud vos primitias Domino : omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino.* Moguntinum c. 44. *Oblationem & pacem in Eccleſia facere iugiter admoneatur populus Chriſtianus, quia ipſa oblatio ſibi, & ſuis magnum remedium eſt animarum.* Ideóque Theodulphus Aurelianenſis ad Preſbyteros ſuos ſub eodem Carolo cap. 6. *Feminæ*, inquit, *Miſſam celebrante Sacerdote nequaquam accedant, ſed locis ſuis ſtent : & ibi Sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat*; & cap. 14. *Concurrendum*, inquit, *eſt* (loquitur de die Dominica) *cum oblationibus ad Miſſarum ſolennia.*

Probant etiam antiquiora Concilia. Nam Gangrenſe Concilium c. 7. & 8. eundem morem commendat oblationes offerendi ad Eccleſiam, ſed non præter Epiſcopi conſcientiam : quos canones condidit aduerſus Eutactianos ſeu Meſ-

Digitized by Google

ſalianos hæreticos, qui teſte Epiphanio hæreſi 40. Petri illius Paleſtinæ, qui fuerat Eutacti magiſter inſtituta ſectantes, eleemoſynarum pauperibus erogandarum ſpecie, ſibi aſſumebant earum diſtribuendarum facultatem: atque adeo nec oblationes in Eccleſia fieri, nec Epiſcopi arbitrio volebant, ſed ſuo & extra Eccleſiam. Hanc autem Gangrenſis Concilij legem firmauerunt Symmachus in Synodo Romana 6. poſt principium. Concilium Aquenſe ſub Pipino lib. 3. cap. 26. Piſtenſe cap 4. Capitularia Caroli lib. 1. cap. 47. lib 6. cap. 285. & lib. 7. cap. 5 ſeu 7. Concilium Carthaginenſe 4. Imo eadem conſuetudine adducitur c. 93. cùm eaſdem oblationes in Gazophilacio ſeu ſacrario aſſeruari tradit. Aurelianenſe 1. c. 14. & 15. quod in altario conferri, & modum eas diſpenſandi præſcribit; Matiſconenſe 2. ſub Clothario II. c. 4. *Reſidentibus*, inquit, *nobis in ſancto Concilio, cognouimus quoſdam Chriſtianos, relicto fratrum cœtu, à mandato Dei aliquibus locis deuiaſſe, ita vt nullus eorum legitimo obſecundationis parere velit officio deitatis, dum ſacris altaribus nullam admouent hoſtiam. Propterea decernimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis quàm vini: vt per has immolationes, & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel, vel ceteris juſtè offerentibus promereantur eſſe conſortes. Omnes autem qui definitiones noſtras per inobedientiam euacuare contendunt, anathemate percellantur.* Aquiſgranenſe ſub Ludouico Pio & Gregorio IV. oblationum originem & morem tum in noua lege ab Apoſtolis, tum veteris ſiue Moſaicæ, ac legis naturæ inſtitutis & exemplis commendat pluribus in canonibus, quos ibidem legere poteris. Engilenheimenſe Concilium an. 948. habitum c. 8. *Oblationes fidelium ad altare deferri, nihilque omnino ad laicalem pertinere poteſtatem definit, dicente Scriptura, qui altario deſeruiunt, altario participent.* Concilium Triburienſe c. 35. *Diebus Dominicis, & Sanctorum feſtis, vigiliis & orationibus inſiſtendum, & ad Miſſas cuilibet Chriſtiano cum oblationibus eſt currendum.* Nicolaus ad conſulta Bulgarorum c. 11. *Sanè ſciendum eſt, quoniam idcirco in diebus feſtis ab opere mundano ceſſandum eſt, vt liberiùs ad Eccleſiam*

Digitized by Google

ire, Pſalmis & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre valeat Chriſtianus. Plura alia de iiſdem oblationibus huc congeri poſſent, quæ ſanè ſuperflua ſunt. Solummodo obſeruare ſufficit, adeo auguſtum jus illud offerendi ad altare habitum fuiſſe, vt neque paſſim quorumlibet oblationes recipere fas eſſet; neque perfectè quiſquam Eccleſiæ reſtitutus cenſeretur, niſi inter offerentes admitteretur, vltimúſque hic eſſet reconciliationis gradus, ad oblationem recipi; cap. 28. Concilij Eliberitani: *Epiſcopum placuit ab eo qui non communicat munera accipere non debere;* can. 93. Concilij Carthaginenſis 4. *Oblationes diſſidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in Gazophilacio recipiantur:* quod Trosleianum repetit c. 12. Idem Carthag. 4. can. ſequenti: *Eorum qui pauperes opprimunt dona à Sacerdotibus refutanda* probat. Accedit Trosleianum citatum c. 7. Hæreticorum dona & oblationes Clerici accipere vetantur in Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio III. cap. 3. & à Gregorio VII. lib. 9. regiſtri epiſt. 22. in fine. Quibus conſentiunt Patres. Nam Epiphanius in expoſitione fidei catholicæ prope finem ad calcem panarij, ſeu aduerſus omnes hæreſes: *Eccleſia*, inquit, *oblationes nonniſi ab iis qui injuria neminem affecerunt, neque ſcelus aliquod perpetrarunt, ſed juſtè vitam inſtituunt, admittit.* Clemens Romanus lib. 4. Conſtitut. cap. 5. fusè plurimos enumerat impietatibus & ſceleribus deditos, à quibus oblationes accipiendæ non ſint tanquam ab execrabilibus. Et cap. 6. vniuerſim pronuntiat exemplo Prophetarum & ſancti Petri, *Impiorum dona non eſſe accipienda.* Cap. quoque 7. 8. & 9. *Neque ab impiis, neque ex fructibus injuſtitiæ oblationes ſumendas eſſe* inculcat. Sanctus Auguſt. ſerm. 166. de tempore: *Sine pace*, ait, *non Sacerdotis oratio, nec plebis oblatio.* Plurimos alios prætermitto quibus ſolum addo Concilij Ancyrani canon. 5. 6. 7. 8. 9. 16. & 24. Niceni canonem 11. Felicis III. epiſt. 7. Capitularium Caroli lib. 5. cap. 69. ex quibus apertè colliges vltimum pœnitentiæ gradum perfectæ reconciliationi præmiſſum fuiſſe conſiſtentium, in quo precibus publicis Eccleſiæ, & ſacrificio Miſſæ intereſſe pœnitentes permittebantur, ita

tamen vt oblationes ad altare deferre, & ſacro Euchariſtiæ Sacramento communicare vetarentur. Vnde inferas nec perfectam Chriſtiani ſacrificij participationem, nec communionis Eccleſiaſticæ bonum omnibus numeris abſolutum iis conceſſum fuiſſe, qui Paſtoribus ſuis per oblationem donorum ad altare, & per eorundem donorum acceptationem non adunarentur, quorum proinde nomina inter Miſſarum ſolennia publicè non legebantur ad altare, vt fieri ſolebat in ſignum perfectæ communionis ex Cypriano epiſt. 66. aliiſque paſſim.

§. 9.

Quartum Argumentum Miſſæ in Parochia audiendæ.

QVARTVM addere poſſemus antiquæ diſciplinæ pro neceſſitate audiendæ Miſſæ in Eccleſiis Parochialibus argumentum: quod tum ad Eccleſias ciuitatis, tum etiam vicorum Monachi ipſi aliquando accedere coacti fuerint, iiſque oblationes & decimas perſoluere in ſignum iſtiuſmodi ſubiectionis. Quamuis Oratoriorum, non autem Eccleſiarum vſus ipſis poſtea conceſſus fuerit, vt rectè notat Cujacius in caput *Verum*, de conditionibus appoſitis: nam ad orandum quidem in iis ipſi colligebantur; ſed nemo ad ea conuocabatur, Eccleſia autem à conuocatione dicitur. Sed ea de re alibi fortè fuſiùs.

§. 10.

Ante Mendicantium exortum, & deinceps paræcialis Miſſæ morem & legem in vſu fuiſſe.

ATQVE hæc antiquum jus Eccleſiæ ante Mendicantium ordines ab Eccleſia probatos manifeſtiſſimè oſtendunt. Verùm an nouo jure vetus iſta diſciplina immutata ſit, grauior poſſet eſſe diſputatio, quæ jam diſcutienda eſt. Certè ſtatim initio cùm in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Dominicani & Franciſcani probati ſunt, de obligatione populorum ad audiendam Miſſam parochialem euertenda, populiſque ad Oratoria ſua aduocandis, ne quidem

illos cogitaſſe certiſſimum eſt: tum quod referat Abbas Vrſpergenſis vbi acta Concilij generalis Lateranenſis prædicti deſcribit, in locum duarum ſectarum hominum, quorum alij humiliatos, alij pauperes de Lugduno ſeſe nominabant: quos vt ordini hierarchico infenſos, Lucius Papa inter hæreticos ſcripſerat, mendicantium Fratrum ſcilicet Minorum, & Prædicatorum ordines admiſſos fuiſſe, abrogatis humiliatis: *Qui*, inquit, *nulla habita auctoritate, aut licentia Prælatorum, mittentes falcem in meſſem alienam, populis prædicabant; & vitam eorum plerumque regere ſatagebant, & confeſſiones audire, & miniſteriis Sacerdotum derogare: quæ volens corrigere Papa ordinem Prædicatorum inſtituit, & confirmauit.* Tum quod ſanctus Franciſcus in ſuo teſtamento nullatenus Parochorum juribus & prætentionibus, quos ſcilicet *minores prælatos* vocat, ſe derogare velle proponat; atque adeo nulla ſe priuilegia obtenturum aduerſus ipſa ſtatuerit: & fratres ſuos vt huic inſtituto inſiſterent, grauiter admonuerit. Tum quòd iiſdem Franciſcanis circa annum 1226. conceſſerit ſummus Pontifex Honorius III. vt apud ſe Miſſam celebrarent, cùm antea in Eccleſiis plebis cum aliis populis conuenirent. Lege præſertim bullam quæ incipit: *In iis quæ ad cultum diuinum*, in qua jubet, vt per Epiſcopos Franciſcanis liceat Miſſas apud ſe celebrare, ne ſcilicet à perpetuæ ſolitudinis quiete abducerentur. Quæ verba populares in eorum Eccleſiis conuentus initio nullos fuiſſe demonſtrant: quod idem oſtendit mox appoſita conditio, *dum tamen ab aliis quæ jure Parochiali proueniunt, ſe prorſus abſtineant.* Quin etiam non diù poſt eorum inſtitutionem in Galliis ſanctus Ludouicus Galliarum Rex, cùm Alphonſo fratri ſuo Pictonum comiti Ioannam Raimondi junioris Toloſatum, & ſancti Egidij comitis filiam vxorem elegiſſet, non aliam rationem magis idoneam ad fidei Catholicæ ſinceritatem ſeruandam, & hæreſes Petrobruſſianorum, & Albigenſium, qui in iis Prouinciis graſſati fuerant, euellendas credidit, quàm ſi vocati Prouinciarum hæreſi infectarum Epiſcopi habitis Conciliis tribus Miſſæ parœcialis auditionem lata lege firmarent.

Digitized by Google

In Concilio Toloſano iſtius temporis c. 12. quod vnum eſt ex iſtis Conciliis: *Statuimus*, inquiunt, *vt cuncti Parochiani tam viri quàm mulieres, omnibus diebus feſtis & Dominicis quibus opus ſeruile interdicitur, ſacro Miſſæ aſsiſtant officio, & celebrationi horarum canonicarum. Quòd ſi nullo legitimo impedimento id neglexiſſe conuicti fuerint, duodecim denariorum ſolutione vnuſquiſque mulctetur applicanda Eccleſiæ vſibus, & loci Dominis.* Concilium Biterrenſe præſidente Epiſcopo Tornacenſi Apoſtolicæ Sedis legato, necnon Concilium Narbonenſe, tunc temporis habita idipſum ſtatuerunt.

In Galliis præſertim mos iſte firmatus fuit variis Conciliorum Conſtitutionibus. Quibus præmitto Sixti IV. extrauag. vt vocant, quæ incipit, *vices illius*, tit. *de treuga & pace:* qua pacta conuenta inter parochialium Eccleſiarum Rectores & Prælatos in Germania, ac Mendicantes diuerſorum ordinum in eadem Prouincia confirmat, quorum vnus eſt hic articulus; *Quod Fratres mendicantes non prædicent, populos parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis diebus feſtiuis & Dominicis; cùm jure ſit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Miſſam in eorum parochiali Eccleſia, niſi forſan ex honeſta cauſa ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent.* Data refertur Conſtitutio anno Incarnationis Dominicæ 1478. à Sixto IV. ex ordine Franciſcanorum aſſumpto, Pontificatus ejus anno 7. Hæc autem reprehendit eos qui docent parochianum non teneri audire Miſſam parochialem: aſſerit ſiquidem eum teneri: & jura inſinuat, quibus tenetur, puta caput, *Vt Dominicis de Parochiis, & alienis parochianis,* & alia decreta ſuperiùs à nobis citata. Quæ non eluduntur ea reſponſione, quod ex honeſta cauſa, ſeu juſta, quæ duo videntur ejuſdem eſſe ſignificationis, ſeu etiam ea quæ neceſſitatem, vel vtilitatem majorem affert, Miſſa Parochialis omitti poſſit. Nam ridiculum eſt arbitrium, ſeu voluntatem cujuſquam, ſeu majorem quàm quis experiri ſe dicit, deuotionis & pietatis ſenſum, honeſtam cauſam, juſtam, neceſſariam, aut etiam vtilem dicere. Quæ enim ab arbitrio & voluntate noſtra pendent obligationem non infe-

Digitized by Google

runt : nulla lex volentem tantùm ligat, pietatíſque ſenſus quem vnuſquiſque ſibi fingit, à præcepti executione non excuſat : neque honeſtum eſt, aut juſtum ſibi fingere excuſationes, & comminiſci effugia legi non obſeruandæ idonea. Lege gloſſam in caput, *Vt Dominicis* citatum.

Adde quòd lex iſta prohibeat id prædicare Mendicantes, de quo ipſis cum Curatis erat quæſtio. At verò quæſtio inter vtróſque hæc erat, vtrum obligatio ipſo jure eſſet ad audiendam parochialem Miſſam, affirmantibus Parochis, negantibus Fratribus mendicantibus. Affirmantem partem puta jure cautum eſſe, vt in Parochia Miſſam fideles audiant, niſi ex juſta cauſa impediantur, ſi non ſtatuit Sixtus IV. extra rem ſtatuit : hac enim de re erat quæſtio ; non autem vtrum ob cauſam inhoneſtam à Miſſa audienda abeſſe liceret, quod controuerſum non erat : ergo ſimpliciter Miſſam parochialem omitti vetuit Sixtus IV. ejúſque obligationem jure niti cenſuit, quod nulla exceptione perimitur, niſi qua alia legitimæ obligationis jura tolli ſolent. Vnde Iuriſconſulti peritiores qui recentiorum tricis innutriti non erant, obligationem hanc audiendæ Miſſæ Parochialis abſolutè ſtatuerunt, nec inanes & ſtultas excuſationes prætexere auſi ſunt.

Galliarum pro hac lege plurima ſunt oracula, quæ continenti ſerie proferemus. Quorum plurima habentur apud Bochellum collectionis decretorum Eccleſiæ Gallicanæ lib. 1. tit. 5. de celebratione Miſſarum. Guillelmus Andegauenſis Epiſcopus in Synodo diœceſana ann. 1314. relata cap. 10. à citato Bochello : *Multas*, inquit, *literas, pluribus perſonis nobilibus & aliis, tam à prædeceſſoribus noſtris, quàm à nobis conceſſas didicimus : quarum auctoritate quibuſcunque diebus Miſſas, & alia diuina Officia poſſent in ſuis domibus facere celebrari : & eo prætextu ne dum parochialibus in juribus earum grandia incommoda imminere noſcuntur, ſed etiam in aliis quæ pereunt, pericula animarum : quia morum informatio non metitur, cum ſermo diuinus populo ſeminatur in Eccleſiis parochialibus, qui abſentibus, & non audientibus fructuoſus eſſe non poteſt : ordinatio Eccleſiæ ignoratur. quæ ignorantia omnes ligat,*

Digitized by Google

cum feſta quæ colenda ſunt in honorem Dei & Sanctorum, & eorum jejunia quæ publicè ſolent indici, non ſeruantur propter ignorantiam ab eiſdem, vel eorum familia, qui diſpenſatiuè ad Parochialem Eccleſiam venire non tenentur, & cum excommunicatis participare non verentur, qui ab aliis euitantur, qui mandatorum executionem nouerunt. Propter quæ & multa alia, quæ ad tales gratias modificandas nos inducunt ſub hac præſenti Synodo ſancti Lucæ, ſtatuimus, quòd nullus de cetero auctoritate talium librorum talem gratiam, tam generalem, & tam latam continentium, diebus Dominicis & feſtis nouem lectionum, Miſſas, & alia diuina officia in ſuis domibus, vel oratoriis faciant celebrari: & hoc ſub pœna excommunicationis, quam in contrarium venientes poſt menſem, ne fortè aliqui prætextu ignorantiæ ſe excuſent, ipſo facto volumus incurſuros: & domos ſeu oratoria ſubponi ipſo facto Eccleſiaſtico interdicto. Statutum autem hujuſmodi ad Capellas ad matricem Eccleſiam pertinentes trahi non volumus, vel extendi.

Concilium apud caſtrum Gonterij celebratum per Petrum Modernum ann. 1336. relatum ibidem cap. 12. *Auctoritate præſentis Concilij ſtatuimus, & etiam ordinamus, quòd quotieſcunque per aliquem Epiſcopum alicui nobili, aut alij perſonæ ſeculari celebrandi diuina officia in domibus ſuis ſeu Capellis, licentiam contigerit impartiri: quòd illi ſex dies, ſcilicet prima dies Dominica in Quadrageſima, Dominica in Paſſione, Dominica Paſchæ, Dominica Pentecoſtes, Dominica poſt Pentecoſtem, Dominica poſt feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, ab iſta generali conceſſione ſint excepti. In quibus ſex diebus per nullum poterit in dictis domibus, ſeu Capellis celebrari niſi per Rectorem parochialis Eccleſiæ, vel ejus Capellanum, vel alium de mandato Rectoris ejuſdem: qui in ipſorum nobilium, vel aliorum præſentia, præmiſſa capitula tenebuntur publicare, dum diuina dictis diebus inibi celebrabunt: ne velamento alicujus ignorantiæ ſuper hoc ſe valeant excuſare, & conceſſæ ad præſens indulgentiæ quantum ad hos ſex dies reſtringantur.* Americus Pictauienſis in Synodo an. 1367. ibidem relatus cap. 13. 14. & 15. ad hunc morem plura ſtatuit, primum, *prohibemus in prioratibus Eleemoſynarum, vel Capellis, diebus Dominicis & feſtiuis annualibus Miſſæ celebrentur, niſi quis coram infirmis voluerit*

Digitized by Google

voluerit celebrare, donec in Eccleſiis parochialibus Miſſa prius fuerit celebrata: dum tamen ita tempeſtiuè celebretur, quòd in ipſis Prioratibus & Capellis idoneè poſtmodum valeat celebrari. Alterum: *Sub pœna excommunicationis prohibemus, ne diebus Dominicis in Capellis, Prioratibus, aut aliis Eccleſiis aliqui parochiani ad Miſſarum ſolennia admittantur, cùm debeant ad ſuam matrem Eccleſiam qualibet die Dominica accedere; exceptis Religioſis, tranſeuntibus, & peregrinis.* Tertium: *Inhibemus omnibus Capellanis curam animarum non habentibus, ne ipſi ſub pœna excommunicationis in Eccleſiis parochialibus, abſque licentia & aſſenſu Rectorum ipſarum Eccleſiarum parochialium, Miſſam celebrare præſumant, niſi Capellanias in ipſis Eccleſiis obtineant. Quo caſu ſi celebrauerint, omnes oblationes quæ in exequiis mortuorum, aut aliàs ad manus ſuas offeruntur, reddent integraliter dictis Rectoribus, nihil præter dictorum Rectorum voluntatem de eis retinendo.* Ioannes d'Amboiſe Lingonenſis Epiſcopus in Synodo ann. 1491. ibidem adductus cap. 72. *Præſenti ſtatuto perpetuo inhibemus omnibus & ſingulis Presbyteris in diœceſi noſtra conſtitutis, ac aliis ſuperuenientibus & extraneis quibuſcunque, ne de cetero diebus Dominicis & ſolennibus ante Miſſæ parochialis celebrationem, potiſſimè antequam præcepta illis diebus fieri ſolita facta fuerint & offertoria finita, Miſſas peculiares ad eorum deuotionem in dictis Eccleſiis parochialibus dicere aut celebrare præſumant abſque Curatorum ſeu Vicariorum licentia petita, & obtenta; cùm ſecundùm canonicas ſanctiones nulli liceat Miſſas peculiares ſeu priuatas dicere, per quas populus à publicis Miſſis ſolennibus, quæ hora debita fieri conſueuerunt, diſtrahatur: niſi tamen à caſu aliquæ nobiles, ſpectabiles, aut egregiæ perſonæ ibidem ſuperuenerint, propter quarum reuerentiam, honorem, ſeu dignitatem meritò hoc tolerari debeat.* Synodus Senonenſis ann. 1524. ibidem cap. 73. *Nullus præſumat Miſſam diebus Dominicis celebrare ſine licentia Curati aut Vicarij, ante Miſſam parochialem; & maximè ante Pronum dictæ Miſſæ parochialis completum, ne per hoc reuocentur parochiani ab audiendo ſuas Miſſas parochiales. Non tamen intendimus prohibere quò minùs primæ Miſſæ in aurora illis diebus in multis Parochiis ab antiquo dici ſolitæ, celebrentur.*

Digitized by Google

Iis Decretis poſt Mendicantium exortum addere poſſumus Statuta Synodalia Eccleſiæ Trecenſis, apud eundem Bochellum in additione ad Titul. 6. lib. 1. quæ, quo anno edita fuerint, non ſatis conſtat. Nam quædam edita referuntur anno Domini 1399. die Martis poſt feſtum Aſcenſionis, regnante Carolo VI. in Francia. Alia ex variis prædeceſſorum ſuorum Synodis collegit Dominus Ioannes de Braque Epiſcopus Trecenſis Rege Carolo VI. circa annum Domini 1400. quæ ab Odoardo Hennequin Trecenſi item Epiſcopo anno 1530. cum nonnullis aliis Synodis edita & publicata referuntur. Denique alia ſtatuta fuere Trecenſis Eccleſiæ noua edita à D. Ioanne l'Eſguiſier Epiſcopo, in ſua Synodo celebrata die 1. Iulij ann. Domini 1427. regnante Carolo VII. Non refert autem Bochellus quænam Synodalia Eccleſiæ Trecenſis exiſtant, ex quibus hæc refert: *Præcipimus Presbyteris, vt ſuis Parochianis inhibeant, ne quandiu Miſſa parochialis in Eccleſia celebratur diebus Dominicis & feſtiuis, maximè ſolennibus, aliquos in ſuis tabernis recipiant pro potando, niſi fuerint tranſeuntes, vel neceſſitas aliqualis ad hoc inducat; ſed dictis diebus ſacris omnes in ſtatu debito ad Eccleſiam veniant, & honeſtè ſe habeant, verbum Dei & præcepta Eccleſiaſtica ac Miſſam vſque ad finem audituri cum reuerentia debita, pacificè & quietè. Nam decet domum Dei ſanctitudo; vt cujus in pace factus eſt locus, ejus cultus ſit cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Eccleſias humilis & deuotus ingreſſus; ſit in eis quieta conuerſatio, Deo grata, inſpicientibus placida, quæ conſiderantes non ſolùm inſtruat, ſed reficiat & informet.*

Addimus Statuta Synodalia ciuitatis & diœceſis Toloſanæ à Ioanne de Aureſia, ſeu d'Orleans, Archiepiſcopo Toloſano conſcripta ſine annotatione temporis. Creatus autem fuit Archiepiſcopus Toloſanus ann. 1515. factus Epiſcopus Aurelianenſis 1521. Cardinalis titulo ſancti Martini in montibus 1533. mortuus eſt 1534. Quid autem hæc præſcribant, lege, titulo *de Euchariſtia: Inhibemus ſub pœna ſuſpenſionis, ad minus per quindecim dies, ne quiſquam Sacerdos audeat celebrare Miſſam in Eccleſia parochiali, dum & quando Miſſa paro-*

Digitized by Google

chialis celebratur, vel ſit ſermo in Eccleſia Dei, antequam, vt ſolet dici, palum ſiue Pronum, aut preces dictæ Eccleſiæ factæ ſint; cùm per hoc & reuocentur parochiani ab aſsiſtendo Miſſæ parochiali, & ab audiendis propriorum Rectorum ſalutaribus monitis, præceptis Dei, ac mandatis Eccleſiæ, excommunicatorum publicationibus, & feſtorum colendorum denunciatione, & jejuniorum obſeruatione. Non tamen per hoc intendimus inhibere primas Miſſas, quæ in dictis Eccleſiis ſolitæ ſunt antehac debitè celebrari.

Addimus Concilium Prouinciæ Senonenſis Pariſiis congregatum ann. 1528. tempore Clementis Papæ VII. ab Antonio à Prato tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Preſbytero Cardinali, Archiepiſcopo Senonenſi, Franciæ Cancellario cap. 14. *Sed quia in diuerſoriis aut hoſpitiis ſunt interdum Capellæ, vbi viatores ac tranſeuntes paſsim celebrari faciunt, neque curant ad Eccleſiam parochialem, vel aliam Eccleſiam accedere: Præcipimus Suffraganeis noſtris, vt inhibeant, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, omnibus & ſingulis Presbyteris ſibi ſubditis, ne in hujuſmodi Capellis deinceps celebrare attentent. Quia tamen extranei Sacerdotes à celebratione Miſſæ, ac tranſeuntes ab auditione facilè cohiberi non poſſent; idcirco ijdem Suffraganei noſtri prohibeant ſub pœna excommunicationis, vel alia pœna, Magiſtris dictorum hoſpitiorum, ſeu diuerſoriorum, quòd non patiantur deinceps in illis Capellis celebrari.* Item cap. 15. *Ne populus diſtrahatur à Miſſa parochiali, & ab auditione mandatorum Dei & Eccleſiæ; prohibemus ne in Capellis ab antiquo etiam Epiſcoporum auctoritate fundatis aliæ Miſſæ celebrentur, quàm illæ, quæ de fundatione extiterint. Et ſi quæ ſint Miſſæ quæ ex tenore fundationis dici debeant, die Dominico non dicantur, niſi poſt Miſſam parochialem. Admonemus inſuper Suffraganeos noſtros, vt ex cauſis præmiſsis, & præſertim hoc tempore quo videmus multos adduci ad contemptum præceptorum Eccleſiæ & miniſtrorum ejuſdem, non facilè admittant fundationes Capellarum, quibus ordinatur celebratio Miſſæ Dominico die, ea potiſſimùm hora qua populus vniuerſus conuenire debet ad audienda diuina, præceptáque Dei & Eccleſiæ. Et vt magis ac magis tollatur occaſio celebrandi Miſſas in locis ac oratoriis priuatis; injungitur Suffraganeis noſtris, vt non*

ſint faciles ad conſecranda altaria portatilia: ſed tunc demum ad ea conſecranda accedant, cùm intellexerint ea eſſe requiſita pro Eccleſiis aut aliis locis, in quibus licitè celebratur: & per ſuos decanos rurales, alióſve officiarios prouideant, ne prædicta altaria portatilia retineantur in domibus priuatorum. Iis decretis totius Prouinciæ adhæſerunt Archiepiſcopi Senonenſis tunc temporis ſuffraganei Carnotenſis & Pariſienſis. Nam Carnotenſis in Synodo an. 1526. apud Bochellum tit. cit. cap. 81. hæc ſtatuit: *Ne populus diſtrahatur à Miſſa parochiali, & ab auditione mandatorum Dei & Eccleſiæ, prohibemus ne in Capellis, etiam ab antiquo prædeceſſorum noſtrorum auctoritate fundatis, leproſariis, vel domibus Dei, campanis pulſatis, Miſſæ dicantur publicè die Dominico aut feſtiuo ante magnam Miſſam parochialem, niſi poſt Pronum ejuſdem Miſſæ parochialis. Non tamen intendimus in hoc comprehendere eos qui in ſecreto, excluſo populo parochiali, celebrare voluerint. Volumus vt Sacerdotes parochiales citent Capellanos quos inuenerint in hoc tranſgreſſores, ſuper contemptu & inobedientia reſponſuros coram nobis, ſeu Officiali noſtro, cauſam tamen in relatione ſua exprimant.* Et cap. 96. *Quilibet Chriſtianus parochialem Miſſam audiat die Dominica in ſua Parochia. Quòd ſi quis ſine cauſa per tres dies Dominicos immediatè ſequentes Miſſam in ſua Parochia non audierit, hoc nobis ſeu curiæ noſtræ nuntietur.* Pariſienſis verò in Synodo ann. 1557. apud eundem cap. 95. *Singulis Dominicis diebus Parochi, aut eorum Vicarij, parochianos ſuos moneant & exhortentur, vt legitimo ceſſante impedimento Miſſam parochialem, tam Dominicis, quàm aliis diebus feſtis, deuotè audiant. Quòd ſi tribus Dominicis continuis eam audire omiſerint, eos noſtro Promotori denuntient, debitam pœnam recepturos.*

Eandem legem firmant Concilia Prouincialia in Germania habita, antequam Concilium Tridentinum decreta morum & diſciplinæ circa materiam præſentem attingeret. Concilium Colonienſe ann. 1536. tempore Papæ Pauli III. ſedente Hermanno Archiepiſcopo parte 7. cap. 24. *Docendus quoque populus, vt qui juxta antiquum Eccleſiæ ritum ſingulis Dominicis diebus ad communicandum corpori & ſanguini Dominico non ſe præparat, Miſſæ ſaltem parochiali hiſce aliiſque*

Digitized by Google

feſtis diebus interſit; vt tametſi inter ſacrificantem & aſſiſtentes non ſit (more illo antiquo) tam frequens ſacramentalis communio, ſit ſaltem ſacræ doctrinæ, piæ exhortationis, laudis & gratiarum actionis communio; vt ſic quodammodo omnes ſpiritualiter communicent, cum deſiderio etiam ſacramentaliter communicandi. Ne verò populus ab hac Miſſa parochiali, & ab auditione verbi Dei detrahatur; placuerit nobis, vt ſi quæ ſint aliæ Miſſæ legendæ die Dominico, hæ inchoëntur primùm poſt verbi Dei prædicationem finitam; quemadmodum latiùs in viſitatione ſecundùm diuerſorum locorum mores ordinare ſtudebimus.

Aliud Concilium Colonienſe in quadrageſima habitum anno 1549. ſub Adolpho Archiepiſcopo, ejuſdem Papæ tempore celebratum, in decretis & cenſuris latis pro abuſuum & vitiorum ad Synodi judicium perlatorum emendatione cap. 19. ad Eccleſias parochiales confluere ſolere populum in vnum collectum tradit, ſtatuítque : *Ne Sacerdotes ſolennem Miſſam turbent priuatarum recitatione.* Item : *Ne concionantem impediant.* Cap. 20. oblationum in Miſſa faciendarum morem commendat : *Qui mos,* inquit, *offerendi, ſemper fuit in populo fideli retentus ad nouiſſima vſque iſta ſecula.* Vnde deplorat quòd res tam altæ originis, & ratione tam ſancta ſubnixa, abire cœperit in deſuetudinem. Poſteáque de iis oblationibus reſtituendis ita ſtatuit : *Quamobrem diuini verbi concionatoribus, illis præſertim qui de oblationibus populi non participant, ad cupiditatis ſpeciem tollendam, præcipimus, vt populo veritatem rei iſtius & vtilitatem exponant, hortentúrque omnes ſequi majorum ſtudia, vt vel exigui munuſculi oblatione ſuam pro rebus à Deo acceptis oſtendant gratitudinem, quo etiam preces illæ in eos conquadrent : inculcéntque eis, quòd Deus non tam ad dona, quàm ad voluntatem & mentem piorum reſpiciat. Quanquam locupletes & diuites conuenit eſſe liberaliores, quò gratitudinis ſignum de ſe amplioris præbeant, & teſtentur ſe à Deo ad Dei honorem & cultum habere quicquid habent.* Quæ verba ſedulò obſeruanda ſunt ad refellendam eorum temeritatem, qui nullam oblationum neceſſitatem eſſe putant, præter Curatorum indigentiam; cùm è contra ob pietatem, gratitudinem pro diuinis beneficiis teſtandam, religionis

Digitized by Google

actum exercendum, oblationes reſtitui cupiat Concilium Colonienſe citatum. Quibus etiam reſtituendis fauet Concilium Moguntinum ſub Archiepiſcopo Sebaſtiano an. 1549. cap. 75. Illud verò Concilium decernit, curare debere Magiſtratus ſeculares, vt plebs concionibus & officiis diuinis, quorum potiſſimùm eſt officium Miſſæ, ſedulò interſit cap. 52. *Et ne Parochi ac Concionatores ſedulitatis & laboris ſui fructum amittant; ſi plebs ſacra eorum & conciones audire refugiat, præfectis noſtris per loca ditionibus noſtris ſubjecta injungimus, vt tempore concionum & diuinorum officiorum, otioſam turbam è tabernis, è foro, è plateis abigant, & concionibus & diuinis officiis intereſſe, niſi legitimis de cauſis impeditos, debitis pœnis compellant.* Denique Concilium Prouinciale Treuirenſe ann. 1549. ſub Ioanne Archiepiſcopo morem audiendi Miſſas paroeciales hac conſtitutione confirmat: *Statuimus inſuper, imo antiquorum Patrum Statuta innouamus, vt ſub ſummo ſacro, nulli Sacerdotum liceat eodem in Templo ſacram rem facere; ſed priuatas Miſſas antè abſoluant, vt omnibus ad publicum ſacrum conuenire ſit integrum, & chorus plenus & collectior pleniorem ac puriorem Deo cultum exhibeat.*

§. II.

Quid de Miſſa parochiali Concilium Tridentinum ſtatuerit.

OECVMENICVM Concilium Tridentinum indictum à Paulo III. ann. 1542. inchoatum ann. 1546. reſumptum ann. 1561. ſub Iulio III. item ann. 1562. ſub Pio IV. ſeſſ. 22. quæ ſub eodem Pio habita die 17. Septembris ann. 1552. in decreto, *De obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ*, de Epiſcopis loquens: *Moneant etiam*, inquit, *eundem populum, vt frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis, accedant.* Et ſeſſ. 24. ſub eodem Pontifice anno 1563. de reform. cap. 4. *Moneátque Epiſcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.* Quibus duobus locis tum Miſſæ parœcialis audiendæ, tum etiam verbi diuini intra Miſſarum ſolennia mos confirmatur; imo

Digitized by Google

etiam obligatio imponitur. Nam Concilium Tridentinum de vtroque admonendum populum ab Epiſcopis ſtatuit eo jure quo antea mos vtriuſque conſtitutus fuerat. At verò ex prædictis patet vtrumque jure communi antea præceptum fuiſſe ante Concilium Tridentinum, & quidem ſtrictiùs Miſſæ parœcialis auditionem, quàm verbi diuini in parochia audiendi. Nam *verbum Dei*, teſte Apoſtolo 2. ad Tim. 2. *non eſt alligatum*; nec vlla vnquam lege vetitum Dei verbum audire extra Parœciam. quod etiam Infidelibus & Catechumenis promulgabatur. At vetita olim auditio Miſſæ extra Parœciam ex prædictis. Proindéque ridicula eſt euaſio quorundam Regularium, qui ſeſſ. 22. annotant Concilium Trident. ſtatuiſſe duntaxat quòd Epiſcopi monerent populum, vt ad Parochias ſuas, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis, pro audienda Miſſa accederet. At verò ſeſſ. 24. vbi de audiendo verbo Dei in Parœcia, monendi ſimiliter officium Epiſcopis commendat, obligationis meminiſſe, qua populus obſtringeretur parochiæ ſuæ intereſſe ad audiendum verbum Dei.

Quæ diſtinctio friuola eſt; quia verba quæ ſubjunguntur ſeſſ. 22. ad executionem procurandam eorum quæ de Miſſa parochiali præſcripta erant, vt de aliis plurimis obligationem populi manifeſtè oſtendunt. Nam iſta ibidem ſubduntur. *Hæc igitur omnia, quæ ſummatim enumerata ſunt, omnibus locorum ordinariis ita proponuntur, vt non ſolùm ea ipſa, ſed quæcunque alia huc pertinere viſa fuerint, ipſi pro data ſibi à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam vt delegati ſedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, atque ad ea inuiolatè ſeruanda cenſuris eccleſiaſticis aliiſque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant; non obſtantibus priuilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcunque.* Ex quibus hæc inferuntur. Primùm, Concilium Tridentinum Miſſæ parœcialis auditionem non ſtatuiſſe tanquam rem conſilij, ſed præcepti; ad cujus ſcilicet executionem Epiſcopos cenſuris armat, quibus inobedientes vlciſcantur. Alterum, amplam Epiſcopis Concilium dediſſe poteſtatem, vt non ſolùm Miſſæ parochialis audiendæ po-

Digitized by Google

pulis onus imponerent, verùm etiam alia quæ huc pertinere viderentur, ipſi pro data ſibi à Synodo poteſtate, tanquam delegati ſedis Apoſtolicæ prohiberent, mandarent, corrigerent *&c.* Tertium, declarare etiam ea quæ viderentur obſtare priuilegia & exemptiones non valere, ac proinde ſi quæ in contrarium Regularibus priuilegia conceſſa fuiſſent, hoc decreto ſublata, contrariam etiam conſuetudinem abolitam, tanquam Eccleſiaſticæ diſciplinæ corruptelam, atque adeo Epiſcoporum poſt Concilium Tridentinum decreta omnia circa Miſſam parœcialem hoc decreto corroborari, & Epiſcoporum in iis condendis auctoritatem confirmari. Atque hæc euidentiùs eluceſcent, ſi notes ea quæ ſubduntur ſeſſ. 24. cap. 4. de obligatione ad audiendum verbum Dei in Parochia, quibus non tam ampla Epiſcopis ad quoſcunque compellendos poteſtas conceditur. Nam ad executionem procurandam his verbis vtitur Concilium: *Iidem etiam Epiſcopi, ſaltem Dominicis & aliis feſtiuis diebus, pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta & obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab iis ad quos ſpectabit, doceri curabunt, & ſi opus ſit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent, non obſtantibus priuilegiis & conſuetudinibus* &c. Deinde refutatur etiam iſta reſponſio. Nam ſi ad audiendum verbum Dei intra Miſſarum ſolennia in Prono, vt barbaro vocabulo vocant, laici aſtringuntur, intereſſe quoque reliquæ Miſſæ jure communi adſtricti ſunt. Qui enim Miſſæ principio interſunt, ad finem vſque & conſummationem orationum & Sacramentorum perſeuerare jubentur Apoſtolorum 9. can. ſeu in Græco 10. Concilij Agathenſis cap. 27. Aurelianenſis 3. can. 29. apud Sirmondum, Theodulphi ad Preſbyteros Aurelianenſes cap. 24. & 46. Capitular. Caroli Magni lib. 7. cap. 27. 186. & 277. Vide Cæſarium Arelatenſem fusè hom. 12. tom. 2. Biblioth. Patrum.

Digitized by Google

§. 12.

Quorundam reſponſio refellitur.

NEQVE minùs ridicula eſt eorum explicatio, qui ad audiendum verbum Dei in Parochia, Concilij Tridentini legem ita reſtringunt, vt eos omnes qui inſtructi ſunt de rebus ad ſalutem pertinentibus, ab ea lege eximant; ſiquidem non eo ſolùm Titulo Parochiani teneantur Parochiæ ſuæ intereſſe ad audiendum verbum Dei, vt de iis quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt inſtruantur, ſed præterea vt verbum Dei foueant in corde ſuo, excitentur paſtorali exhortatione ad bene agendum, Paſtoris vocem per obedientiam ſuſcipiant: quæ opera ſunt ſalutis, & ad ſalutem neceſſaria vbi præcepta ſunt. Neque enim requiritur vt ſimpliciter, & ſeorſim à circunſtantiis & à legis præſcripto, neceſſaria ſint quælibet, quorum tranſgreſſio ſit lethalis. Nam, v. g. neque jejuniorum obſeruatio, neque auditio Miſſæ quocunque in loco, die Dominico aut feſto, neque cuſtodia ſingularum regularum monaſticarum abſolutè, ſimpliciter, vniuerſim, ad ſalutem neceſſaria ſunt. *Nam corporalis exercitatio modicum prodeſt; pietas autem ad omnia vtilis eſt,* ex Apoſt. 1. ad Tim. 4. Hujuſmodi tamen regularum & legum obſeruatio ſi plurimùm ad ſalutem conducit, ſi ad diſciplinam ſeruandam apprimè neceſſaria ſit, ſi in contemptum aut injuriam Legiſlatoris, vel ejus in cujus fauorem lex lata eſt, tranſgreſſio cedat, peccatum mortale committi poteſt. Vnde ſanctus Bernardus epiſt. 77. ad Magiſtrum Hugonem de ſancto Victore: *Sicut nullâ illi pœnitentiâ remittitur peccatum, ſi cùm poſſit, non reſtituit ablatum: ſic & huic nulla prodeſt fides, ſi cùm poſſit, non percipit Sacramentum; quanquam & fidem conuincitur non habere perfectam, ſi negligit; vera enim & plena fides vniuerſa præcepta amplectitur. Eſt autem hoc vnum ipſúmque præcipuum ex præceptis: meritò ergo non fidelis, ſed planè rebellis, atque contemptor reputabitur quiſquis obedire renuërit.* Quæ vtique ſuo modo præcepto de quo agitur applicari poſſunt. Quod autem in contrarium profertur ex ſancto

Thoma 2. 2. quæſt. 54. in corpore, quaſi nullum peccatum mortale ſit, niſi circa ea quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, vel quando negligentia ſequitur ex contemptu; verum quidem id dici poteſt, dummodo tamen contemptum eo modo intelligas quo explicuit ſanctus Bernardus cap. 12. tract. de præcepto & diſpenſatione. *Hæc ergo,* inquit, *generalis regula ſit, vniuerſorum quæ per ſe aut propter ſe nec bona, nec mala ſunt, aut diuina inſtitutione, aut propria cujuſque profeſſione fixa non ſunt, vt non juſſa quidem licitè vtrumlibet, vel admittantur, vel omittantur: juſſa verò ſine culpa non negligantur, ſine crimine non contemnantur. Vbique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis eſt. Differunt autem quòd neglectus quidem languor inertiæ eſt, contemptus verò ſuperbiæ tumor: porrò contemptus in omni ſpecie mandatorum pari pondere grauis, & communiter damnabilis eſt; neglectus autem in fixis grauior, tolerabilior in mobilibus mandatis,* &c.

Secundùm hanc ergo doctrinam excuſari non poſſunt à crimine, qui Miſſæ parochialis auditionem rem leuis momenti putant: qui nulla lege eam credunt ſancitam: cùm decreta Eccleſiæ pro ea manifeſta ſint, quæ in Galliis nulla juſta excuſatione excipiuntur: qui perinde putant, ſiue in Eccleſia parœciali Miſſa audiatur, ſiue alibi: qui propriæ commoditati magis indulgent, quàm rationibus quibus Eccleſia inducta eſt, ad Miſſam parochialem commendandam: qui ſe arbitros & judices in ea re diſcernenda conſtituunt: qui fructus ex Miſſæ parœcialis auditione percipiendos nihili pendunt, Archiepiſcoporúmque & Epiſcoporum omnium ordinationes floccifaciunt. Ij quippe non ex languore inertiæ peccant, ſed ex ſuperbiæ tumore. Hanc verò criminis grauitatem vtrum contrahant, qui ex languore & inertia propter commoditatem majorem audiendi Miſſam alibi, quàm in Eccleſia parœciali, & minus tempus inſumendum in Miſſa audienda quæ ſubmiſſa voce dicitur, & à qua denunciationes variæ, exhortationes, aliique ritus abeſſe ſolent, quàm in Miſſa parochiali, in qua hæc omnia adhibentur, definiendum aliis relinquo. Ceterùm quanti momenti, quantæ vtilitatis, quantæ ſanctitatis legem de audienda

Digitized by Google

Miſſa putauerint Patres antiqui, ſuperiùs obſeruauimus. Notúmque eſt ex his quæ modò à nobis relata ſunt quantæ neceſſitatis illam crediderint Patres Tridentini, qui etiam per cenſuras contra hujus legis tranſgreſſores agendi poteſtatem Epiſcopis detulerunt.

§. 13.

Confirmatur obligatio Miſſæ paræcialis ex Conciliis Gallicanis, poſterioribus Concilio Tridentino; primúmque ex conuentu Melodunenſi.

QVAMVIS his poſterioribus temporibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudium maximè refrixerit, poſteriorum tamen Tridentino Conciliorum Statuta, præſertim in Eccleſia Gallicana, antiquæ diſciplinæ vigorem conſtanter vindicant, & Concilij Tridentini mentem non obſcurè indicare videntur: ea præſertim quæ à ſummis Pontificibus approbata fuerunt.

Obſeruationem itaque decreti Tridentini circa Miſſam parœcialem, in variis Conciliis & Conuentibus diſtrictiùs imperarunt Epiſcopi, qui de executione non diffidebant; cunctantiùs autem qui propter diſciplinæ imminutionem, vel deſuetudinem, vel Clericorum in Parochiis paucitatem, vel Regularium multitudinem & potentiam non ſperabant legem iſtam facilè poſſe reuiuiſcere. Quare Galli, apud quos vigebat adhuc iſta lex, non dubitarunt, ſtatim poſt Concilium Tridentinum obligationem ad Miſſam parochialem renouare diligentiùs, & præcepti tranſgreſſionem vlciſci. Itali verò in omnem partem ſe verſarunt, vt optandam hujus legis executionem demonſtrarent, & ratione potiùs quàm imperio, legem iſtam reſtituendam perſuaſerunt.

Gallicana Statuta primùm examinaturi ſumus, quia Gallicanorum Epiſcoporum ordinationes propugnamus. Nec dubium eſt quin Epiſcopi Galli conſuetudinem, quam omnes fatentur eſſe laudabilem, piam, juſtam, rationabilem; immo & ſtatutam à ſuis deceſſoribus, ante Tridentinam

Digitized by Google

Synodum conſeruare, & recentioribus decretis confirmare ſtuduerint: ne contrario abuſu apud Gallias prorſus inueteraſceret, aut eodem fato quo in quibuſdam orbis Chriſtiani partibus, neglecta jaceret.

Quamobrem ann. 1579. Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Decani, Archidiaconi, & alij ſtatus Eccleſiaſtici in Conuentu vrbis Melodunenſis, nomine totius Eccleſiæ Gallicanæ coacti, ad diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtaurationem, per graſſantem hæreſim afflictæ & debilitatæ, inter Statuta ſua hoc recenſuerunt, quod ad diſciplinam Miſſæ parochialis ſtatuendam pertinet. Nam Titulo de teſtibus ſynodalibus decernit, vt Epiſcopus viſitans, circa laicos inquirat, an quis diebus ſaltem Dominicis ad Eccleſiam parochialem Miſſam auditurus, ſacrámque concionem, venire contemnat.

§. 14.

Confirmatur ex Concilio Rothomagenſi.

CONCILIVM Rothomagenſe Prouinciale à Carolo Cardinale Borbonio, ann. 1581. habitum, hæc diligenter ſtatuenda judicauit cap. *de Curatorum & aliorum Presbyterorum ac Paræcianorum officiis*, num. 18. *Ad Seruitium paræciale perficiendum, præſertim Dominicis diebus & feſtiuis; non ſolùm obligantur Curati & Vicarij; ſed omnes ejuſdem Paræciæ Presbyteri qui illi adſcripti ſunt, ſicut omnes paræciani ad audiendum. Niſi ergo Presbyteri prædicti in habitu ſacerdotali cum ſuperpellicco hora competenti conuenerint, quò vt conueniant etiam qui non ſunt adſcripti hortandi ſunt, & in officio diuino ad finem vſque cantantes, aut adminiſtrantes perſtiterint, damus Curatis poteſtatem poſt trinam admonitionem eos ſuſpendendi à diuinis. Et vt ordo in omnibus ſeruetur in Eccleſia; omnes Presbyteros paræciæ, ſicut omnes alios paræcianos Curatis decet eſſe obedientes, & correctioni eorum ac directioni ſubditos; de ipſorúmque vita & officio ad Epiſcopum ab eo referri, eíque rationem reddi, aut Decano, aut Archidiacono. Curati verò quoties poterunt, auxiliarios Presbyteros vocent in participationem aliquarum obuentionum eccleſiaſticarum, vt qui Altari ſeruit de*

Digitized by Google

Altari viuat. Item num. 19. *Curati ijdem diligenter animaduertant, ſi Paræciani Dominicis aut feſtis diebus diuinis officiis interſint, & de abſentiæ cauſis inquirant, aut jubeant per aliquem puerum abſentes obſeruari, & notari; vt poſt admonitionem debitam, quos nouerint pertinaces ad Epiſcopum deferant, & ab eo diſcant quid agendum, in Prono pro excommunicatis denuntient, qui poſt admonitionem auſi fuerint Dominicis & feſtiuis diebus tempore ſeruitij Paræcianos in domum ſuam ad potandum, ludendum, aut aliud non neceſſarium agendum, recipere: mercaturam aut vecturas non neceſſarias, aut aliud opus exercere, non deſinentes perſonaliter increpet; & poſtea non obedientes nominatim in Prono excommunicatos proclamet, nec ad Eccleſiam, nec ad Sacramenta admittat.*

Hæc Cardinalis Borbonius, & ceteri cum eo Normaniæ Epiſcopi ſtatuerunt rogati à Greg. XIII. vt quæ Sª Tridentina Synodus demonſtraret, ſeriò pertractarent, & communi conſilio executioni mandarent; vt habetur in Breui Apoſtolico ad prædictum Cardinalem à Greg. XIII. directo pro indicenda Synodo. Quare cùm eorum quidam qui intererant huic Concilio, Tridentino etiam interfuiſſent, v. g. Claudius de Sainctes, tunc Epiſcopus Ebroicenſis qui Tridentino tanquam Doctor Pariſienſis à Carolo Rege Chriſtianiſſimo miſſus affuerat, idonei illi ſunt teſtes mentis Patrum Tridentinorum. Atque ideo Gregorius XIII. poſtquam Cardinales congregationis Concilij, qui hujuſmodi negotiis ſunt præfecti, omnia diligenter hujus Synodi Decreta conſideraſſent, expoſuiſſent etiam ſummo Pontifici quæ maximè addenda, demenda, & mutanda eſſe exiſtimarent, probauit ipſe omnia relecta & correcta, rogauítque Cardinalem Borbonium, vt curaret ea edi, & quàm diligentiſſimè ſeruari dato Apoſtolico Breui die 19. Martij ann. 1572. Pontificatus ſui ann. 10. Ideóque Decreta iſta non tantùm Epiſcoporum Galliæ circa mentem Concilij Tridentini, verùm etiam Romanæ Eccleſiæ Cardinalium (quorum aliquos Concilio Tridentino præſentes fuiſſe non dubium eſt) & ipſius Romani Pontificis ſenſum continent, & eorum omnium circa obſeruationem Miſſæ parochialis in Gal-

Digitized by Google

lia neceſſariam, judicia eſſe videntur. Idem obſeruare licet circa decreta ceterorum quæ proferemus, quæque à ſummis Pontificibus probata ſunt.

§. 15.

Ex Concilio Remenſi, aduersùs cujus mentem propoſita quædam objectio fuſiùs ſoluitur.

CERTE' Concilium Remenſis Prouinciæ à Ludouico Cardinali de Guiſia habitum ann. 1583. probatúmque à Gregorio XIII. poſt examen Romanæ Eccleſiæ Cardinalium die 30. Iulij ann. 1584. Miſſæ parochialis obligationem confirmat tit. *de diebus feſtis*, canonibus variis. 2. quidem canone in hunc modum: *Diebus Dominicis & feſtis in ſuas Paræcias populus conueniat, & Miſſæ, concioni, ac veſperis interſit.* Quem canonem non eludunt, qui dicunt rem tantùm conſilij non præcepti hoc canone indicari, quippe cùm concioni ac veſperis intereſſe nemo dixerit eſſe præcepti, quæ tamen eo canone cum auditione Miſſæ parochialis æquiparantur: verùm falluntur iſti. Nam præceptum hujuſmodi verbis ſignificari, paſſim toto hoc Concilio vſitatum: nec cùm legem aliquam ſtatuunt aliis verbis Patres vtuntur. Neque abſurdum eſt vt obligari quoque velint fideles, vt concioni ac veſperis interſint, vbi commodè poſſunt: quippe cùm totus dies Dominicus & feſtus ſanctificari jubeatur, ac proinde in opera pia & ſancta totus, quantùm commodè fieri poteſt, ac potiſſimùm preces inſumi debeat. Non tamen pari neceſſitate Veſperarum, v.g. auditio jubetur, qua Miſſæ parochialis, propter plurimos fructus, qui ex Miſſa parochiali decerpuntur, qui non æquè per veſperarum auditionem communicantur. Patétque ex prædictis Legiſlatorem dum plura præcipit, non æquè omnia præcipere, ſed quæ grauiora, digniora, & ad ſalutem magis conducentia, ea ſtrictiùs velle fieri: quæ autem ſunt leuiora, minùs digna, & ad ſalutem minùs neceſſaria, ea non adeo accuratè velle obſeruari. Quod ſpectat ad concionem, minor quoque obligatio eſt vt in Parochia audiatur quàm Miſſa; quandoqui-

Digitized by Google

dem poteſt extra Parochiam Concionator nonnunquam magis idoneus reperiri, quàm in Parochia. De exhortatione tamen quæ habetur intra Miſſarum ſolennia non loquor, quia pars quædam illa eſt Miſſæ parochialis: quamuis ſi vtramque partem compares, dici poſſit quod dicit Petrus Cluniacenſis epiſt.2. contra Petrobruſſianos, ſeu Albigenſes hæreticos ſacræ Liturgiæ infenſos: *Vtrum te magis moueat ad admirandum, & magis ad amandum accendat ejus prædicata abſentia, quàm demonſtrata præſentia. Sed ſcio quia non diffiteris quod verum eſt, magis humana corda moueri præſentibus, quàm abſentibus rebus, quia iſtis plerumque non creditur, de illis vel in modico dubitare animus non ſinitur. Mouetur igitur magis ad præſentem quàm ad abſentem; mouetur magis ad viſum, quàm ad auditum Chriſtum; mouetur ad admirandum, mouetur ad amandum: quo amore amanti generatur remiſſio peccatorum.* Cui ſententiæ Petri Cluniacenſis conjungo ſancti Ludouici cum Henrico III. Anglorum Rege colloquium apud Thomam Walſingham Monachum ſancti Albani in Eduardo I. qui quotidie tres Miſſas audire ſolebat: cui ſanctus Ludouicus Francorum Rex dixiſſe fertur: *Quòd non ſemper Miſſis, ſed frequentiùs ſermonibus eſſet vacandum.* Iſte verò facetâ vrbanitate reſpondiſſe, *Se malle amicum ſæpius videre, quàm de eo loquentem licet bona dicentem, audire.* Non tamen ideo dico nos ita Miſſæ ſacrificio adeſſe debere, vt à verbi diuini prædicatione abſtineamus: neque ſimpliciter res cum re comparanda eſt. Nam Miſſam longè digniorem eſſe nemo dubitat, quàm ſacram concionem, ſed aliquando ſpectanda eſt in praxi hominis priuata neceſſitas. Nam cùm diuino jure neceſſum ſit quædam ad ſalutem myſteria noſſe, ei interdum ad inſtructionem neceſſariam accedere magis neceſſarium erit, quàm ad ſacrificium. Vbi autem res abſolutè ſpectantur quæ digniora & diuiniora ſunt, minus dignis, magiſque de humano labore & induſtria habentibus præferuntur. Quare can.10. Apoſtolorum ſecundùm verſionem Dionyſij Exigui, & can. 2. Antiocheno, prout eum refert Fulgentius Ferrandus in breuiatione canonum, can.168. excommunicantur qui ad Eccleſiam confugiunt, vt ſcripturas au-

diant, earúmque interpretationes, non autem in oratione perſeuerant. Aduersùs illos fusè declamat Chryſoſtomus, qui Concionantem ipſum audituri magno numero concurrebant, ſacrificantem poſtea paucioribus ſtipatum relinquebant hom. 3. *De incomprehenſibili Dei natura*, ſeu 28. tom. 1. *Quod*, inquit, *genus morbi illud ſit? ingentem & penè inauditam hanc populi multitudinem quæ modò affluxit, tantáque cum attentione ſermonem audit meum ſæpenumerò tempore illo perhorrendo requiſiui, & tamen nunquam videre potui; atque ita me vehemens cœpit ſuſpirium, quòd cùm ego diſputo veſter conſeruus, ſtudium adhibetis & ingenium, alter alterum impellit & jactat, vt ipſe propiùs adſit, frequenter ad finem vſque dicendi patientiſſimè perſeueraturi: cùm autem ipſe Chriſtus communis Magiſter & Dominus ſemet in ſacris myſteriis oſtenſurus eſt, vacua deſertáque Eccleſia redditur. Proh fidem hominum Chriſtianorum! quo pacto iſthæc veniam conſequantur?* Fusè alios Cæſarius Arelatenſis reprehendit, quos concioni intereſſe pigeret. Nam hæc de ipſo refert diſcipulus ejus Cyprianus vitæ ipſius c. 12. *Cùm die quadam eſſet ad Altare Cæſarius, animaduertit quoſdam lecto Euangelio ex Eccleſia egredi, quod ſancti viri conciones auſcultare initio detrectarent; mox igitur aduolat, appellat his vocibus populum: quid facitis filij? quid ita foras abſceditis, mala perſuaſione ſubuerſi? State pro animabus veſtris ad accipienda verba adhortationis noſtræ, eáque auſcultate ſolliciti. Non licebit id vobis in illo tremendo judicij die: moneo, clamo, obteſtor. Ne ſitis, obſecro, vel ſurdi, vel profugi; auditis oris mei buccinam, perinde ac ſi animas veſtras ſuo mucrone Satan jugularit. Non ego taciturnitatis arguar. Hac de cauſa ſæpiſſime oſtia lectis Euangeliis occludi juſſit, donec propitio Deo ipſi gratularentur ea ſe coërcitione profeciſſe qui ſolebant eſſe fugitiui.*

Verùm prætерita hac digreſſione, quæ explicationi præſentis articuli ſuperuacanea non eſt, tres alios canones ex Concilio Rhemenſi citato Titulo ſubjungimus, primus, qui ibi tertius eſt: *Iiſdem diebus* (Dominicis & feſtis) *nemo ludis & choreis det operam: maximè cùm diuinum celebratur officium, monebitúrque ab Ordinario, vel Paræco Magiſtratus, vt id*

nequaquam

Digitized by Google

nequaquam fieri permittat. Quo canone votum Eccleſiæ, vt populus interſit diuino officio, etiam à Magiſtratibus temporalibus, curâ præſertim Parochi, promouendum eſſe demonſtratur, vt non ἀδιάφορον exiſtimandum appareat, quòd populus diuinis officiis his diebus interſit. Secundus, qui ordine quartus eſt, ſtrictiorem majoribus feſtis obligationem ſiſtendi ſe in Parochia imponit; ita vt ne rus petere liceret, & peregrinantibus, ſi fieri poſſet, domicilium repetere oporteret: quemadmodum præceperunt olim Concilia, Agathenſe can. 21. & 63. Epaonenſe can. 35. Aurelianenſe 1. can. 25. Aurelian. 4. can. 3. Aruernenſe can. 14. Cæſar-auguſtanum can. 4. Ex quorum ſententia Rhemenſe prædictum ſic ſtatuit: *Nemini à propria Paræcia liceat abeſſe ſanctiſſimis diebus Paſchæ, Pentecoſtes, & Natalis Domini: niſi quem infirmitas, vel alia legitima cauſa, cum Paræci licentia, excuſabit.* Denique can. 7. impedimenta remouet, quæ à Parochiali Miſſa auocant: *Fraternitatum ſocietates ne diebus Dominicis hora Miſſæ paræcialis, quæ competenti hora celebretur, fiant: néue in iiſdem, panis aut aqua benedicatur à Sacerdote, ſub pæna ſuſpenſionis; multóque minùs permittantur in hujuſmodi Conuentibus crapulæ, comeſſationes, monopolia, & alia diuino cultui repugnantia,*&c.

§. 16.

Confirmatur ex Conciliis prouincialibus, Burdegalenſi, Turonenſi, & Bituricenſi.

CONCILIUM Burdegalenſis prouinciæ præſide Domino Antonio Preuotio Sanſaco, probatum à Gregorio XIII. tit.6. De feſtis, ſic habet: *omnibus Prouinciæ noſtræ Parochis indicimus, populum ſuum frequenter & ſeriò commonefaciant, vt diebus feſtis, non ſolùm à quibuſlibet prohibitis operibus ſeſe contineant; verùm etiam ſacris omnibus Eccleſiæ myſteriis, & diuini verbi prædicationi, quantùm fieri poſſit, ex animo, & religiosè interſint.* Sed expreſſiùs titulo, De iis quæ in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, diuiníſque officiis vel obſeruanda, vel cauenda ſunt, circa finem: *Sed verò etiam illud Decretum identidem de-*

G

nuntient, quo propoſita excommunicationis pœna præcipitur, ne quis tribus continuis Dominicis à parochialis Miſſæ celebratione abſit: quod vt accuratiùs adhuc obſeruetur, ſciſcitentur à pœnitentibus Confeſſarij an huic officio ſatisfecerint; & peccati grauitatem, vt ab eo in poſterum arceantur, ipſis uroponant. Nec omittendum quod habetur eodem Titulo, circa medium: *Dum publica & parochialis Miſſa celebratur, nullo modo in eadem Eccleſia Sacrum aliud facere liceat: detúrque opera diligenter, vt omnia altarium ornamenta, & ſacra vaſa ad celebrationem Miſſæ pertinentia munda ſint, ac nitida; nulláque noua priùs in vſus ſacros conferantur, quin ab Antiſtite aliquo fuerint benedicta vel conſecrata.* Concilium Turonenſe, habitum menſe Septembri ann. Domini 1583. à Simone de Maillé Archiepiſcopo, probatum ex Concilio Cardinalium à Gregorio XIII. anno ſeq. Pontificatus ipſius 13. plurima ad obligationem Miſſæ parochialis pertinentia ſtatuit; tit. quidem de Euchariſtia & Miſſæ ſacrificio, prohibet, *Miſſis paræcialibus durantibus ne in eadem Eccleſia aliæ Miſſæ alta aut ſubmiſſa voce, cujuſuis fundationis aut confraternitatis colore celebrentur; contemptores arbitrio Epiſcoporum puniendos decernit.* Item: *Cùm ſacri Canones priùs à Miſſæ ſacrificio non eſſe recedendum doceant, quàm fuerit poſt communionem impertita benedictio, juſſuſque populus Miſſa peracta recedere, eorundem conſtitutionibus inhærendo, ne quis ante benedictionem quæ poſt communionem ſequitur, abſcedat*, vetat eadem Prouincialis Synodus. Tit. vero de Feſtorum cultu &c. *Statuit, vt Paſtores quibus animarum cura eſt commiſſa, gregem ſuum ad diuina officia diebus ſingulis, ſi fieri poteſt, audienda adhortentur; præſertim Dominicis & aliis feſtis.* Verum palmare illud eſt & efficax tit. de Chriſti fidelibus laicis: *Sanctorum*, inquit, *Patrum antiqua decreta renouantes, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, ſuis Miſſis paræcialibus, & aliis ſuarum Paræciarum diuinis officiis, ſingulis diebus Dominicis, & feſtiuis intereſſe, diſtrictè præcipimus: à quibus, ſi per tres dies Dominicos continuò ſequentes, illos abeſſe contingat, niſi legitimo impedimento retineantur, pœnas à ſacris Canonibus indictas incurrere declaramus: quod illis ſui Rectores & Confeſſarij ſæpius inculcare non omittant. Et ne prætextu diuinorum officiorum, quæ in aliis*

Digitized by Google

Eccleſiis, quàm paræcialibus, celebrari ſolent, reuocari aut diſtrahi poſſint, majorem Miſſam, & Veſperas in Eccleſiis cathedralibus, Collegiatis, & Monaſteriis, poſt Paræciale officium peractum tantùm, debere inchoari decernimus. Quod vt fiat commodiùs, Epiſcopi, ſeu eorum Officiales ipſis Rectoribus, ſeu Paræcis certas horas quibus majorem Miſſam, & Veſperas in ſuis Eccleſiis celebrare teneantur, ita præſcribant, vt paræcialibus diuinis peractis, ipſi Paræciani ad Cathedralem, & Collegiatas, aliáſque Monaſteriorum Eccleſias ad diuina in his audienda, pro ſua deuotione, ſe transferre valeant.

Concilium Bituricenſe, menſe Septembri anni 1584. à Reginaldo de Beaulne Patriarcha Bituricenſi habitum, & à Sixto V. de Concilio Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, rebus ad Concilij Tridentini decreta pertinentibus præfectorum, ſequenti anno die 5. Octobris approbatum, præterquam quod tit. 23. de Miſſa can. 6. decernit: *Vt moneantur fideles à ſuis Parochis, & Prædicatoribus, vt frequenter interſint ſolennibus Eccleſiæ precibus, & concionibus in ſuis Eccleſiis, ſaltem diebus Dominicis & majoribus feſtis.* Et can. 12. *Dum Miſſæ ſolennes in Eccleſiis dicuntur, aut concio publica habetur, priuatæ Miſſæ differantur.* Præterea legem de Miſſa parochiali audienda diſtrictè præcipit Tit. 45. De laicis, can. 1 *Omnes Chriſtiani fidem recolant, quam in baptiſmo profeſſi ſunt; Deum bonorum omnium auctorem ſe agnoſcere teſtentur: frequentes ſint in Eccleſiis & Paræcis ſuis: à Miſſa parochiali ſine Epiſcopi, aut Curati licentia per tres hebdomadas, niſi neceſſitate cogente, abeſſe non præſumant. Qui ſi ſemel moniti perſeuerarint, & iterum abeſſe præſumpſerint, excommunicentur.*

§. 17.

Ex Conciliis Aquenſi, Toloſano, Narbonenſi, & altero Burdigalenſi. Itémque ex comitiis vniuerſi Cleri Gallicani.

CONCILIVM Aquenſis prouinciæ habitum ann. 1585. probatum anno ſequenti, tum à ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, tum à Sixto V. cui præerat Alexander Canigianus Italus: Titulo quidem, De feſtorum dierum cultu

Digitized by Google

maximè conuenire populis inculcandum docet, vt feſtos dies in diuinis officiis, concionibúſque audiendis *&c.* inſumant: ſed ſpecialem Miſſæ parochialis & ſingularem obligationem non adeo accuratè explicat, neque adeo ſtrictè exigit, vt præcedentia: eam tamen non omnino prætermittit, Tit. De Parochis, & animarum Curatoribus. Nam vbi officij parochialis partes explicuit, puta proceſſionem per cœmeterium, aut etiam per pagum, & vicum, denunciationem feſtorum dierum populo, doctrinam de officio cujuſlibet Chriſtiani, cohortationes & monitiones, catechiſmi Romani explicationem, ea ſubdit: *Ad ſeruitium parochiale perficiendum, præſertim Dominicis & aliis feſtis diebus, non ſolùm obligantur Parochi, ſed omnes etiam ejuſmodi Parochiæ Presbyteri, qui in ea aliquod beneficium obtinent, vel aliàs eidem Eccleſiæ adſcripti ſunt, ſicut omnes Parochiani, ad illud audiendum.*

Concilium Toloſanum prouinciale, auctore Cardinale de Ioyoſa Archiepiſcopo, anno 1590. habitum, obligationem prædictam non expreſsè quidem impoſuit, ſed inſinuauit omnino. Nam parte 3. cap. 7. *Confraternitates quidem, & Sodalitia ſacris Miſſarum ſolenniis, & concionibus in cathedrali, vel parochiali Eccleſia publicè habendis, non obeſſe debere, ſtatuit.* Parte autem 4. cap. 4. *Parochiali, ſeu baptiſmali Eccleſiæ, in qua, diuina populi audiunt, & Eccleſiaſtica ſacramenta percipiunt, perſonales decimas ſine fraude perſolui, jubet.*

Narbonenſe, à Ludouico de Veruins Archiepiſcopo habitum anno 1609. prædictam obligationem indirectè quoque, & conſequenter injungit, cùm Parochorum officia cap. 32. diſtinctè recenſet, & oblationum meminit, quæ in Eccleſia factæ ad Parochum pertinent, & alia id genus ſtatuit, quæ cùm Miſſa parochiali aliquam habent connexionem.

Porro eadem, quæ priora, ſtatuit Concilium prouinciale Burdegalenſe ann. 1624. præſide Cardinale de Sourdis cap. 3. De officiis diuinis num. 3. his verbis: *Nullum autem Sacrum priuatum, durante ſolenni, publico, & Parochiali, fieri prohibentes, Patrúmque vltimi Prouincialis veſtigiis inhærentes, decernimus, vetus illud Decretum, quo propoſitâ excommunicationis*

Digitized by Google

pœnâ præcipitur, ne quis tribus continuis Dominicis, à parochialis Miſſæ celebratione abſit, ſingulis quibuſcunque Dominicis denuntiari populo, & publicari. Ac vt accuratiùs obſeruetur, confeſſarios quoſcunque, ſiue ſeculares, ſiue regulares, ſcrutari pœnitentes, an huic officio ſatisfecerint, propoſita eiſdem grauitate peccati, obligatos eſſe declaramus: idem omnibus & ſingulis Concionatoribus, & Confeſſariis præcipientes, vt inter concionandum, & audiendas confeſſiones, conſulendúmque priuatim, exhortentur & moneant populum Miſſæ parochiali vt interſit deuotè, ad verbum Dei, & diuina officia audienda, & cetera quæ cujuſlibet officium pertingunt, ediſcenda. Si quis autem Concionator, Confeſſarius, aut Theologiæ Profeſſor, eò temeritatis deueniſſe reperiatur, vt contra hoc Decretum aliquid prædicare, conſulere, & docere publicè, vel priuatim auſus fuerit, eum ipſo facto ſuſpenſionem & interdictum incurrere decernimus; nulloque eum in loco Prouinciæ noſtræ, vtpote contumacem, & ſacris Canonibus aduerſantem, ad functiones ſuas vnquam admittendum eſſe mandamus. Eoque fine Epiſcopus, in cujus Diœceſi talis patrata fuerit rebellio, hominem audacem ad Metropolitanum deferat, ceteros comprouinciales Epiſcopos certiores facturum, ne virum contumacem, & ſacris Canonibus aduerſarium vſpiam recipiant, ſed à ſe abjiciant; vt ſcilicet periculo ſuo diſcat, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordinem haud quaquam eſſe turbandum.

Illud tamen Concilium à tanto Cardinale habitum, probatum non eſt à ſummo Pontifice, fortè quòd nemo de ejus approbatione ſollicitè ſategerit.

Nihilominus in numeroſiſſimo conuentu Cleri Franciæ ann. 1625. præſidentibus Cardinalibus de Sourdis Archiepiſcopo Burdegalenſi, & de la Valette Archiepiſcopo Toloſano, ita Statutum eſt cap. 2. *Cùm neceſſitas, qua oues aſtringuntur audire vocem Paſtoris, & Paſtor cognoſcere defectus ouium, occaſionem dederit Eccleſiæ decernendi, vt populus ſaltem vno ex tribus Dominicis diebus, Miſſæ parochiali intereſſet? lex iſta ſollicitè ſeruari debet, tum vt propriæ Eccleſiæ debitum obſequium reddatur, tum vt attentè percipiantur ea quæ in Prono doceri ſolent, puta veri Chriſtiani officia, denuntiatio feſtorum, jejuniorum, exhortationum paſtoralium, & cenſurarum, aliaque id genus, quæ*

Digitized by Google

ibi addiſcuntur. Quamobrem Religioſis prohibetur, ne vllam doctrinam proponant, aut conſilium ſubminiſtrent huic legi contrarium. Et vt populo ſubtrahatur prætextus, quo à Miſſa parochiali auocetur, prohibitum eſt eiſdem Religioſis, iis horis, quibus Miſſa parochialis celebratur, concionari, proceſſiones celebrare, publicos conuentus in ſuis Monaſteriis habere.

Variis quoque celebratis poſtea comitiis generalibus Cleri Gallicani, eadem lex renouata eſt, & quidem in comitiis ann. 1645. prædicta Conſtitutio hoc art. 3. explicata, iterum ſancita fuit.

§. 18.

De Conciliorum Italicorum poſt Tridentinum ſententia.

ABSOLVTIS Conciliis Gallicis ad Italica veniendum eſt; quæ cùm ſint capiti maximè conjuncta, ideo ex ipſorum votis colligere eſt, quid etiam exoptaret Eccleſiæ caput ſummus Pontifex, quid cuperet, ſi ad reſtaurationem diſciplinæ, ejúſque ex integro accuratam obſeruationem, populorum animos dociles, Regularium autem pacificos, ſperaret.

Occurrunt 1. Concilia Mediolanenſia, habita à ſancto Carolo Borromeo, in quibus plurima paſſim circa Miſſæ parochialis fructum, & vtilitatem, diſſeruntur; plurima quoque ad impedimenta, quæ à Miſſa parochiali populos auocare poſſent, tollenda, ſtatuuntur. Vt omittamus cetera, Mediolanenſe 4. Conſtitutionum parte 2. Tit. Quæ pertinent, ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, & diuina officia: *Epiſcopus,* inquit, *omnibus Miſſam in oratorio priuato celebrandi facultatibus hactenus conceſſis, certos limites, modúmque præfiniat; ita vt præter cauſas, quas magnas, & vrgentes is judicauerit, in ipſis priuatis oratoriis Miſſam celebrari, ex facultatibus illis deinceps non liceat, niſi hoc fuerit à ſede Apoſtolica indultum: quam moderationem diligenter adhibeat. Item ſi quando in poſterum ejuſmodi facultatem concedendam cenſuerit, ne in oratorio, Eccleſiáve, quæ vel nuper extructa eſt, vel in poſterum extruetur, Miſſæ celebrandæ facultas detur, permittatúrve, niſi ſaluo jure,*

Digitized by Google

ac planè ſine præjudicio Eccleſiæ parochialis, niſi ob cauſam, Epiſcopo quandoque aliter videatur. Curandum eſt omni diligentia, vt ſalutarem fructum capiat fidelis populus ex laboribus & officiis, quæ à Parocho diebus Dominicis, & feſtis, inter Miſſarum ſolennia, aut diuina officia, vel alia quacunque occaſione præſtari, etiam ex Tridentino Concilio debent. Quamobrem Concilij etiam Tridentini auctoritate, vt in Eccleſiam parochialem frequenter, ſaltem Dominicis & majoribus feſtis diebus fideles conueniant, Epiſcopus eos, quorum paſtoralem curam gerit, diligenter ac ſæpius moneat: literas propterea eo de genere ab eodem Epiſcopo edendas, ac etiam inſtructiones noſtrâ curâ, ad communem Prouinciæ vſum conficiendas, ſæpe populo, prout vſu venerit, Parochus de ſcripto recitabit. Eadem parte, Tit. De Parochiis & Parochialibus juribus, vrget maximè Concilium oblationum in Miſſa parochiali inſtitutum reſtitui: quod quidem reſtitutum Miſſæ parochialis obligationi maximè faueret: De eo autem hæc accipe: *Oblationum inſtitutum jampridem ab Apoſtolicis vſque temporibus, Apoſtolico etiam canone Sancitum, ſanctiſſimorúmque Pontificum, Melchiadis, Fabiani, & Gregorij Conſtitutionibus, & Conciliorum præterea decretis communitum, quo grauiùs his temporibus à fidei doctrinæque catholicæ hoſtibus exagitatur, & langueſcente pietatis ſtudio, quo magis à fidelibus negligitur, hoc diligentiùs ſeruari, atque ad executionis vſum, vbi intermiſſum eſt, reuocari, conuenit: cùm præſertim & ad diuinum cultum illud pertineat, & populis ſalutare ſit, ad expiandaque peccata vtile. Quare Epiſcopi in ſua quique Diœceſi, & ſuis, & Concionatorum ſermonibus, & omni alio perſuadendi, cohortandíque officio, omníque juris ratione, illud vbi eſt, retineri; ac vbi negligitur, reſtitui ſtudioſè ad ſacrorum Canonum præſcriptum, ita curent, vt in ſolennitatibus ſcilicet Domini, diebúſque Dominicis, ac feſtis, item quos coli, aut præcepti, aut conſuetudinis eſt, omnis Chriſtianus aliquid, prout ſua quiſque pietate deuotionéque maluerit, Deo offerre procuret, ídque in Eccleſia vel Cathedrali, cùm ad Miſſæ ſacrificium, quod ſolenniter celebratur: vel in Parochiali, cùm à Parocho, conuenerit.*

Plura alia circa hunc ritum legantur ibidem, ſed non curſim, neque obiter. Attentè autem hęc legantur, quæ integram

Miſſæ parochiali debitam præſentiam oſtendunt. *Qui verò oblaturi ſunt, Miſſæ ſacrificio, in quo oblatio fiet, ab initio piè deuotéque interſint: nec verò inde abeant, niſi vbi peracto ſacrificio, benedictionem ſacerdotalem demum acceperint, quæ in fine Miſſæ de more fit.*

Mediolanenſe 6. Tit. De Parocho & Parochis, vota Epiſcoporum circa reſtitutionem iſtius diſciplinæ feruentiſſima oſtendit. *Nam,* inquit, *& canonum ratio, & diſciplina eccleſiaſtica id maximè poſtulat, vt ad Eccleſiam parochialem fideles quàm frequentiſſimè conueniant: id quod ab Epiſcopis accuratè eos moneri Synodus Tridentina piè ſalubritérque decreuit: cujus decreti auctoritate, vt pro eo quod debemus planè obtemperemus, in vſúmque Prouinciæ noſtræ inducamus, quod bene agendi rationibus vſuíque optimè conſultum eſſe animaduertimus, literas monitionis eo de genere explicatas hoc prouinciali Concilio 6. edimus, quas in omni parochiali totius Prouinciæ noſtræ Eccleſiæ certis feſtis diebus, quos pro ſuæ Diœceſis ratione Epiſcopus præſtiterit, de more promulgari decernimus: quo diligentiùs Parochiales admoniti, cùm officij religioſi partes facilè intellexerint, quas ſuæ quiſque Eccleſiæ parœciali debent, incitata quadam voluntatis propenſione exequantur, quod de ſacra ſancti illius Concilij ſententia eos ſalutariter, & quàm ſæpiſſimè monitos eſſe, volumus. Id verò non hac ſolùm noſtra prouinciali cohortatione, monitionéque contenti Prouinciæ noſtræ Epiſcopi præſtandum curent; ſed omni alia præcipua paſtoralis curæ ratione, quam ejus rei vſui accommodatiorem, potiorémque eſſe, cenſuerint.*

Hoc decreto, quamuis imperij, præcepti, pœnæ & verbis abſtineat Concilium, potentiſſimè tamen mihi videtur Parochiarum cauſam egiſſe, vt in iis audiendas Miſſas eſſe perſuaderet. Si enim *canonum*, vt aiunt iſtius Synodi Patres, *ratio id maximè poſtulat*, quomodo non præuaricator canonum eſt, qui Miſſæ parochiali ſæpiſſime intereſſe negligit, quando commodè poteſt? *Si diſciplina eccleſiaſtica idipſum exigit,* vt aiunt quoque: neglectæ ergo diſciplinæ eccleſiaſticæ reus eſt, qui Miſſæ parochialis audiendæ morem non curat: At Chriſtianum diſciplinæ Eccleſiaſticæ negligentem eſſe, per ſe graue eſt. Nam vt ait Cyprianus tract. De diſciplina

plina & habitu Virginum: *Diſciplina cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris ſalutaris, fomes aut nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis, facit in Chriſto manere ſemper, ac jugiter Deo viuere, & ad promiſſa cæleſtia, & diuina præmia peruenire. Hanc & ſectari ſalubre eſt, & auerſari, ac negligere, lethale.* In Pſalmis loquitur Spiritus Sanctus. (Pſ. 1.) *Continete diſciplinam, ne fortè iraſcatur Dominus, & pereatis à via recta, cùm exarſerit citò ira ejus ſuper vos.* Et iterum (Pſal. 49.) *Peccatori autem dixit Deus, ad quid exponis juſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum: tu autem odiſti diſciplinam, & abjeciſti ſermones meos retro.*

Deinde motum ſe dicit Concilium ad hæc decernenda circa Miſſam in Parochia audiendam, auctoritate Concilij Tridentini: Atqui fideles ab Epiſcopis, etiam pœnis cogi ad id officium præſtandum juſſit Concilium Tridentinum, vt ſupra vidimus. Adde quòd ipſum Concilium Mediolanenſe ſatis facit poteſtatem Epiſcopis puniendi contumaces, & contradictores, dum hæc ſubjicit: *Id verò, non hac ſolùm prouinciali cohortatione monitionéque contenti, præſtandum curent, quod intendunt; ſed omni alia præcipua paſtoralis curæ ratione, quam ejus rei vſui accommodatiorem, potiorémque eſſe, cenſuerint.*

Ceterùm, exarata, quæ ibi ſubſequitur paſtoralis admonitio ad frequentandam pro audienda Miſſa Eccleſiam parochialem, ſingulares rationes complectitur, quibus Miſſæ parochialis dignitas, vtilitas, neceſſitas comprobari queat: quemadmodum ex ipſius propoſitione. atque explicatione poſtea eluceſcet.

Mediolanenſibus Decretis ſimilia ſunt alia Synodorum Italicarum: cujuſmodi ſunt iſta, quæ ann. Chriſti 1599. à Ioanne Fontana Ferrarienſis Eccleſiæ Epiſcopo promulgata ſunt, v. g. Decreto 129. *At Epiſcopo, aut Parocho concionante nemo diſcedat, niſi concione abſoluta. Nam & decreto Concilij Carthaginenſis, qui in hoc deliquerant, Sacramentorum communione priuabantur: & à Tridentino præſcriptum eſt, vt Miſſam, & verbum Dei in ſua quiſque Parochia audire debeat.* Nota verbum, *debere*, quod obligationem ſonat, & legem: verba

Digitized by Google

item, *Miſſæ, & verbi Dei*, ne quis ſolum verbum Dei à Tridentino Concilio præcipi audire dicat, non autem Miſſam. Item Decreto 151. *Parochi ſæpius moneant populum, vt Concilij Tridentini auctoritatem ſequuti, ad parochialem Eccleſiam frequenter, Dominicis ſaltem, & majoribus feſtis conueniant.* Et Decreto 159. quo oblationum quæ à fidelibus fiunt, antiquitas pietáſque commendatur. Conſtitutiones, & Decreta publicata in Synodo diœceſana Arretina, à Petro Vſimbardio, Arretij Epiſcopo, & impreſſa Florentiæ ann. 1597. tit. De Eccleſiis, Oratoriis, & Altaribus: *In Oratoriis priuatis, quamuis ritè inſtructis, & prouiſis, nullatenus Sacrum celebretur diebus feſtis, antequam Miſſa, & ſermo parochialis abſolutus ſit: ne populus à parochiali Eccleſia auocetur.* Et tit. De Parochis: *Quapropter frequenter à Parocho hortandus eſt populus, vt Miſſæ in ſua Parochiali interſit, monendúſque diligenter, debere vnumquemque* (vt ſacra Tridentina Synodus teſtatur) *in propriam Eccleſiam diebus ſaltem feſtis, conuenire ad verbum Dei, atque ad opportunas aliarum rerum denunciationes audiendas. Verbum autem Dei iiſdem diebus, inter Miſſarum ſolennia prædicare, provt ſupra ex Concilij Tridentini præſcripto ſancitur, nunquam ceſſent Parochi: etſi multi extent parùm ſuæ ſalutis memores, qui vel cœpta concione diſcedant, vel ei grauatè & coactè fere intereſſe demonſtrent, vel ad Miſſam ſe minimè conuenturos declarent, niſi à concionando deſiſtant: ſed eos, vbi priùs blandis admonuerint verbis, corripuerint deinde & grauiùs increpauerint, ſi in contumacia perſeuerare perſpexerint, ad Epiſcopum deferant, vt contemptus ra.ione habita, eos meritis pœnis afficiat, & etiam Sacramentorum communione priuet, vt Conciliorum etiam generalium decretis jampridem ſancitum reperitur.* Denique vt innumera alia prætermittam, inter decreta Synodi diœceſanæ Rauennatis, primæ à Petro Cardinale Aldobrandino Archiepiſcopo celebratæ an. 1607. tit. De ſacrificio Miſſæ, num. 27. illud legimus: *Ne Miſſa parochialis in Diœceſi, aliarum Miſſarum celebratione turbetur, caueatur ne in Eccleſiis, Oratoriis, ſeu Capellis laicorum, etiamſi ſcholarum & confraternitatum ſint, intra fines ejuſdem Parochiæ conſtitutis, in quibus permiſſa eſt Miſſarum celebratio, illo eodem tempore Miſſa dicatur, quo*

Digitized by Google

Parochus Deo ſacrificat: neque Miſſam parochialem præuenientes, aut ſubſequentes, Parochis vllum afferant detrimentum, ſub pœna noſtro arbitrio infligenda: niſi Parochus ipſe licentiam, ob honeſtam cauſam, aliquando conceſſerit.

Ex iis autem omnibus colligimus jure communi, tam veteri, quàm nouo, per Concilium Tridentinum confirmato, obligari fideles omnes & ſingulos, vt ad ſuas Parochias diebus ſaltem Dominicis, & majoribus feſtis, pro Miſſa audienda conueniant. Ius iſtud commune ex Concilij Tridentini conſtitutione, non obſtantibus quibuſlibet conſuetudinibus & priuilegiis præcedentibus, ſubſiſtere. Galliam totam in Comitiis Cleri generalibus, hanc legem amplexam fuiſſe, & retinere etiam nunc, vt patet ex ea ipſa ordinatione quam illuſtramus. Concilia plurima Gallicana, eáque à ſummis Pontificibus probata ex Concilio S. R. E. Cardinalium, pœnas etiam addidiſſe: vt etiam videre eſt ex Ritualibus longè plurimis, in quibus decernitur excommunicatio aduerſus eos, qui per tres dies Dominicos continuos à Miſſa parochiali abſuerint. Omnes demum fere Epiſcopos quandam in ſuis ſtatutis Miſſæ parochialis obligationem inſinuaſſe, & ejus fructus atque vtilitatem plurimùm commendaſſe. Quòd ſi qui hac de re tacuerint; nemo certè improbauit conſilium aliorum Epiſcoporum, qui cùm poſſent retinere morem antiquum, illum acriter defenderunt: quin immo felicem ſtatum illius Eccleſiæ videntur cenſuiſſe, in qua antiqua inſtituta, præſertim iſtius circa Miſſam parochialem diſciplinæ, ſeruarentur. Quare totus Chriſtianus orbis, etiam approbante ſummo Pontifice, videtur conſenſiſſe in Miſſæ parochialis audiendæ ſalutarem obſeruationem: Et ſi diſſenſus aliquis fuit, totus ille non varietatem judiciorum, ſed varietatem circunſtantiarum oſtendit. Nam qui putarunt Epiſcopi, ſe poſſe hanc diſciplinam reſtituere, præcipere auſi ſunt; qui non putarunt ſe poſſe executioni demandare, non præceperunt, ſed de impotentia conqueſti ſunt. Vniformis ergo ſenſus Eccleſiæ, ſi diſcolos & irregulares quoſdam ex iis qui ſe regulares per excellentiam dicunt, remoueas, totius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ communis

Digitized by Google

vox eſt pro eo diſciplinæ capite laborandum eſſe in primis. Quod ſi inſuperabiles occurrant difficultates, quominus adimpleatur, votis tamen ardentibus optetur, nec res adiaphora credatur, aut parum vtilis.

§. 19.

Sententia Doctorum de Miſſa parochiali.

IN eandem ſententiam abiuerunt melioris notæ cùm Theologi, tum Iuriſperiti, quibus præit Innocentius IV. in cap. *Vt Dominicis*, de Parochiis. Hoſtienſis, Ioannes Andreas Abbas, & ceteri canonici Iuris interpretes: Henricus de Gandauo opuſculo hac de re edito; Ioannes Gerſon ſerm. habito in Eccleſia cathedrali in ſupplicatione generali celebrata auctoritate Domini Epiſcopi Pariſienſis, 3. Dominica Quadrag. ann. 1409. Doctores Pariſienſes, tum ad varias cenſuras edendas collecti, tum etiam priuatis ſuis ſcriptis & prælectionibus. Contraria autem ſententia nullos habet fautores, niſi vel Religioſos juris communis non adeo ſtudioſos, ac priuilegiorum, quæ in ſuorum Ordinum fauorem cedunt, vel paucos alios anticipata opinionum ab ipſis Religioſis diſſeminatarum auctoritate, deluſos. At certè nulla ſolida ratione fulciuntur: non vllius quidem Concilij Eccleſiaſtici decreto: non ſummi Pontificis diplomate, niſi fortè reuocato: non vſu rationabili, & legitimè præſcripto: non demùm vlla vtilitate Eccleſiæ, vel fructu aliquo ſpiritali, qui exinde conſequatur: quibus tamen omnes Eccleſiæ ordinationes vel priuilegia inniti debent.

§. 20.

Reſponſio ad Bullam Leonis X.

PRIMVM ergo duorum præſertim ſummorum Pontificum Bullæ proponuntur, quibus Miſſæ parochialis obligationem leuare conantur Aduerſarij. Prima, eſt Bulla Leonis X. data Romæ die 13. Nouemb. ann. 1517. Pontificatus ipſius ann. 5. quæ 25. eſt in Bullario Cherubini, tom. 1.

Digitized by Google

Intelleximus quoſdam in dubium reuocare, & perinde timoratis conſcientiis ſcrupulum injicere, ſi Chriſti fideles, qui Dominicis, & feſtis diebus extra Eccleſias ſuas parochiales Miſſas audiunt, in Eccleſiis Fratrum ordinum Mendicantium, Eccleſiæ præcepto de Miſſa audienda ſatisfaciant. Nos autem ambiguitatem hujuſmodi penitus tollere volentes, vt cum ſinceriori conſcientia, fideles quique Deo Creatori ſuo ſeruiant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium notum facimus, omnes Chriſti fideles vtriuſque ſexus, qui (non contempto proprio Sacerdote parochiali) in Eccleſiis Fratrum ordinum Mendicantium, Dominicis, & feſtis diebus Miſſas audiunt, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnámve incurrere.

Ad hanc Bullam plura reſponderi poſſunt.

Primum, Conſtitutionem iſtam probare tantùm duo. Vnum, quod ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, qui in Eccleſiis Fratrum Mendicantium Miſſam diebus Dominicis, & feſtis audierit: quod nequaquam inficiamur. Nam ſicut Parochus ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, vel dicenda, qui extra Parochiam ſuam Miſſam dicit, vel audit: licet non ſatisfaciat officio ſuo Parochi, nec legi, qua tenetur Parochianis ſuis Miſſam celebrare: ita qui audit Miſſam die Dominico, vel feſto extra ſuam Parochiam, ſatisfacit quidem præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, verùm non ideo explet officium boni Parochiani. Alterum non contrahere labem peccati mortalis, qui apud Mendicantes Miſſam audiunt, & hoc etiam jam nemo affirmat; Quamuis enim, vt ſuperiùs oſtendimus, vetitum eſſet olim Regularibus admittere Seculares ad Miſſas in ſuis Oratoriis audiendas; & populis, latebras quærere Oratoriorum ad Miſſam audiendam: attamen vbi Sacrum facere patente Eccleſia, Mendicantibus conceſſum eſt, nemo peccati mortalis reus habitus eſt, ſi quocunque die etiam feſto, etiam feſtiuiſſimo, v. g. Paſchatis, Miſſam in Eccleſiis Mendicantium audiat: dummodo de cetero Miſſæ in Parochia aliiſque diuinis officiis ſatisfaciat. Bulla ergo Pontificia non eſt amplianda vltra proprium ſenſum, vt ſtatutam à Canonibus obligationem audiendæ Miſſæ parochialis excludat. Iſta

Digitized by Google

ſolutio traditur à Gloſſa in Clementinam vnicam, De exceſſibus Prælatorum, v. *audiant*. Nam ibi Clemens V. in Concilio Viennenſi Epiſcopos reprehendit, tanquam moleſtiam Religioſis inferentes: qui ſcilicet interdicunt: *Ne aliqui Miſſas eorum audiant*. Addit Gloſſa: *Quod tamen licet ſine prajudicio Parochialium Eccleſiarum*, De Parochiis, cap. 2. *Quod dic vt ibi, & quod eis offertur ſuum eſt*, De ſtatu Monachorum cap. 1. *Religioſi tamen non debent aliquos retrahere ab acceſſu, vel frequentia ſuarum Eccleſiarum*, Cap. 1. De priuilegiis & exceſſibus priuilegiatorum.

2°. Quantumcunque admitteremus Leonem X. Mendicantibus conceſſiſſe, ſeu potiùs populis in eorum gratiam, vt audientes Miſſam in eorum Eccleſiis, tam Parocho ſuo, quàm Parochiæ ſatisfaciant, & ab omni onere exſoluantur conueniendi ad Miſſam parochialem: ſeu vt frequentantes Eccleſias Mendicantium, ſuam Parochialem frequentare cenſeantur: tamen hæc Bulla dici poſſet non recepta in Galliis, in quibus contraria decreta, etiam à ſummo Pontifice probata, multa leguntur, ex prędictis. Lexque etiam communis, in Concilio Tridentino ſancita, poteſtatem Epiſcopis fecit, vt qua meliori ratione ipſis videretur, obligationem iſtam confirmare poſſent, *non obſtantibus quibuſlibet priuilegiis & conſuetudinibus*: ita vt licuerit ipſis deinceps, ſaltem nulla de nouo ſuperiori accedente auctoritate, non ſolùm præcepti obligatione, verùm etiam promulgatione cenſurarum, aliarúmque pœnarum indictione, obligationem Miſſæ parochialis audiendæ ſancire, & confirmare.

Vnum addo, videndum lectori, vtrum ſatius ſit abrogare jus totum antiquum, & Conſtitutiones nouas Conciliorum à Romano Pontifice approbatorum, quibus expreſsè dicitur Parochianos teneri ad audiendam Miſſam parochialem, prætextu Bullæ Leonis X. quæ obligationem iſtam expreſsè non tollit, nec antiquas Conſtitutiones abrogat, nec ferendas interdicit: quàm aſſerere, nulli ex his Conſtitutionibus per illam Bullam Leonis X. derogari aut præjudicari; cùm nec diſertè de tollenda obligatione per iſtos canones inducta loquatur, nec induci poſtea quibuſcunque legibus pro-

Digitized by Google

hibeat, nec quidquam ſtatuat, ex quo obligatio illa tollenda eſſe certò inferatur.

§. 21.
Reſponſio ad Bullam Pij V.

ALTERA Bulla objicitur Pij V. ex ordine Mendicantium ab eo edita die 23. Septembris ann. 1571. apud Cherubinum 41. incipit autem: *Etſi Mendicantium*: in qua §. 8. hæc proponitur Regularium querela, *quòd aliqui ſingulis Dominicis diebus in ſuos Parochianos, ad ſonum campanæ excommunicationem promulgant, vt non poſſint intereſſe Miſſis concionibus, & diuinis officiis, niſi in propria Parochia.* Quod inferebant illi ex ſeſſ. 22. Concilij Tridentini Decreto, quo populum moneri vult, vt ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtiuis diebus ad ſuas Eccleſias conueniat &c. Nam num 8. Conſtitutionis ſuæ Decretum iſtud ita explicat: *Volúmus quòd Fratribus Mendicantibus hujuſmodi, non ſolùm prohiberi non poſſit, ne Miſſas, & alia diuina officia faciant in eorum Eccleſiis: verùm etiam in quibuſcunque aliis celebrari Miſſas ſolitum eſt, etiam ipſis non vocatis, ſeu ad id requiſitis, celebrare valeant: ac etiam quòd conciones, & lectiones ſacræ Scripturæ, & ſermones pro mortuis, etiam in Eccleſiis facere, ac eleemoſynas pro celebrandis hujuſmodi Miſſis, & aliis diuinis officiis peragendis, ſi eis illas donari, ſeu relinqui contingat, recipere: necnon Miſſas, & diuina officia hujuſmodi, etiam in diebus Dominicis vel feſtiuis, etiam antequam Rector parochialis celebrauerit, celebrare & facere: & quando eis videtur, etiamſi tunc in Eccleſia cathedrali prædicetur, prædicare. Ac etiam quicunque vtriuſque ſexus Chriſti fideles, totius anni tempore illas Miſſas, & illa officia, in Eccleſiis Fratrum hujuſmodi audire poſſint: ipſi Chriſti fideles vllatenus deſuper moleſtari, aut impediri per locorum Ordinarios, ſeu Rectores parochialium Eccleſiarum, aut alios quoſcunque, vllo pacto, cauſa, vel occaſione non valeant, ſeu debeant: ſed præfati Chriſti fideles audiendo Miſſas, & alia diuina officia in Eccleſia Fratrum hujuſmodi diebus Dominicis, aut feſtiuis, præcepto Eccleſiæ de illis audiendis ſatisfeciſſe, cenſeantur.*

Huic Conſtitutioni Pontificiæ inſerta ſunt plurima, quæ

nihil ad rem faciunt, nec facere poſſe videntur: quæque in reſponſione prætermiſſa volumus. Aliqua hîc notabimus, quæ rem attingere videntur, licet expreſsè non tangant: de quibus nobis erit reſpondendi locus. Nihil eſt autem quod explicitè aut directè quæſtionem attingat. Nam quòd Epiſcopi aliqui vetarent quemquam in Eccleſiis Mendicantium Miſſas audire diebus Dominicis, & feſtis; ſummus autem Pontifex grauamen iſtud, & moleſtiam Mendicantibus inferri nolit, non eſt ad propoſitum. Neque enim etiam illi, qui præceptum putant Miſſam parochialem audire, interdictum volunt, Miſſam in Eccleſiis Mendicantium audiri; quaſi non eodem die duæ Miſſæ audiri poſſint. Si enim Regulares inferri nolunt, ex eo quòd moneantur fideles, vt Miſſæ parochiali interſint, deterreri eoſdem ne in Mendicantium Eccleſiis Miſſas audiant; quomodo inferre poterunt, ex eo quòd permittatur Miſſæ in Eccleſia Mendicantium auditio, quod ejuſdem in Parochia audiendæ nulla ſit obligatio. Similiter quantumuis dicat Pius V. ſatisfacere præcepto audiendæ Miſſæ, qui in Eccleſia Mendicantium Miſſam audierit: colligi non poteſt, aut dixiſſe, aut inſinuaſſe, nulli eos officio ſuo deeſſe, nullam legem præuaricari, qui diebus Dominicis, aut majoribus feſtis Miſſam parochialem audire contempſerint. Neque etiam tollit Miſſæ parochialis obligationem, qui eo tempore quo ipſa celebratur, alias Miſſas dici, conciones fieri, officia diuina celebrari, permittit: auocat quidem ille indirectè à Miſſa parochiali, ad quam hortatur Eccleſia, impedimenta ſcilicet permittendo, quibus homines ab ea retardari poſſunt; ſed non permittit, vt qui obligati ſunt, iis impedimentis alliciantur ad omittendum officium ſuum; idcóque legimus ſupra, tam Gallicis quàm Italicis Conciliis prohibitum, ne conciones, aut Miſſæ eo tempore (quo parochialis Miſſa celebratur) aut dicantur, aut agantur: cùm tamen ſaltem Conciliis Italicis nolint Aduerſarij auditionem Miſſæ fuiſſe præceptam.

Eadem Conſtitutio infirmatur ex iis quæ in Greg. XIII. Bulla 8. edita ann. 1572. Idibus Nou. ann. 1. Pontificat. apud prædictum Cherubinum, tom. 2. obſeruantur. Primò enim

notat

Digitized by Google

notat ſtatim initio Greg. in tanta rerum & negotiorum mole, qua Rom. Pontifex ex omnibus mundi partibus aſſiduè premitur, vix vitari poſſe, ne aliqua interdum exiliant, quibus poſtea recognitis, neceſſe ſit moderaminis remedium adhibere. Secundò, varia circa præcedentem Pij V. Conſtitutionem ab ipſo Pio immutata fuiſſe notat Gregorius. Tertiò, addit idem Gregorius juxta liberam ipſius Pij V. confeſſionem, multa aliter alióque ſenſu prolata fuiſſe, quàm literis expreſſa eſſent. Quæ tria Bullarum, in fauorem Mendicantium editarum, ordinaria vitia indicantur: puta, obreptio; imprudentia nonnunquam, quam experientia corrigit; falſa, & diſtorta Bullarum iſtarum à Mendicantibus contra ſenſum Legiſlatoris interpretatio: quæ omnia Conciliorum decretis, iis præſertim quæ à ſummo Pontifice examinata ſunt, & probata, qualia plurima pro Miſſæ parochialis obligatione retulimus, vix objici poſſunt. Quartò, prædicta omnia Prædeceſſoris ſui decreta eâ Bullâ contenta, necnon prohibitiones, declarationes, mandata, eâ cauſâ vel occaſione facta, quibuſcunque clauſulis vel verbis expreſſa, tollit & irritat ſua Conſtitutione Greg. XIII. & ad terminos juris communis ac Concilij Tridentini reuocat: *Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, conuentuum, domorum, locorum & ordinum quorumcunque juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis* &c. Quare prædicta Pij V. conſtitutio nihil aduerſùm nos vrget, quia nullius auctoritatis eſt, vtpote reuocata & irrita: Ejus verò reuocatio multa tradit, quæ ſummorum Pontificum diffidentiam erga Bullas à Regularibus extortas inſinuare poſſint. Greg. verò XIII. quæ mens circa Miſſas parochiales fuerit, oſtendunt tot Conciliorum ſuperiùs à nobis adductæ per ipſum confirmationes; quæ, accedente reuocatione Bullæ Pij V. ab eodem facta, certam & indubitatam pro Miſſis parochialibus obligationem oſtendunt.

Digitized by Google

§. 22.

Reſponſio ad declarationes D. D. Cardinalium.

OBIICIVNTVR præterea quædam Declarationes Dominorum Cardinalium, cum Deciſionibus Rotę Romanæ, è bibliotheca Proſperi Farinacij Romani Iuriſconſulti, in decretum Concilij ſeſſ. 22. de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ; cujus declarationis, ſeu potiùs deciſionis tenor hic eſt: *Populus monendus eſt, vt Dominicis diebus, & feſtis majoribus in ſuis Parochiis Miſſas audiat; non tamen eſt ad id per cenſuras eccleſiaſticas cogendus; ſed neque pœnis, neque mulctis poſſit Epiſcopus populum aſtringere, neque in caſu notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, non modò vt populus accedat ad audiendam Miſſam & ſacram Concionem ad Eccleſiam parochialem; ſed etiam pueri cogi non poſſunt ad diſcendam doctrinam Chriſtianam.* Ibidem, ſubjungitur paulò poſt hæc Dominorum Cardinalium declaratio circa excommunicationem ferendam in eos, qui diebus Dominicis non accedunt ad matricem vel parochialem Eccleſiam pro Miſſa audienda: *Congregatio cenſuit hanc pœnam excommunicationis nullo decreto Concilij impoſitam fuiſſe, ſed tantùm injunctum Epiſcopis, vt moneant populum, vt frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis, accedat*, vt loquitur in præſenti cap. *Item, moneant populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei*, vt loquitur ſeſſ. 24. cap. 4. Denique in cap. 4. Decreti de reformatione ſeſſ. 24. hæc declaratio ſubditur: *Ordinarius non poteſt mulctis & pœnis, etiam in cauſa notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, cogere populum ad audiendam Miſſam & ſacram Concionem in Eccleſia parochiali; nec pueros ad diſcendam doctrinam Chriſtianam, etiamſi hoc fieri voluerit in oppidis, villis, aut aliis locis extra ciuitatem.*

Item, pœnam excommunicationis vel alias quaſcunque excludit, quibus populus compellatur ad audiendum verbum Dei in Parochia: *Nam*, inquit, *populus admonendus eſt, vt diebus Dominicis & feſtis majoribus frequentet ſuas Paro-*

Digitized by Google

chias : Excommunicandus tamen non eſt, ſi monitioni non paruerit. Hoc aduerſariorum potiſſimum fundamentum eſt, quod ad nauſeam repetunt; ſed infirmum omnino & imbecillum. Primò enim, Deciſiones Rotæ Romanæ habendæ tantùm ſunt in Galliis, pro reſponſionibus prudentum; nulliúſque ſunt auctoritatis, vt nos in Gallia adigant, nec judicia ſunt ſuperiora Epiſcopis. Imo nec Declarationes Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium in Galliis jus vllum faciunt aduersùs canonicam legem ab Epiſcopis receptam, aut vim vllam habent juridicam, niſi fortè quatenus Apoſtolico reſcripto firmantur. Vt enim ſummi Pontificis poteſtatem conjunctam habent, parendum ei cenſent Epiſcopi, qui ſe ſummo Pontifici obnoxios norunt; ſecluſa verò ſummi Pontificis auctoritate, nondum ejuſmodi Congregationibus jugum Epiſcopi Galli ſubiecerunt. Secundò, maxima pars Declarationum prædictarum dubiæ eſt fidei; ideóque ſummus Pontifex Vrban. VIII. collectionem à pluribus auctoribus factam iſtarum Declarationum, tanquam veritati minimè conſentaneam, reprobauit. Addunt etiam Regulares quidam, earum auctoritatem viliorem probantes, quòd ſæpe inter ſe contrariæ hujuſmodi Declarationes referantur. Quæ ratio mihi non placet: quia diſciplina poteſt diuerſis temporibus eſſe diuerſa, quam ipſæ ſequi debent. Quin etiam audent aliqui Regulares Declarationes iſtas nullius juridicæ auctoritatis aſſerere, nec vllam vim habere, niſi doctrinalem. Citant Sancheſium de matrim. tom.3. lib.8. diſp.2. num.10. Petrum Ledeſma in Summa tom. 1. de Sacram. pœnitent. cap.13. diffic. 1. Bonac. tract. de legibus, diſp. 1. quæſt. 1. pun. 8. num. 4. Ioannem Valerum in ſuis different. vtriuſque fori, v. *Abſolutio*, diffic. 1. n. 2. & v. *Nullitas*, diffic. 5. n. 2. & v. *Iuriſdictio*, diffic. 4. n. 2. Pontium de matrim. lib. 5. cap. 13. §.2. n.7. Zipenam in Nouo Iure Pontificio lib. 5. tit. de pœnitent. & remiſſ. n. 9. Serarium in prologo Bibl. cap. 19. q. 9. Delrium in Diſquiſitionibus magicis lib. 6. cap.10. ſeſſ. 3. Vegam in Summa tom. 1. cap. 62. caſu 4. Villalobos tom. 1. in Summa tract. 2. dub.7. n. 5. Dianam tract. 10. de legibus reſol. 29. qui omnes (inquit P. F. B. C. Ordinis

Minorum libro qui *Priuilegia Regularium* inſcribitur, cap. 1. propoſ. 3.) exiſtimant prædicta Decreta eſſe tantùm doctrinalia, & magnæ exiſtere auctoritatis, & ab eis non eſſe recedendum ſine firmiſſimo fundamento, nullam tamen imponere obligationem. Si qui tamen iis declarationibus fidem & auctoritatem tribuere debent, ij maximè ſunt Regulares, qui cùm ſe exemptos à poteſtate Epiſcoporum iactent, & Romanæ Eccleſiæ filios, ſpeciales hujus Eccleſiæ Proceres, Conſiliarióſque Papæ, vt in eadem Eccleſia Iudices, ac Senatores conſtitutos, reſpuere vix poſſunt; præſertim cùm de eorum priuilegiis agitur, quæ à voluntate Romani Pontificis pendent, cujus non tantùm R. E. Cardinales interpretes eſſe poſſunt, ſed maximè teſtes ſunt; adeo vt, vbi contra Regulares pronuntiant, ſi non eorum ſententia ſaltem teſtimonium magni momenti apud prudentes & æquos rerum diſpenſatores eſſe debeat. Tertiò, tantò minoris ponderis videtur eſſe hæc Declaratio, quòd Trident. Concilio manifeſtè reluctetur; vt non ejus declaratio, ſed corruptio, & deſtructio dici poſſit. Nam prædicta Declaratio fert, Epiſcopum neque ad Miſſam neque ad verbum Dei audiendum in Parochia quemquam compellere poſſe per cenſuras, aut alias pœnas: contra verò Concilium Trident. ſeſſ. 22. Decreto de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ, in fine de Miſſa parochiali ſic loquitur: *Moneant etiam populum, vt frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis, accedant. Hæc igitur omnia quæ ſummatim enumerata ſunt, omnibus locorum Ordinariis proponuntur, vt non ſolùm ea ipſa, ſed quæcunque alia huc pertinere viſa fuerint, ipſi pro data ſibi à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam vt delegati Sedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, atque ad ea inuiolatè ſeruanda cenſuris eccleſiaſticis aliiſque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant, non obſtantibus priuilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcunque.* Et ſeſſ. 24. de reform. cap. 4. de audiendo verbo Dei in Parochia: *Moneátque Epiſcopus populum diligenter teneri vnumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.* Et paulo

Digitized by Google

poſt: *Iidem etiam* (Epiſcopi) *ſaltem Dominicis, & aliis feſtiuis diebus, pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter, ab iis ad quos ſpectabit, doceri curabunt, &, ſi opus ſit, etiam per cenſuras eccleſiaſticas compellent, non obſtantibus priuilegiis & conſuetudinibus.* Epiſcopum per cenſuras compellere poſſe ait Concilium, prædictæ Declarationes negant. Quibus credendum? Quartò dici poteſt Dominos Cardinales & Auditores de Rota, vſum Italiæ ſequutos, juxta illum declaraſſe & judicaſſe in cauſis Italiæ: hæc autem nihil omnino facere ad Galliam, nec ad nos ſpectare, qui antiquæ diſciplinæ tenaciores, viuendum duximus moribus antiquis, præſertim quorum renouatio auctoritate Pontificiâ confirmata eſt, nec Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſiue in Miſſa parochiali audienda, ſiue in tractatu inter hujuſmodi Miſſarum ſolennia haberi ſolito audiendo, relaxationem vllam admiſimus. Conſultò igitur antiquæ diſciplinæ adhærebit Gallia, ſaltem in iis regionibus, in quibus Parochiarum ſplendor nondum extinctus eſt, & in quibus viget numeroſus & doctus Clerus. quæ certè diſciplina & ſalutaris populis, & Eccleſiæ honorifica eſt. Conſultò etiam forſan potuit Italia ad cordis duritiem indulgere, vt etiam extra Parochias tam Dominicis, quàm feſtiuis diebus majoribus, Miſſæ & conciones audirentur, cùm in ejus prouinciis Parochiarum ſplendor ferè extinctus ſit, Sacerdotum in Parochiis paucitate, concionum raritate, ceremoniarúmque & apparatus decore ferè abolito, ac demum populorum frequentiâ ferè nullâ. Imponere itaque obligationem populis, cujus obſeruatio nulla ſperetur, imprudentiæ viſum eſt, non curæ paſtoralis. Nec dubitamus ipſis etiam Italis optabilius videri, & ad Eccleſiæ decorem ac majeſtatem ornatius, noſtro more vti, quàm ſuo; & ſi facilè inſtituta noſtra circa Parochias reſtitui apud eos poſſent, præſtantius fore, ac vtilius crederent ea ſeruare, quàm rejicere.

§. 23.

Reſponſio ad conſuetudinem contrariam.

VRGENT vltimò Regulares, prædictas, quas protulimus, Eccleſiæ vniuerſæ, & Gallicanæ leges contraria conſuetudine abolitas fuiſſe, innumeros jam viros bonos & pios à Parochiis diebus Dominicis & feſtis abeſſe, nec de Parochiali Miſſa aut verbo Dei in Parochia audiendo ſollicitos eſſe, ideóque de iis legibus nos multùm curare non debere. Item *conſuetudines quæ Eccleſiis grauamen inducere dignoſcuntur noſtra nos decere conſideratione remittere*, vt ait Gregorius Magnus lib. 1. epiſt. 64. ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem, & ex eo Gregorius IX. cap. 1. de conſuetudine. Fauorabile eſſe fidelibus populis quòd ab ea obligatione eximantur; commodiùs, ſæpius, & attentiùs, ornatiùs, & deuotiùs in Eccleſiis Mendicantium Miſſam ab iis audiri, quàm in Parochiis à doctioribus, eloquentioribus, ac pietatis & religionis fama præſtantioribus apud illos edoceri & inſtrui poſſe, quàm in Parochiis. Denique Doctores plurimos huic opinioni fauere, quòd nulla ſit obligatio Miſſæ parochialis audiendæ, aut verbi diuini in Parochia ſimiliter audiendi. Igitur tum præuaricatorum hujus legis exemplis, tum Doctorum auctoritate, ſaltem probabilius redditur, quòd nulla in iis obſeruandis ſit obligatio, vel neceſſitas, quàm quòd ad ea vllus teneatur. Reſpondeo 1. ſi de exemplis nudis tantùm agitur, nullam ferè eſſe legem, quæ non innumeris exemplis peccantium aboleri poſſit. Pauci ſanè jejunium quadrageſimale obſeruant; nec tamen eorum exemplo à lege immunes ſumus. Rectè Gregorius IX. cap. finali, de conſuetudine: *Cùm tantò ſint grauiora peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo ſanæ mentis intelligit naturali juri (cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit) quacunque conſuetudine, quæ dicenda eſt veriùs in hac parte corruptela, poſſe aliquatenus derogari. Licet etiam longæuæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas; non tamen eſt vſque adeo valitura, vt vel juri poſitiuo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè ſit præſcripta.*

Digitized by Google

Imperator Conſtantinus Auguſtus ad Proculum lib. 8. cod.tit. *Quæ ſit longa conſuetudo*, citatus à Gratiano Diſt.11. c. 4. *Conſuetudinis*,inquit,*vſúſque longæui non vilis auctoritas eſt; verùm non vſque adeo ſui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem*. Et Nicolaus I. Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo relatus diſt. 8. c. 3. *Mala conſuetudo, quæ non minùs quàm pernicioſa corruptela vitanda eſt, niſi citiùs radicitus euellatur, in priuilegiorum jus ab improbis aſſumitur; & incipiunt præuaricationes, & variæ præſumptiones celerrimè non compreſſæ, pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuo celebrari*. Quibus capitibus oſtenditur non exemplis nobis viuendum eſſe, ſed legibus, (vt habetur *l. Nemo cod. De ſententia & interlocutione omnium Iudicum*) nec conſuetudinis cujuſcunque eam vim eſſe, vt legem aboleat, rationibúſque præualeat, propter quas lex antea ſtatuta & inducta eſt, ſed conſuetudinem, vt legem abroget, debere eſſe rationabilem, & legitimè præſcriptam. Defendimus autem nullam eſſe in Galliis, ſaltem maxima ex parte, conſuetudinem, quæ duabus iſtis conditionibus donata ſit, vt aduersùs legem audiendæ Miſſæ parochialis militet. Si quæ enim profertur conſuetudo, hæc non eſt legitimè præſcripta. Ad hoc enim requiritur, non ſolùm vt exempla quædam contra legem proferri poſſint, ſed quòd conſuetudo judicio contradictorio probata ſit. *L. Cùm de conſuetudine. ff. De legibus. & cap. Abbate, de verborum ſignificatione*. Vel certè quòd qui conſuetudine vtuntur, eo animo vtantur, vt intendant ſiue credant ſe jus habere, ſibíque, & aliis impoſterum licere. *L. 1.* §. *Iulianus rectè ait, & L. vlt. ff. De itin. actúque pri.* Deinde non vt ſemel, aut iterum aduersùs legem agant; ſed toties, & tot in eandem actionem concurrant, vt legis nulla ferè videatur eſſe deinceps memoria, propter conſentientem populi aduersùs eam conſpirationem, conſenſum, operationem, 3. q. 6. c. *Hæc quippe*; & de verborum ſignificatione, c. *ſuper quibuſdam*. §. 1. & ff. *De aqua quotidiana & aſt*. L. hoc jure. §. ductus aquæ, & ff. *De aqua plu.* in ſumma §. idem Labeo, & ff. De prob. L. *Si arbiter*. Quòd ſi expendamus has omnes conditiones, patebit conſuetudinem quæ profertur,

Digitized by Google

talem nequaquam eſſe in Galliis. Nam ſingulis fere ſeptimanis lex prædicta renouatur. Epiſcopi in variis Comitiis & Synodis ipſam iterum atque iterum inculcant; Eccleſiaſtici Iudices Sententias ferunt. Magna pars fidelium, etiam qui eam tranſgrediuntur, conſcientiæ ſtimulis propterea agitantur: apud confeſſarios plurimi ſe negligentiæ, vel contemptus iſtius legis accuſant. Quæ, & ſimiles rationes quoſdam, etiam ex aduerſariis, induxerunt, vt in Galliis prædictam legem vſu abolitam non eſſe faſſi ſint. Azorius, Societatis Ieſu Theologus, inſtitutionum moralium parte 1. lib. 7. q. 5. reprehendit quoſdam Theologos, qui de rebus pronuntiantes ſibi ignotis, rem diuinam in ſua Parœcia audire aliquem debere, in toto Chriſtianorum orbe conſuetudine recepta abrogatam eſſe ſentiunt: *Ego autem*, inquit, *dubito, num ita generalis conſuetudo ſit hactenus introducta. Nam alicubi, vt in quibuſdam diœceſibus Flandriæ, Galliæ, & Germaniæ, Parochi contendunt, iis in locis contrariam eſſe conſuetudinem, cujus vi cogunt Parochianos ad ſuas Parochias accedere*. Certè notat Gloſſa in caput fin. De conſuetudine, v. *legitimè præſcripta*, difficile eſſe probare legem conſuetudine præſcriptam eſſe; adeóque nequidem de Galliæ quibuſdam prouinciis, in quibus infrequentior videtur eſſe populus ad Parochias ſuas, facilè inducar, vt credam legem de Parochiis frequentandis conſuetudine legitimè eſſe præſcriptam; præſertim cùm vigeant etiamnum rationes, propter quas lex frequentandi Parochias inſtituta fuit; puta, quòd *religioni conueniat* propter efficaciam precum ab hominibus vnanimiter in nomine Chriſti à Paſtoribus congregatorum, vnanimiter offerentium, vnanimiter audientium Deí verbum, & religionis varios actus exercentium *quod diſciplinæ congruat;* quia homines cogit, vt Paſtoris vocem audiant, vt ab eo inſtruantur, cognoſcantur, &, ſi opus ſit, corrigantur, Dei & Eccleſiæ præcepta doceantur, ſuperiorum Paſtorum monita, literas, adhortationes, informationes, quibus fidelium communio cum Paſtoribus cohæret, Eccleſiarúmque inter ſe confœderatio tenetur, & omnis diſciplina innititur, *denique quod ſaluti proficiat*. Nam certum eſt obedientiam, pietatem, & quid-

quid

Digitized by Google

quid Communionis Eccleſiaſticæ retinaculum eſt, vel quod Charitatem fouet, id maximè ſaluti proficere. Quandiu autem rationes iſtæ perdurant, tamdiu legem ſubſiſtere, docere videtur Iſidorus cap. 3. Originum lib. 5. relatus à Gratiano diſt. 1. c. *Conſuetudo.* §. *Porrò.* *Nam,* inquit, *lex erit omne quod ratione conſtiterit, duntaxat quod Religioni conueniat, quod Diſciplinæ congruat, quod ſaluti proficiat.* Ex quo pariter principio refelli poſſunt rationes iſtæ humanæ & carnales eorum qui Miſſæ parochialis obligationem elidere & perimere conantur; quia commodiùs, faciliùs, & magis ad manum videtur eſſe Miſſam priuatam alibi audire, quàm Parœcialem.

§. 24.

Variæ rationes humanæ oppoſitæ refelluntur.

QVIA ab ea obligatione ſe citiùs fideles expediunt, ideo nolunt aliqui aliam rationem, tanquam præcepti, admittere; carnaliter quidem ſapientes, vbi quod alicui lubet, hoc licere cenſent. Alij quia magis ſe affici putant, conueniendo ad Monaſterium quàm ad Parochiam, ideo ſibi quoque Parochiam deſerere licere perſuadent. Qui omnes refelluntur, quia Deus obedientiam vult, non ſacrificium, nec temporalis commoditatis habet rationem, ſed ſpiritalis exercitationis; eòque magis actionem noſtram probat, quò minùs propriam voluntatem pro duce & lege habuerimus. In antiqua lege docuimus ad orandum, ſeu ſacrificandum, aſcendendum fuiſſe ad locum quem elegiſſet Dominus. Apoſtolos cum reliquis primitiuæ Eccleſiæ fidelibus, Spiritum Sanctum die feſto Pentecoſtes non accepiſſe legimus Act. 1. cap. niſi cùm omnes in eodem loco vnanimiter in oratione perſiſterent.

Cautiùs etiam illi mundanam ſapientiam, quæ contraria eſt Deo, tegunt, qui dicunt non eſſe implicandas ſcrupulis fidelium conſcientias; nec præceptum admittendum audiendæ parochialis Miſſæ, cùm videamus plurimos præceptum iſtud non adimpleturos; ſatius eſſe ſimpliciter eximere eos ab obligatione præcepti, quàm relinquere in periculo

Digitized by Google

peccati. qui vtique turpiter hallucinantur. 1°. Quia hac ratione poſſent conuelli omnia Eccleſiæ præcepta; tollendi ſunt omnes feſtiui dies, quorum ſanctificationem plurimi minimè obſeruant; tollenda omnia jejunia, quæ à paucis accuratè ſeruantur; decimarum ſolutiones abrogandæ, quia minùs fideliter à pluribus perſoluuntur; totum ferè Ius Canonicum, quod tranſgreſſioni obnoxium eſt, vna litura expungendum. Hæc autem omnia non tam humanæ, quàm Satanicæ cogitationes ſunt; neque putandum Eccleſiam, vt gratificetur populis, debere omnia per leges impoſita onera tollere, vt liberior populus Chriſtianus ab omni humana lege faciliùs ſalutem æternam conſequatur. Quæ mens fuit Caluini & Lutheri, in Concilio Tridentino damnata. Aliter verus fidelis & ſpiritalis homo judicat, ſcilicet, non omnia quæ ſunt neceſſaria media ad ſalutem obtinendam, hîc & nunc, & ſpectatis circumſtantiis à nobis ſemper agnoſci; latere nos rationes omnes quibus non ſolùm hi vel illi à ſalute excidunt, ſed plurimi, ac ferè vniuerſi; latere nos quæ ſufficiant ad legis diuinæ executionem; Eccleſiam nos maximè juuare, dum ea præſcribit quæ ſunt vtilia omnibus, neceſſaria quibuſdam ad obtinendam ſalutem, vel in certo duntaxat & ſingulari ſtatu, v. g. in ſtatu clericali, aut ſtatu religioſo, vel in ſtatu Chriſtiano vniuerſim; maximam inferri nobis gratiam, dum de iis nos ipſa inſtruit; quamuis per accidens aliqui ex eo damnentur. Sicut enim ex Iudæis plurimi damnati ſunt, quia peccatum per Legem cognouerunt; (quod non cognouiſſent, niſi cognita eis fuiſſet lex) maximum tamen beneficium Legis receptio exiſtimata fuit. quod vtrumque probat Apoſtolus copioſiſſimè epiſt. ad Rom. Quemadmodum item magnum beneficium ſibi prædicant Regulares ab Eccleſia factum, dum ipſis regulas præſcripſit, vel præſcriptas à piis & ſanctis Religionum Auctoribus confirmauit, quantumcunque multi ex Regularibus tranſgreſſione iſtarum conſtitutionum damnentur; ſimiliter magnum nobis beneficium ad ſalutem datum credendum eſt, Legum Eccleſiaſticarum latione, quæ tutum nobis, & ſecurum, atque expeditum iter ad ſalutem oſtendunt, quamuis Leges

Digitized by Google

iſtæ ob earum contemptum & tranſgreſſiones multis ſint occaſiones ruinæ & perditionis. Et vt ad hypotheſim dicamus aliqua; præceptum diuinum eſt ſanctificationis Sabbathi, id eſt, Dominicæ diei, quæ Sabbatho Iudaïco ſucceſſit, ſicut feſtiui dies aliis feſtis diebus; qui Iudæis ſolennes erant. Quomodo autem ſanctificari debeant hi dies, Eccleſiæ determinationi relictum eſt: cujus ſanctificationis determinatio ſi noſtro arbitrio relinqueretur, vix nobis ſatisfactum eſſet, dum alij plures, alij pauciores conditiones exigerent. Eccleſia præter vacationem à quibuſdam operibus, Miſſam nobis parochialem injunxit. Felix quidem neceſſitas, quæ nos ad meliora, & fortè neceſſaria ad ſalutem media compellit. de qua cum Propheta regio Deo gratias agere debemus, dicentes: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.*

Quid verò moramur ſcripturientium in contrarium auctoritatem & multitudinem, qui vel Regulares cùm ſint, Inſtituti ſui & ſplendoris ſui Ordinis amplificandi ſtudio & æmulatione ducuntur, & Parochialia contemnunt, vel cùm in iis regionibus ſcribant, in quibus parochialis Miſſæ audiendæ vſus exoleuit, & reſtituendæ legis fortè grauiſſima difficultas, aut moralis impoſſibilitas accidit, iniqua conſuetudine trahuntur ad iſtam legem impugnandam. Verùm crediderim quòd apud cordatos & ſapientes viros pluris multò facienda ſint Decreta Pontificum & Epiſcoporum, quàm opinationes contradicentium hujuſmodi Doctorum.

§. 25.

Multi fructus, & vtilitates ex Miſſæ paræcialis auditione, præſertim ex doctrina fidei in ea tradita.

NON poſſunt meliùs exprimi omnes iſti fructus quàm à ſancto Carolo Borromæo in Concil. 6. Mediolan. approbato à Gregorio XIII. Deſcripti ſunt in formula monitionis per totam Prouinciam Mediolanenſem mittendæ, inſertæ titulo de Parocho & Parochiis.

Et quoniam vtilitatis alicujus legis argumentum, quantum

Digitized by Google

attinet ad Eccleſiæ diſciplinam, ab ipſius antiquitate optimum ceteris paribus colligitur; Ideo ab antiquitate orditur ſanctus Carolus in Concilio Mediolanenſi 6. monitione citata: *Fuit olim*, inquit, *tanti apud antiquos Patres ille frequens ad propriam Eccleſiam parochialem fidelium conuentus, vt ad hanc diſciplinam populi Chriſtiani inſtitutioni valde accommodatam retinendam, certis decretis cautio aliqua adhibita ſit. Primò enim hoc juſſum eſt, vt Dominicis feſtiſque diebus Parochi, antequam Miſſam celebrent, plebem interrogent an alterius Parochiæ fidelis adſit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Miſſam audire velit. Quem ſi inuenerint, ſtatim inde ejiciant, & in Parochialem ſuam Eccleſiam ad Miſſam audiendam redire compellant. Deinde illud planè vetitum fuit, alienæ Parochiæ fidelem à Parocho ad Miſſam recipi, niſi in itinere fuerit, & placitum ibi habuerit. Cujus veteris Diſciplinæ reſtituendæ, in vſúmque reuocandæ deſiderio flagrans olim ſummus Pont. Vrbanus V I. eo de genere, Apoſtolica ſanctione diligentiſſimè cauit, & nuper Tridentina Synodus Oecumenica ab Epiſcopis fideles non ſolùm hoc moneri voluit, vt frequenter ad proprias parochiales Eccleſias ſaltem Dominicis diebus, feſtiſque majoribus, accedant; ſed illud etiam diligenter oſtendit, vnumquemque teneri, vbi commodè fieri poteſt, Parochiæ ſuæ intereſſe ad audiendum verbum Dei, ac proinde id prætere a ſtatuit à Parochis animarúmve curatoribus, inter Miſſarum ſolennia, aliquid ex iis quæ in Miſſa leguntur exponi, & ſanctiſſimi illius ſacrificij myſterium aliquod explanari; plebes ſibi commiſſas ſalutaribus verbis paſci, eaſdémque doceri quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem in lege Domini erudiri, & ſacra eloquia illis explanari; tum in vnaquaque Eccleſia parochiali pueros fidei rudimenta inſtrui.* Ex quo argumento ſic concludit: *His igitur ejuſdem Tridentinæ Synodi decretis, & veteri ſalutari exemplo adducti, cùm populum vrbis, diœceſis, prouinciæque Mediolanenſis noſtræ rebus ad ſalutem neceſſariis inſtructum, per bona opera ad præmium ſempiternum perducere ſummopere in Domino cupiamus; hac noſtra monitione eos vniuerſos & ſingulos cohortamur, ac per viſcera miſericordiæ* IESV CHRISTI *obſecramus, atque obteſtamur; vt quamuis in ſuis vicanis, oppidis, & ſuburbiis, Oratoria, Capellas, aliáſve Eccleſias*

Digitized by Google

habeant, vbi ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio intereſſe poſſint, frequenter tamen Dominicis ſaltem aliiſque ſolennibus feſtis diebus, ad ſuam quique parochialem Eccleſiam conueniant. Pergit idem Concilium fructus Miſſæ parochialis perſequi ex vtilitate inſtructionis, quæ in iis Miſſis ſuppeditatur: *Vbi à Parocho, cui cura cõmiſſa eſt, verbo Dei paſcantur, fidei Chriſtianæ rudimentis, aliiſque animarum ſaluti neceſſariis præceptis erudiantur, ad ſanctiſſima Sacramenta religioſiùs percipienda inſtruantur, ad eorundémque frequentem vſum, vt illa ſacra Synodus optat, paternis ejus cohortationibus in dies magis inflammentur: tum ab eodem item audiant qui dies feſti, ſi qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ Vigiliæ, jejuniáve ſeruanda ſint: diſcant ab ipſo item quæ Chriſtianæ pietatis officia in illis religiosè colendis præſtari opporteat; ac quæ præterea ſupplicationes, proceſſionéſve, aut ſtationes, orationes, indulgentiæ, jubilæa indicantur; quæ matrimoniorum denunciationes fiant; quæ item pro ratione temporum, admonitu juſſúve Epiſcopali ad diligentiorem eorum inſtitutionem promulgentur. His itaque & aliis fructibus, qui ex paternis Parochi, vel in cohortando, vel in monendo, officiis exiſtunt, eos carere continget, qui ad Miſſam iis diebus in ſuam parochialem Eccleſiam non conueniunt. Imo verò, quòd hoc audiendæ illis diebus, Miſſæ parochialis munus à fidelibus minùs diligenter præſtatur, & à quibuſdam planè negligitur, multa incommoda inde exiſtunt. Hinc in pleriſque ſæpe fidei articulorum, & Dei, ſanctæque matris Eccleſiæ præceptorum, quæ ad ſalutem conſequendam Chriſtianum hominem noſſe opportet, imperitia, feſtorum dierum cultus neglectus, debita Chriſtianæ pietatis opera non exculta, non cognita Chriſtiana familiarum inſtitutio, langueſcens Sacerdotum parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus, ſanctiſſimorum inſtitutorum & ſacrorum Canonum violatus vſus.* Vides ex his Miſſæ parochiali ſeu Paſtorali annexam inſtructionem earum rerum, quæ ad ſalutem neceſſariæ ſunt.

Idem verò perſuadet continua Eccleſiæ traditio, ac praxis. Ab Apoſtolorum tempore vſitatum fuit, vt in ſacris ſynaxibus, in quibus populi à Paſtoribus vocati conueniebant, inter Miſſarum ſolennia, ſcilicet poſt Euangelia, tractatus de rebus fidei & Chriſtianæ Religionis præceptis haberetur.

Digitized by Google

Conſtitutionum Apoſtolicarum lib 2. cap. 54. *Idcirco Epiſcopis, cùm eundem vobis erit ad Orationem, poſt Lectionem & cantum Pſalmorum, ac poſt doctrinam de Scripturis dicat Diaconus* &c. Et cap. 57. *Poſtea Diaconus, aut Presbyter, Euangelia legat* &c. *Deinde hortentur populum Presbyteri, non omnes ſimul, ſed ſingulatim, & poſtremus omnium Epiſcopus.* Hæc Conſtitutiones apoſtolicæ de Miſſa, cui Epiſcopus præſens erat, ſummus totius diœceſeos & ſingularis ciuitatis tunc temporis Paſtor. Iuſtinus Martyr Apologia 2. pro Chriſtianis: *Atque in omnibus quas offerimus oblationibus, benedicendo laudamus Factorem omnium, per Filium ejus* IESVM CHRISTVM *& Spiritum Sanctum: & Solis, qui dicitur, die, omnium qui vel in oppidis, vel vni degunt, in eundem locum conuentus fit. Et Commentaria Apoſtolorum, aut ſcripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quieſcente, præſidens orationem, qua populum inſtruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc conſurgimus communiter omnes, & precationes profundimus* &c. Quæ natiuo in ſenſu de Miſſis parochialibus intelliguntur. Tertullianus Apologetici cap. 39. *Coïmus ad Litterarum diuinarum commemorationem; ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere. certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina.* Vides his verbis de fide inſtructos in ſacris ſynaxibus Chriſtianos fuiſſe, diſciplinam præceptorum eiſdem inculcatam, habitas exhortationes, ſubſequutas delinquentium caſtigationes. Eadem ex Conciliis ſubſequentibus colliguntur: quæ quoniam Parœciales præſertim conciones nobis non explicant, ſed Epiſcopales, ideo à nobis omittuntur, vt eas præſertim attingamus, quarum habendarum cura Parochis commiſſa eſt. Ordimur à Synodo Trullana, ſeu Quiniſexta, quæ c. 19. hæc habet. *Quòd oportet eos, qui præſunt Eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipuè Dominicis, omnem Clerum & populum docere pietatis & rectæ Religionis eloquia, ex diuina Scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis & non tranſgredientes jam*

Digitized by Google

poſitos terminos, vel diuinorum Patrum traditionem &c. Subdimus Concilium Vaſenſe 2. c. 2. *Vt Presbyteris per Parochias prædicare liceat, &, vt his impeditis, homiliæ Patrum à Diaconis recitentur*. Arelatenſe 6. ſub Carolo c.10. *Prouidimus enim pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro vtilitate totius populi, vt non ſolùm in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus Parochiis, Presbyteri ad populum verbum faciant, & vt bene viuere ſtudeant, & populo ſibi commiſſo prædicare non negligant*. Concilium Lemouicenſe Actione 2. ante finem: *Omnes Sacerdotes, quibus Parochia commiſſa eſt, omnibus Dominicis & feſtis diebus admonere prædicando populum debent, ſecundùm illud: Argue, obſecra, increpa: quia Sacerdos non tantùm juſſu, ſed etiam rogatu ad tam ſublime opus incitare debet. quod officium, ſiue Monachus, ſiue Clericus nequaquam ſuſcipere poteſt, niſi in gradum Lectoris fuerit ordinatus*. quo canone noſtri mores apprime deſcribuntur. Nam præterquam quòd Parochis diuini verbi prædicandi cura in Eccleſiis ſuis committitur, ſolent tamen Epiſcopi per Quadrageſimam, verbi gratia, & Aduentum alios mittere Prædicatores, ſiue ſeculares, ſiue regulares, qui populi inſtructioni operam nauent, ne ejuſdem ſemper prædicatio faſtidio aut tædio eſſe incipiat. Eos verò Sacerdotes eſſe debere Ius Commune ſtatuit, juxta Leonis I. ad Maximum Anthiochenum & Theodoretum epiſtolas. Lemouicenſe Concilium Lectores duntaxat eſſe indulget. Denique Eccleſiaſticis Legibus Regiæ ſeu Imperatoriæ patrocinantur. Habemus egregiam præceptionem glorioſiſſimi Regis Guntramni ad Epiſcopos & Iudices regni ſui poſt Synodum Matiſconenſem ſubſcriptam, editam de obſeruando die Dominico, & aliis, in hæc verba: *Et licèt abſque noſtra admonitione ad vos ſpecialiter prædicandi cauſa pertineat, attamen reliquorum peccatis vos omnino credimus eſſe participes, ſi filiorum veſtrorum culpas non aſſidua objurgatione corrigitis, ſed ſilentio præteritis. Nam nec nos, quibus facultatem regnandi ſuperni Regis commiſit auctoritas, iram ejus euadere poſſumus, ſi de ſubjecto populo ſollicitudinem non habemus. Idcirco hujus Decreti, ac Definitionis vigore decernimus, vt in omnibus diebus Dominicis in quibus ſanctæ Reſurrectionis my-*

Digitized by Google

ſterium veneramur, vel in quibuſcunque reliquis ſolennitatibus, quando ex more ad veneranda templorum oracula vniuerſæ plebis conjunctio deuotionis congregatur ſtudio, præter victum, quem præparari conuenit, ab omni corporali opere ſuſpendatur; nec vlla, cauſarum præcipuè, jurgia moueantur. Sed vos Apoſtolici Pontifices, jungentes vobiſcum Conſacerdotes veſtros & filios ſeniores Eccleſiæ, ac Iudices locorum, quoſcunque agnoſcitis, quod vitæ qualitas honeſta commendat, ita vniuerſam populi multitudinem conſtanti vel Deo placita jugiter prædicatione corrigite; vt & bene viuentes myſticus adhortationis ſermo mulceat, & excedentes ad viam recti itineris correctio paſtoralis adducat: quatenus omnes vnanimi deliberatione laudabiliter ſtudeant viuere, vel æquitatem, & juſtitiam conſeruare; qualiter ab omni peccatorum fæce liberos ſuos ſancta ſuſcipiat Eccleſia Chriſtianos. Habemus etiam Conſtitutiones Imperatoris Caroli Magni, quibus frequentiſſimè idipſum commendat. Lib. 1. Capitularium cap. 70. *Vt Epiſcopi diligenter diſcutiant per ſuas Parochias Preſbyterorum fidem* &c. Cap. 109. ejuſdem libri: *Epiſcopos monemus, vt ſiue per ſe, ſiue per Vicarios, pabulum verbi diuini ſedulò populis annuntient. Quia, vt ait beatus Gregorius, iram contra ſe occulti Iudicis excitat Sacerdos, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit.* Cap. 166. *Vt ipſi Sacerdotes, vnuſquiſque ſecundùm ordinem ſuum, prædicare & docere ſtudeat plebem ſibi commiſſam.* Lib. 5. cap. 102. *Vt Sacerdotes populi ſibi commiſſi curam habeant, & inſtanter de eorum animarum ſalute prædicent, & vt facinoroſos ſecundùm Euangelicam inſtitutionem arguant.* Lib. 6. cap. 160. *Vt fideles fidem ſanctæ Trinitatis diſcant: in qua inter cetera credere oportet, quòd per Spiritum ſanctum remiſſio peccatorum in Baptiſmate, Confirmatione, Pœnitentia, & in ceteris Canonicis Decretis, ſicut ſcriptum eſt, conferatur; & quòd fidelibus in Eccleſia per Chriſtum, ejuſdem ſancti Spiritus dono, per miniſterium ſacerdotale, & per pœnitentiam remiſſio peccatorum indubitanter attribuatur; & quòd gentium omnium in vera carne in aduentu Chriſti reſurrectio futura ſit* &c. *Quam fidem memoriter teneant, & ſuis Sacerdotibus eam reddant, & exponant per ſingula verba; & ipſi Sacerdotes eam fideliter & pleniter atque veraciter populum doceant. Quoniam primum*

funda-

Digitized by Google

fundamentum Chriſtianæ Religionis fides Catholica eſt. Et hæc fides tunc vera eſt, & fructuoſa, ſi bonis operibus exornetur, id eſt, charitate, humilitate, caſtitate, & ceteris his ſimilibus. Cap. 163. *Vt fideles Orationem Dominicam diſcant & intelligant, & ſuis Sacerdotibus eam verbo ex verbo reddant, & aliis fidelibus, qui eam neſciunt, doceant.* Et cap. 173. *Placuit vt fideles ſilentium in Eccleſia teneant, & deuotè verbum Dei audiant, & confeſſi* &c. *Et vt eorum Sacerdoti in omnibus obediant, & inſtruantur pro quibus miſſi, vel Sacerdotes conſtituti ſint, vt intelligant vim, & myſterium Dominici corporis & ſanguinis, & Miſſæ, ſiue precum quæ in ea à Sacerdote fiunt.* His adjungo duos inſignes, ſuo tempore, Galliæ Epiſcopos, Theodulfum Aurelianenſem, coætaneum Caroli Magni, Capitulari ad Parochiæ ſuæ Sacerdotes ann. 797. cap. 28. *Hortamur vos paratos eſſe ad docendas plebes. Qui Scripturas ſcit, prædicet Scripturas: qui verò neſcit, ſaltem hoc quod notiſſimum eſt, plebibus dicat, vt declinent à malo, & faciant bonum; inquirant pacem, & ſequantur eam: quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eorum* &c. *Nullus ergo ſe excuſare poterit quòd non habeat linguam, vnde poſſit aliquem ædificare. Mox enim vt quemlibet errantem viderit, prout poteſt & valet, aut arguendo, aut obſecrando, aut increpando ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur.* Hincmarus in Capitulis Preſbyteris datis an. 852. c. 1. *Vt vnuſquiſque Presbyterorum expoſitionem Symboli atque Orationis Dominicæ, juxta traditionem orthodoxorum Patrum, pleniùs diſcat, exinde prædicando populum ſibi commiſſum ſedulò inſtruat* &c. *Necnon & ſermonem Athanaſij de fide, cujus initium eſt. Quicunque vult ſaluus eſſe, memoriæ quiſque commendet, & ſenſum illius intelligat, & verbis communibus enuntiare queat.* Et certè experientia confirmatum eſt magnam partem eorum, qui ab inſtructionibus in Miſſis parochialibus fieri ſolitis abſunt, inſtructiones iſtas defugere & negligere, ideóque ignaros & imperitos myſteriorum fieri, toto aliquando vitæ tempore, reperiri, cùm tamen certum ſit aliqualem eorum myſteriorum notitiam ad ſalutem neceſſariam eſſe, juxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Et Marci 16. *Qui verò non crediderit, condemna-*

L

bitur. Ioannis 3. *Qui autem non credit, jam judicatus eſt*. Quod expreſsè docet Athanaſius in Symbolo: *Qui ergo vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt vt teneat Catholicam fidem; quam niſi quiſque integram inuiolatámque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit*. Ex vna itaque nonnunquam inſtructione Catholica ſalus plurimorum dependet, quemadmodum ex ignoratione vnius fidei articuli oritur aliquando certa damnatio. Nec ad hanc inſtitutionem neceſſaria eſt Oratoris eloquentia: quia *non in perſuaſibilibus ſapientiæ humanæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis* fit prædicatio Dei, vt loquitur Apoſtolus 1. Corinth. 2. *Nam fides noſtra non eſt in ſapientia, ſed in virtute Dei*. Quare ſancta aliquando Paſtoris ruſticitas plus valet ad annuntianda fidei myſteria, quàm facunda & diſerta Oratorum eloquentia. Et ſicut infantuli nonnunquam meliùs intelliguntur ab infantulis, quamuis balbutientibus, quàm facundiores & eruditi: ita interdum accidit, vt Parochus ruſticior qui fidem Catholicam imbibit, eámque ruſticorum animis inſtillare ex officio ſibi à Deo impoſito conatur, meliùs ab auditoribus intelligatur, quàm ſi Theologi, & ſublimia ſapientes illas docere aggrederentur. *Infirma enim mundi Deus elegit vt confundat fortia*. Nec Philoſophos in Apoſtolorum conſortium Chriſtus vocauit, ſed piſcatores. Nec dubitamus, quin quoad mores ſpectat, efficaciam Deus Paſtorum voci largiatur, quam non dat extraneis: *Oues meæ*, inquit Chriſtus, *vocem meam audiunt*, Ioannis 10. cap. Sollicitior ſiquidem proprius Paſtor, quàm qui non eſt proprius, *ad quem non pertinet de ouibus curare*. Ideóque rectè Cæſarius Arelatenſis homil. 4. de Paſchate: *Plebs quæ præpoſitos ſtudet audire, Deum ſequetur, & per Deum hominem perueniet ad ſalutem*. Et Caſſiodorus lib. 11. epiſt. 2. ad Ioannem Papam: *Difficiliùs errat ouis, quæ vocem deſiderat audire Paſtoris; nec facilè efficitur vitioſus, cui admonitor adſiſtit aſſiduus*.

Præter aſſiſtentiam diuinam, quam Paſtoribus officio ſuo fungentibus, ſicut debitam, ita minùs deeſſe credimus, duo ſunt humana veluti ſubſidia, quibus ignorantiam ouium depellant certiùs, & efficaciùs perſuadeant. Vnum, quòd Paro-

Digitized by Google

chus jus habeat, ratione muneris, apud ſubditos inſtandi, vrgendi, ſollicitè agendi, quatenus ipſi myſteria addiſcant, ita vt pudore negligentes ſuffundat, eos interroget, experturus num myſteria fidei didicerint: volentes autem, vel non ſeriò volentes, increpare poſſit & caſtigare. qua auctoritate carent extranei. Alterum, quia Parochus admonitor eſt in moribus caſtigandis aſſiduus; nec publicè tantùm ex officio ſuo carpit vitia, verùm etiam priuatim: ea quidem auctoritate, vt quæ dixerit inter te & ipſum ſolum, ea coram teſtibus repetere queat; quæ coram teſtibus, ea Eccleſiæ publicè teſtari poſſit ad cenſuram & animaduerſionem: & qui Paſtorem non audierit, denuntiari poſſit ſicut Ethnicus & Publicanus juxta verbum Chriſti, Math. 18.

§. 26.

Vtilitas Miſſæ parochialis ex denuntiatione rerum in ea fieri ſolita.

CERTVM eſt ad ordinem diſciplinæ plurimùm valere quòd in Miſſa parochiali feſti dies, jejunia, ſtationes, aliáque ejuſmodi populo denuntientur: quorum ignoratio excuſabilis foret, ſaltem plebeis hominibus & vulgaribus, ſi nulla eſſet obligatio Miſſæ parochialis audiendæ, atque ita eorum obſeruandorum nulla ſupereſſet obligatio. Hinc feſtos dies, ſicut & jejunia inter Miſſarum parochialium ſolennia publicari ſolita tradit antiquitas. Concilium Lugdunenſe apud Gratianum de Conſecratione diſtinctione 3. c. 1. *Pronuntiandum eſt laicis, vt ſciant tempora feriandi per annum, id eſt, omnem Dominicam à veſpera vſque ad veſperam, ne Iudaiſmo capiantur. Feriandi verò per annum iſti ſunt dies, Natalis Domini, ſancti Stephani, Ioannis Euangeliſtæ* &c. *Reliquas verò feſtiuitates per annum non ſunt cogendi ad feriandum, nec prohibendi. Indictum verò jejunium, quando fuerit denuntiatum, ab omnibus obſeruetur.* Lib. 6. Capitularium cap. 183. & ſequentibus non ſolùm jejunia, verùm etiam plurima alia ad diſciplinam ſpectantia numerantur, quæ à Parochis populo annuntiari debent. Cap. 183. *Doceant Presbyteri populos quatuor legitima temporum jejunia obſeruare, hoc eſt, menſe Martio,*

Digitized by Google

Iunio, Septembrio, & Decembrio, quando ſacri Ordines juxta ſtatuta Canonum diſtribuuntur Cap. 185. *Placuit vt populus ad baptiſmum eorum infantes non afferat, niſi duobus temporibus, ſi infirmitas non occupauerit: & quomodo in hoc offendunt, inſtruantur.* Cap.186. Numerantur dies feſti, de quibus ſcilicet monebat Sacerdos. Cap.187. *Vt annuntient Presbyteri eodem modo, ſicut veſperaſcente Sabbatho ſanctum Paſcha celebratur, & ipſum diem Pentecoſtes ſimiliter celeberrimum habeant vt ſanctum Paſchæ, & jejunium, & Miſſam, & Baptiſmum.* Cap. 188. *Adnuntiet vnuſquiſque Presbyterorum publicè plebi ab inlicitis connubiis abſtinere, & ſecundùm Domini mandatum legitimum conjugium nequaquam poſſe vlla occaſione ſeparari, excepta cauſa fornicationis, niſi conſenſu amborum, & hoc propter ſeruitium Dei.* Vide etiam ſequentia capita 189. 190. 191. 192. Notanda etiam iſta verba Concilij Forojulienſis à Paulino Aquileïenſi congregati ſub Adriano I. ann. Domini 791. *Illa feſta, quæ Sacerdotes in Eccleſia prædicant, modis omnibus ſunt cuſtodienda. Nos autem qui Sacerdotes vocamur, debemus populum nobis ſubjectum, & prædicando verbis in omni bono, & faciendo quæ docemus exemplis inſtruere* &c.

Notiſſima ſunt apud Patres teſtimonia iſtius ritus denuntiatorum jejuniorum & vigiliarum poſt Euangelij recitationem. Legatur S.Pontifex Leo I. ſermone 1. 2. 4. 5. 6. 7. & 8. de jejunio decimi menſis & collectis, ſermone 1. 3. 4. 5. 6. & 9. de jejuniis ſeptimi menſis: quibus locis quarta & ſexta feria jejunandum, Sabbatho verò apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum vigilias celebrandas indicit. Item ſerm. 4. de Quadrageſima, ſerm. 1. & 2. de jejunio Pentecoſtes. Legatur Auguſtinus ſerm.60. de Tempore: *Publicè jejunium indicimus, & vidente toto populo pariter cum ipſo jejunamus.* Legatur vetus Ordo Romanus, aliique de ritibus Scriptores. Paſchatis verò diem ſolenniſſimè fuiſſe indictum, patet ex Concilio Aurelianenſi 4. cap. 1. Concilio Bracarenſi 2. cap. 9. Quæ quidem in memoriam nobis reuocant Eccleſiarum communicationem inter ſe: quæ nobis ſinceræ fidei vnitatem demonſtrant denuntiationibus iſtis, quæ à ſingulis Parochis in Miſſis parochialibus fieri ſolent, totam & con-

Digitized by Google

ſeruatam fuiſſe. Sic enim, verbi gratia, intelligimus quod de epiſt. ſancti Clementis Romani Epiſcopi ſcripta ad Corinthios legi ſolita referunt Euſebius lib. 4. hiſtoriæ cap. 22. ſeu 23. ex teſtimonio Dionyſij Corinth. Epiſcopi, & Hienymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Clemente: quæ de Epiſtolis Eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ ſcribit idem Euſebius lib. 5. cap. 1 & 2. quæ de hæreſibus Origeniſtarum, aliorúmque hæreticorum in ſermonibus Paſchalibus Theophili Alexandrini legebantur in Eccleſiis ſingulis, & alia innumera, quæ oſtendunt nullam aliam rationem ſuppetere, qua antiquus iſte & ſalutaris mos reſtituatur, & Eccleſiæ Catholicæ inter ſe communicent, quàm ſi populi ad certas & deſtinatas Eccleſias conuenire teneantur ad ſacram Synaxim, & in iis Epiſtolæ iſtæ ab Epiſcopis propriis receptæ & probatæ legi jubeantur; quibus vnuſquiſque norit Eccleſiarum Catholicarum fidem, quam ſequi debeat; Conuenticulorum hæreticorum errores, quos eum fugere opporteat; quibus communicare teneatur, aut non communicare. quæ quanti momenti ſint in Eccleſia Dei, nemo non videt.

Quinimmo, nec Litteræ ipſæ paſtorales, ſiue dogmaticæ, ſiue decretales ſummorum Pontificum, totius orbis fidelibus, aut ſingulorum Epiſcoporum, ipſis ſubditis innoteſcere commodiùs poſſunt, quàm ſi populus ad Eccleſias parochiales conueniat, & in iis decreta Paſtorum ſuorum ſuperiorum, & inferiorum monita, adhortationes tum circa fidem, tum circa mores, aut diſciplinam, audiat. Vetus ille mos vt decreta ſummorum Pontificum in Africa in Eccleſiis inter Miſſarum ſolennia legerentur. Secundùm quam conſuetudinem, hæc de edicto Zephyrini Papæ ſcribit Tertullianus dè pudicitia cap. 1. *Audio*, inquit, *edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium; Pontifex ſcilicet maximus, quod eſt, Epiſcopus Epiſcoporum, edicit, Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto* &c. Ex quibus Tertulliani verbis diſcimus, non ſolùm ad portas Eccleſiarum affigi ſolita edicta Pontificum; ſed quia plurimi ex plebe vel minùs curioſi erant vt legerent, vel litterarum imperiti legere non pote-

Digitized by Google

rant, ideo in Eccleſiis ipſis lecta, vt ab omnibus audirentur. quemadmodum etiam hodierna die legi ſolent per ſingulas Parochias, ſi quæ ad notitiam populi deducenda videantur. Quis ergo putet leuem eſſe iſtam denuntiationum in Eccleſiis parochialibus obſeruationem, quæ Eccleſiarum communionem fouet, fidei per ſingulas Eccleſias vnitatem probat, fidelium cum Paſtoribus ſuis charitatem ſtringit, ſubditorum ſuperioribus debitam obedientiam ſtatuit; ſine qua nec epiſtolæ communicatoriæ Eccleſiarum innoteſcunt, nec leges, aut edicta Pontificum promulgantur; adeovt deſinat Eccleſia vnum eſſe corpus, vnámque habere diſciplinam & conſcientiam.

§. 27.

Mala alia nonnulla ex omiſſione Miſſarum paræcialium.

QVANTVM interſit ad nuptiarum ſanctitatem & valorem, vt impedimenta, tum quæ dirimunt matrimonium, tum quæ prohibent, tantùm poſt denuntiationem cujuſcunque matrimonij futuri rejiciantur à contrahentibus, & ab iis qui teſtes idonei eſſe poſſunt referantur, vnicuique notum & exploratum eſt. Quòd ſi ergo quiſque abeſſe poſſit impune à Miſſa parochiali, nunquid nuptiarum ſanctitas & valor in manifeſto erunt diſcrimine? Similiter neceſſarium eſt, tum ad Eccleſiaſticam diſciplinam retinendam, tum ad vniuſcujuſque dominatus temporalis politiam, vt auditis actorum querimoniis, quæ ad Eccleſiam referuntur, delatorum criminum teſtes fidele teſtimonium referant. Quì verò fieri poterit iſtud, ſi Miſſæ parochialis obligationem ſuſtuleris; quandoquidem aberunt forſan iſti, ad quos ejuſmodi denuntiationes ſpectauerint?

Langueſcens exinde quoque Parochorum ſtudium ominantur Patres Concilij Mediolanenſis, nec improbabiliter. Nam vbi inane omne ſtudium ſuum, quod in inſtruendo, docendo, adhortando collocauerint, Parochi diù aduerterint, humanum eſt, vt ſegniores euadant, remittántque de diligentia quam nullius fructus eſſe obſeruauerint. Vulga-

Digitized by Google

tum enim illud eſt, *Excitat auditor ſtudium.* Experimento quoque notum eſt torpere & langueſcere hominum ſtudia, quæ ſperata vtilitate defraudantur. Sacerdotum contemptum in Parochianis conjiciunt iidem Patres ex neglectu Miſſæ parochialis, ſequuti ſcilicet antiquos. Nam canon Apoſtolorum 32. juxta editionem Gentiani Herueti, 30. ſecundùm verſionem Dionyſij Exigui, Preſbyterum *contemptorem proprij Epiſcopi* (καταφρονήσαντα τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου) appellat qui ſeorſum congregationem fecit, & alterum altare fixit, nihil habens quo reprehendat Epiſcopum in cauſa pietatis & juſtitiæ. Præterea ſi Concilium Gangrenſe contemptorem Eccleſiæ vocat c. 6. qui ea quæ ſunt Eccleſiæ vſurpare voluerit, non conueniente Presbytero, juxta decretum Epiſcopi, & c. 11. contemptores fratrum appellat, qui vocati ad agapen conuenire noluerint; ſi Synodus Antiochena c. 5. eis ſimiliter contemptum affingit, qui ingreſſi Eccleſiam ſacras Scripturas audiunt, non autem populo in oratione communicant: Ita profectò Parochorum & Parochiarum contemptores ſunt, qui parochialem Miſſam, & Parochorum in ea exhortationes negligunt, nihilíque ducunt. Quamobrem Agobardus Lugdunenſis Opuſculo de priuilegio & dignitate Sacerdotij Coepiſcopo Bernardo, circa medium: *Nos*, inquit, *ab Eccleſia non recedimus, nec ſpernimus nutrices Eccleſias.* Pergunt autem Mediolanenſes Patres in exaggerandis detrimentis, quæ ex obmiſſa à Parochianis Miſſa Parochiali oriuntur. *Hinc*, inquiunt, *Eccleſiis parochialibus, quæ à majoribus tanto pietatis ſtudio exædificatæ ſunt, inſtaurandis, ornandis, ſartis, tectíſque habendis cura multis ex partibus neglecta, in illíſque nulla aut penè exigua Eccleſiaſtica ad diuina Officia obeunda neceſſaria ſuppetet.* Sed experimento detrimentum iſtud Eccleſiarum parochialium notius eſt quàm vt probari debeat. Oblationum quoque, & primitiarum vſum exinde vel exoleuiſſe, vel decreuiſſe perſpicuum eſt. Quas injurias tum Parochis, tum Eccleſiis parochialibus factas qui reparare voluerit, legem de frequentanda Parochia reſtituat neceſſum eſt. Nam natura veluti duce accidit, vt ea quibus colendis & honorandis innutrimur, ſarta tectáque eſſe veli-

Digitized by Google

mus, & erga ea liberales ſimus; accidit vt in eos potiùs effundamus beneficia, à quibus ſalutis monita accipimus, quàm in eos quorum exhortationes & monita contemnimus. Et verò cùm Presbyteri Parochiales nobis ad ſalutem procurandam parati eſſe debeant, & ex juſtitia inuigilare nobis teneantur; juſtum eſt, vt qui ſpiritalia nobis ex officio ſeminant, temporalia metant. quod vtique præcipit Apoſtolus, 1. ad Timotheum 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.*

§. 28.

Orationis ad parochiales Miſſas frequentandas concluſio.

CONCLVDVNT prædicti Patres in hunc modum: *Nec verò eſt quòd quis vel ex parochialis Eccleſiæ aliqua diſtantia, vel ex pluuia ab hoc officio deterreatur. Imò verò ad illud diligentiùs exequendum, prout in Domino confidimus, ſe quiſque eorum accingat neceſſe eſt; qui ſalutis ſuæ memores, hujus rei grauitatem, eorum quæ commemorata ſunt ratione perpendent, quique aliquando ſecum animo reputabunt, non ſolùm parochialem Eccleſiam ſibi datam eſſe, in qua primùm Baptiſmo ſuſcepto, Chriſto Domino renati aliis Sacramentis aluntur ad perpetuam ſalutem; ſed Parochum etiam Sacerdotem ſibi loco parentis eſſe debere, quem diligant, colant, atque obſeruent: hoc ſibi proponentes, illum pro fidelibus ſibi commiſſis apud Deum internuntium ac deprecatorem eſſe, diuinæ legis interpretem, diſpenſatorem myſteriorum Dei, Chriſtianæ vitæ, & morum diſciplinæ Magiſtrum, à quo omne petant piè rectéque agendi conſilium, ac denique Miniſtrum omnium ferè quæ ad ſalutem eis neceſſaria ſunt.* Similem ferè adhortationem legimus in breui libello Amulonis Archiepiſcopi Lugdunenſis, qui ſcripſit Imperante Carolo Caluo, ad Theodboldum Lingonenſem Epiſcopum: *Vnaquæque*, inquit, *plebs in Parrochiis & Eccleſiis, quibus attributa eſt, quieta conſiſtat, atque ad ea Sanctuaria, vbi ſacrum Baptiſma accipit, vbi corpus & ſanguinem Domini percipit, vbi Miſſarum ſolennia audire conſueuit, vbi à Sacerdote ſuo pænitentiam de reatu, viſitationem in infirmitate, ſepulturam in morte conſe-*

conſequitur; vbi etiam decimas offerre præcipitur; vbi filios ſuos Baptiſmatis gratiâ initiari gratulatur; vbi verbum Dei aſſiduè audit, & agenda & non agenda cognoſcit. Illuc, inquam, vota & oblationes ſuas alacriter perferat, ibi orationes & ſupplicationes ſuas Domino effundat; ibi ſuffragia omnium Sanctorum quærat, qui, vt ſcriptum eſt, ſequuntur Agnum quocunque vadit. Ac paulò pôſt: *Hæc eſt enim legitima & Eccleſiaſtica Religionis forma, hæc antiqua fidelium conſuetudo, per quam & nouitatum vanitas amputatur, & vetuſta ac recta Euangelicæ atque Apoſtolicæ inſtitutionis ſemita cuſtoditur.*

§. 29.

Dignitas Eccleſiæ parochialis, ex eo quòd ſit baptiſmalis.

NEQVE verò leuiter prætermittenda eſt Parochiarum conditio, quòd baptiſmales ſint. Baptiſmales enim Eccleſias parochiales vocari tritum eſt apud Gratianum 16. q. 1. c. *De decimis*, ex Leone IV. canone, *Quæſti ſunt*, ex Concilio Moguntino ſub Carolo, quod verba à Gratiano relata nequaquam continet, quamuis huic veritati adſtipuletur can. 4. *Sacramenta itaque baptiſmatis volumus, vt ſicut ſancta veſtra fuit admonitio, ita concorditer atque vniformiter in ſingulis Parochiis ſecundùm Romanum Ordinem inter nos celebrentur, jugitérque conſeruentur.* Quare retinent Correctores Romani canonem; ſed Concilio Cabilonenſi 2. tribuendum admonent juxta Burchardum, & Iuonem: ex quo hæc verba exſcribi poſſunt: *Quæſti ſunt præterea quidam Fratres, quòd eſſent quidam Epiſcopi, & Abbates, qui decimas non ſinerent dari ad Eccleſiam, vbi illorum coloni Miſſas audiunt. Proinde decreuit ſacer iſte Conuentus, vt Epiſcopi & Abbates de agris & vineis, quæ ad ſuum vel fratrum ſtipendium habent, decimas ad Eccleſias ſuas deferri faciant. Familiæ verò eorum ibi dent decimas ſuas, vbi infantes eorum baptizantur, & vbi per totum anni circulum Miſſas audiunt.* Quod ipſum decretum in lib. Vaticanæ Bibliothecæ habetur in Concilio aliquo ſub Vrbano II. Ex Côncilio Toletano canone, *Plures*, vbi parochiales Eccleſiæ *baptiſmales & matrices* appellantur. quod Concilium quotum ſit non expreſſit Gratianus. Tametſi verò in nullo quod extet

Digitized by Google

Toletano Concilio, hæc quæ ipſe citat, verba habeantur; jure merito tamen laudantur à Burchardo lib. 3. cap. 22. & ab Iuone parte 3. cap. 25. ex Concilio Aquiſgranenſi. Denique canone, *Statuimus*, ex Anaſtaſio Papa. Gratiani autem Emendatores Romani citant ex Capitularibus Caroli lib. 6. cap. 285. & lib. 7. cap. 7. Et ſanè verbum iſtud *bannum*, quod in dicto canone habetur, verbum eſt Francicum, legémque proinde oſtendit eſſe Francicam. In editione tamen Capitularium Caroli integrum capitulum iſtud non extat. In Concilio quidem Meldenſi ſub Carolo Caluo ann. 845. cap. 48. (habetúrque apud Iuonem parte 1. cap. 209.) ſtatuitur: *Vt nemo Presbyterorum baptiſare præſumat, niſi in vicis & Eccleſiis baptiſmalibus, atque temporibus conſtitutis, niſi cauſa ægritudinis, vel certè neceſſitatis, ſicut ſacra Canonum docet auctoritas, & vici auctoritatem & priuilegia debita & antiqua retineant.* In Concilio Vernenſi ſub Pipino Rege ante Carolum ann. 755. ſimiliter cauetur can. 7. *Vt publicum Baptiſterium in nulla Parochia eſſe debeat, niſi vbi Epiſcopus conſtituerit cujus Parochia eſt; niſi tantùm ſi neceſſitas venerit pro infirmitate, aut pro aliqua neceſſitate, illi Presbyteri quos Epiſcopus in ſua Parochia conſtituerit, in qualicunque loco licentiam habeant baptiſandi, vt omnino ſine Baptiſmo non moriantur.* Innumera alia prætermitto, quibus titulus ejuſmodi Eccleſiis parochialibus vindicatur.

Dignitas autem Eccleſiæ parochialis, & conditio quòd ſit baptiſmalis, quòd regenerationis ſpiritalis nobis origo fuerit, per quam non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſumus, non minimam erga illa nobis afferre debet pietatem atque deuotionem. Nam ſi, verbi gratia, pretioſa nobis eſt ſpelunca iſta Bethlehemitica in qua Chriſtus in lucem primùm producitur; Nazareth in qua de Spiritu ſancto conceptus eſt; mons Thabor, è quo cœlum conſcendit Chriſtus; Cœnaculum Hieroſolymitanum, in quo Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos in ſpecie linguarum ignearum cecidit; non minus venerationis & deuotionis obtinere debet Eccleſia baptiſmalis, in qua primùm Spiritus ſanctus nobis baptiſatis illapſus eſt, & quaſi modò geniti infantes

Digitized by Google

in filios adoptionis adſciti ſumus, tranſlati in ſortem Sancto-rum, in qua Chriſtus primùm in nobis firmatus eſt per fidem & alia dona quæ in nobis Deus per Baptiſmum infudit, in qua Chriſtus per doctrinam expreſſiorem fidei in nobis adoleuit, & per pœnitentiam reuixit. Singulare eſt quòd de ſancto Ludouico ab Auctoribus refertur : qui cùm eſſet magni & potentis regni dominus, ſe tamen Piſciacenſem vocatum voluit à Piſciaco vico in quo Baptiſmatis ſacramento initiatus fuerat.

§. 30.

Quàm venerandum nomen Patris ſpiritalis in Parocho.

GLORIATVR Apoſtolus 1. Corinth. 4. ſe per Catechiſmum Corinthiorum patrem eſſe; ceteros qui in Chriſto eos poſtea docuerint ac perfecerint, ſolùm eſſe pædagogos. *Nam*, inquit, *ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres.* Quæ verba dixiſſe Apoſtolum Chryſoſtomus homilia 13. in caput 4. 1. Corinth. refert, non ad oſtendendam ſuam auctoritatem, *ſed exuperantem dilectionem erga ipſos.* Quod egregiè Theophylactus explicat. *Quid igitur, inquiunt, non diligunt nos; alij non eam, inquit, ad rationem qua ego. Illi namque pædagogi ſunt, ego verò pater. Quemadmodum igitur in pueris fieri ſolet, vt ſit pater vnus, pædagogi verò multi fortaſſe : ad vnius autem amorem, patris nimirum, ſi conferantur, multùm diſtat eorum affectio; ſic & nobiſcum fit.* Parochi igitur fidelium patres ſunt; & quia eos per Catechiſmum & Baptiſmum generant, & quia ex officio generant tanquam ſuos, non alienos, eos inſtruendo & baptiſando. Ceteri autem ſunt pædagogi, qui ſuper alienum fundamentum extruunt, qui mercede etiam conducuntur, nec ex officio ad ſe accedentes paſcunt. Qua ratione verò 70. Diſcipulos, quibus ſuccedunt Parochi, ſicut Apoſtolis Epiſcopi, binos miſſos fuiſſe interpretatur Ambroſius propter regenerandi per Baptiſmum officium : *Qua*, inquit, *ratione binos miſit? Quia bina miſſa ſunt animalia in arcam, hoc eſt, cum mare & femina, immunda per numerum; ſed mundata Eccleſia Sacra-*

mento, quod completum eſt oraculo quod ſanctus Petrus accepit, dicente ſibi Spiritu ſancto, Quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris: & aduertit dictum eſſe de gentibus, quæ corporeæ magis generationis ſucceſſionem quàm ſpiritalis gratiæ ſequebantur. Lib. 7. Comment. in cap. 10 Lucæ.

Parochos igitur, à quibus diligimur vt filij, diligere quoque nos oportet vt Patres, oportet auſcultare eos attentiùs, eorúmque ſacrificiis lubentiùs & frequentiùs intereſſe. Quæ ferè argumentatio eſt S. Pauli ad Hebræos 12. *Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos; non multò magis obtemperabimus Patri*, (ſeu, vt habet Verſio Syriaca, *Patribus) ſpirituum. & viuemus*. Parochi certè magis intereſt, vt oues ipſius proſperè agant, quàm extranei. Nam *filius ſapiens lætificat patrem*, Prouerb. 15. *Ira patris, ſtultus filius*, Prouerb. 17. Non ergo mirum eſt, ſi Paſtores pro ouibus ſuis zelo ferueant, vt quos genuerunt, ipſi alant. Nam ſicut in Epiſcopis Damaſus epiſt 5. reprehendit quòd aliis plebes ſibi creditas committere non formident; ita & Parochi reprehendi debent, ſi quietiùs agant, oues ſuas aliis dimittant; & viciſſim Parochiani, ſi Parochum ſuum ignorent & Epiſcopum, alteri verò credant. quod quidem probat ex verbis Domini, Ioann. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, & vocat eas nominatim, & cognoſcit eas, & ſuæ agnoſcunt eum.* Item, *Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Hinc negligi curam Eccleſiæ, & ejus ſtatum perturbari* auguratur. *Illi* quoque *Epiſcopi qui talia ſibi præſumunt*, judicio Damaſi *videntur eſſe meretricibus ſimiles quæ ſtatim vt pariunt infantes ſuos aliis nutricibus tradunt, vt ſuas libidines expleant, id eſt, vt pro ſuo libitu ſecularibus curis inhient, & quod vnicuique fuerit liberiùs agant.* Quantum autem exinde Eccleſiæ damnum accidat ſubjungit: *Pro talibus enim animæ negliguntur, oues pereunt, morbi creſcunt, hæreſes & ſchiſmata prodeunt, Eccleſiæ deſtruuntur, Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proueniunt.* nec immeritò. Nam ſi liberum eſt pro libito ſibi magiſtros quærere & doctores, timendum ne *quærant populi ſibi magiſtros prurientes auribus, & ad fabulas inanes conuertantur.* Ideóque ſicut in

Digitized by Google

corporalibus eoſdem qui genuerunt, natura pro educatione liberorum prouidit; ita & in ſpiritalibus diuinæ Prouidentiæ is ordo videtur congruentiſſimus, vt iis quibus regenerandi committitur officium, inſtituendi quoque & alendi munus proprium imponatur.

Quare Patres Mediolanenſes ſuperiùs citati, poſtquam Parochum loco parentis ſibi eſſe debere quem diligant, colant atque obſeruent, aſſeruerunt, hoc ſibi vnumquemque proponere debere ſtatuunt, eundem pro fidelibus ſibi commiſſis apud Deum internuntium ac deprecatorem eſſe, diuinæ Legis interpretem, diſpenſatorem myſteriorum Dei, Chriſtianæ vitæ & morum diſciplinæ magiſtrum, à quo omnes petant piè rectèque agendi conſilium. Hæc enim in omni lege connexa fuerunt. In antiqua, verbi gratia, lege idem qui populo Sacerdos erat, Doctor quoque cenſebatur, juxta illud Malachiæ 1. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Et qui à Chriſto conſtituuntur Paſtores, paſcendi tam verbo quàm Sacramentis ſimul ſuſcipiunt poteſtatem. Salutare equidem magiſterium eſt quod ab eo datur, qui vice Chriſti magiſter conſtituitur, qui tanquam Pater diſcipulos diligit, & ab iis diligitur, qui non tantùm docere, ſed & corripere poteſt: Auctoritas docendi venerationem præbet, paterna charitas dilectionem. Rectè Ambroſius Concione quinta, pro variis actionibus: *Prædicatio Sacerdotis in plebe, ſaluandis eſt correctio, conteſtatio judicandis.* Et ſermone ſexto: *Mæreat licèt filius mei aſperitate ſermonis, me tamen delectat; quia proficere illum intelligo per mærorem. Ait ſanctus Apoſtolus: Quis eſt enim filius quem non verberat pater? Non enim oſculatur ſemper pater filium, ſed & aliquando caſtigat. Ergo quando caſtigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur.* Hæc graphica Paſtoris admonentis deſcriptio: qui, vt pater, ex dilectione mouetur ad corripiendum, & ex charitate caſtigat, ſine quibus imperfecta eſt omnis admonitio. Quas duas partes eminentiùs ceteris Paſtores poſſident, cùm nec extranei dilectionem habeant erga eos pro quorum ſalute animam non ſpoponderunt; atque ita nec tradere animam obligati ſunt, nec auctoritatem habent,

Digitized by Google

ſed tantùm volentes, & ſponte accedentes ad ſe recipiunt. Porrò concione iſta 5. citata, reperio ſingulare aliquod obſequium populi Mediolanenſis erga Ambroſium : qui pro conditione iſtius temporis, vt totius quidem diœceſis epiſcopalem curam gerebat, ita ciuitatis quodammodo parochialem exercebat; quo proinde ad Eccleſiam conueniente raros abfuiſſe gratulatur, ſed ipſo abſente, ac proinde Preſbytero ciuitatenſi hanc curam obeunte, paucos confluxiſſe conqueritur: *Comperi enim, fratres*, inquit, *quod per abſentiam meam ita rari quique ad Eccleſiam veniatis, ita pauci admodum procedatis, quaſi me proficiſcente mecum pariter veniretis, & quaſi cùm neceſſitatibus ego pertrahor, vos mecum traxerit ipſa neceſſitas. Neſcitis quia etſi ego ab Eccleſia deſum, Chriſtus ab Eccleſia ſua, qui eſt vbique, non deeſt. Venis, frater, ad Eccleſiam, non inuenis ibi Epiſcopum: ſed ſi fideliter venis, inuenies ibi Epiſcopum Epiſcoporum, Saluatorem. Nam Chriſtianus qui tunc tantùm procedit ad Eccleſiam, quando Epiſcopus præſens eſt, non tam Dei cauſa videtur proceſſiſſe, quàm hominis, nec impleſſe Chriſtiani timentis officium, ſed amici deferentis obſequium.* Quæ verba propoſito noſtro aptari poſſunt; vt ſciamus eum qui paternum Parochi officium eſſe, & paternam erga ſubditos dignitatem ei ineſſe perpenderit, & quid ei exinde debeat attenta mente reuoluerit, duplici ex capite moueri poſſe ad Parochiam frequentandam, puta propter Chriſtiani timentis officium, & amici ſeu filij deferentis obſequium. Hoc enim animi timentis Deum indicium eſt, Eccleſiam parochialem frequentare, Parocho tanquam vice Chriſti conſtituto adhærere, vt patrem diligere, vt magiſtrum reuereri, vt diuinæ Legis interpreti obedire, vt diſpenſatorem myſteriorum Dei venerari. *Meam animam*, dicebat Ignatius epiſt. 11. ad Polycarpum, *libens commutauero cum animabus eorum, qui Epiſcopo parent, Presbyteris & Diaconis; faxit Deus, vt cum illis mihi portio contingat à Deo.* Idem ex animi mei ſenſu libenter dixero, meam animam non inuitè me commutaturum cum animabus eorum, qui Summo Pontifici, qui Epiſcopo loci ordinario, qui Parocho ſub illis Paſtori conſtituto fideliter, & ſubmiſsè de-

Digitized by Google

ſeruiunt. Faxit Deus, vt cum illis mihi à Deo merces reddatur, per quos IESV Saluatori meo me adhæſurum confido.

§. 31.

De efficacia precum in Miſſa parochiali.

CVM ad Spiritus ſancti receptionem per preces diſponendi eſſent Apoſtoli, de iiſdem Lucas ſcribit, quòd *cùm introiſſent* Ieroſolymam *in cænaculum aſcenderunt vbi manebant Petrus & Ioannes* &c. Act. 1. Vt ſciremus valere præſertim orationes quæ fiunt in loco in quo præſident Eccleſiæ Paſtores. Quinetiam obſeruat cap. 2. verſu 1. quòd *cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco.* Non enim ſatis erat notaſſe omnes vnanimiter oraſſe, eadem mente, paríque intentione, niſi etiam in eodem loco. Vir Apoſtolicus Ignatius primam conditionem orationis explicat variis epiſtolis, ſed maximè epiſt. ad Smyrnenſes, vbi ex Epiſcopo loquens, qui tunc temporis in ciuitatibus plebi per ſeipſum prouidebat, Parochorum tam qui in vicinis conſtituti ſunt, quàm qui in ciuitatibus pro adminiſtratione Sacramentorum & Sacrificij oblatione officio funguntur, quo olim Epiſcopi, cauſam agit: *Omnes*, inquit, *Epiſcopum ſequimini, vt Chriſtus Patrem, & Presbyterorum collegium, vt Apoſtolos, Diaconos reuereamini, vt ex Dei præcepto miniſtrantes. Sine Epiſcopo, nemo quicquam faciat eorum quæ ad Eccleſiam ſpectant: rata Eucharistia habeatur illa quæ ſub Epiſcopo fuerit, vel cui ipſe conceſſerit. Vbi comparuerit Epiſcopus, ibi & multitudo ſit; quemadmodum vbi Chriſtus, ibi omnis adſtat exercitus cæleſtis, velut imperatori, poteſtatis dominicæ omniſque intellectualis naturæ gubernatori. Non licet ſine Epiſcopo baptiſare, neque offerre, neque ſacrificium immolare, neque dochen celebrare; ſed quodcunque illi viſum fuerit ſecundùm beneplacitum Dei, vt tutum & ratum ſit faciatis* &c. Poſteriorem verò explicat epiſt. ad Magneſianos: *Omnes ad orandum in idem loci conuenite. ſit vna communis precatio, vna mens, vna ſpes in charitate & fide inculpata in* CHRISTVM IESVM, *quo nihil præſtantius eſt. Omnes velut ad vnum altare, ad vnum*

Digitized by Google

IESVM CHRISTVM *ſummum ſacerdotem Dei ingeniti*. Quinam ſunt autem omnes iſti qui eundem in locum conuenire jubentur? Non ſimpliciter quidem omnes Chriſtiani, quòd omnes idem locus non caperet; ſed omnes qui eundem habent myſtam, eundem Sacerdotem, eundémque Paſtorem & Sacrificum; quemadmodum interpretatur Tertullianus, qui Chriſtianæ (vt Ethnici vocabant) factionis, ſeu (vt Chriſtiani appellabant) religionis bona enumerans: *Corpus*, inquit, *ſumus de conſcientia religionis, & diſciplinæ vnitate, & ſpei fœdere. Coïmus ad Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata eſt.* Orationem à corporis vnitate commendat, quòd corpus vnum ſit; à doctrinæ conformitate, diſciplinæ ejuſdem obſeruantia, confœderatione in eandem ſpem, vnde jus pacis & nomen fraternitatis. quæ etiam idem auctor oſtendit lib. de velandis Virginibus cap. 2. *Vna nobis & illis fides, eadem ſpes, eadem lauacri Sacramenta; ſemel dixerim, vna Eccleſia ſumus, ita noſtrum eſt quodcunque noſtrorum eſt.* Corpus igitur iſtud vnum, diſciplinæ vnitate vnum eſt, quia ſub vno præceptore, ſub vno præſide, probato ſeniore, ſub vno cenſore, qui à communione orationis & conuentus & ſancti commercij relegare poſſit, qui diſciplinam præceptorum inculcationibus denſet, exhortetur, caſtiget, vt ibidem ſubditur. Vno verbo, corpus iſtud congregatio vocatur & Eccleſia. congregatio, quaſi gregum ſub Paſtore adunatio. Eccleſia, quaſi hominum ſimul vocatio, ita vt Paſtor ſingulos *vocet nominatim*, vt edicit Chriſtus Ioannis 10. & in veteri Eccleſia factum teſtimonio Ignatij epiſtola ad Heronem Diaconum. Quæ omnia plebanam Eccleſiam oſtendunt, monaſteriorum oratoria excludunt; ad quæ nemo vocatur, nemo congregatur; in quibus nullus jus habet caſtigandi delinquentes, aut diſciplinam aſſerendi. Hujus corporis vnitatem exercitus vnitati aſſimilat Africanus idem ſcriptor, dum nos, *quaſi manu facta, precationibus Deum ambire* ſcribit. Num teſtitudinem militarem putes hîc deſcriptam, confertam, coactámque multitudinem ſub duce ſuo, quæ non irrumpat, ſed & vim impetúmque elidat? *Hæc vis autem Deo*

grata

Digitized by Google

grata eſt, quia Deum non ſolùm exorat, ſed veluti inuitum expugnat. Nam, vt ait Saluianus lib. 2. de Prouidentia, *non audientia tantùm Dei, ſed quædam quaſi obedientia.* Vis autem illa Deo quodammodo infertur à populis in Eccleſia parochiali orantibus, quæ tanquam *caſtrorum acies ordinata*, dum milites ſuos in vnum cogit, potentiores aduersùs diabolum facit. Quod oſtendit ſanctus Paulus ad Hebræos 10. his verbis: *Conſideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum, non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes, & tantò magis, quantò videritis appropinquantem diem.* Præſidium ergo maximum in orationum fidelium in vnum locum ſub Paſtoribus conuenientium vnitate; conſolatio in iis maxima, quam qui negligunt, *hos*, inquit Ambroſiaſter verborum iſtorum interpres, *in hoc loco non ſolùm admonuit, ſed etiam culpauit & terruit vnitatem charitatis ſcindentes.* Rectè ſanè ad hunc ſcopum Cyprianus tractatu de Oratione Dominica: *Publica eſt*, inquit, *nobis & communis oratio: & quando oramus, non pro vno, ſed pro toto populo oramus, quia totus populus vnum ſumus. Deus pacis & concordiæ magiſter qui docuit vnitatem, ſic orare vnum pro omnibus voluit, quo modo in vno omnes ipſe portauit.* &c. Et paulò pòſt: *Sic & Apoſtolos cum Diſcipulis poſt aſcenſum Domini inuenimus oraſſe: Erant, inquit, perſeuerantes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus & Maria, quæ fuit Mater* IESV, *& fratribus ejus. Perſeuerabant in oratione vnanimes, orationis ſuæ & inſtantiam ſimul & concordiam declarantes. Quia Deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo, non admittit in diuinam & æternam domum, niſi eos apud quos eſt vnanimis oratio.* Conſentit Chryſoſt. homil. 28. tom. 1. quæ tertia eſt de incomprehenſibili Dei natura: *Te, homo, decipis, & magno in errore verſaris. Nam etſi domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non poteſt, vt domi tam bene ores quàm in Eccleſia, vbi tot patres, vbi clamor felici ſocietate excitus ad Deum immortalem refertur. Non pariter exoras cùm ſolus Dominum obſecras, atque tuis cum fratribus. Eſt enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conſpiratio, copula amoris & charitatis, Sacerdotum preces. Præſunt enim ob eam rem Sacerdotes, vt populi*

Digitized by Google

orationes quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexæ, ſimul in cælum euehantur &c.

Præclara ſanè ejuſdem Chryſoſtomi exhortatio homil. 59. tom. 1. ſeu 6. contra Anomœos, vbi tempore præſertim quo ab hæreticis obſidemur, ac veluti cingimur, valde neceſſariam ad conuentus publicos plebis aſſiduitatem demonſtrat his verbis: *Quòd ſi ex aliis conuentibus multum lucri conſequimur, certè ab his qui hîc celebrantur, duplex lucrum expectare licet. Non enim hunc fructum ſolum capimus, quòd animam diuinis eloquiis rigamus, ſed & quòd hoſtes confundimus & diſpergimus, fratribus noſtris, magno ſolatio exiſtentes. Noſtræ hujus aciei & ordinis lucrum eſt laborare. Vtique periculoſam partem in exercitu tenemus, & propterea omnes huc confluere opportebat, & hoſtes qui nos adoriuntur, repellere. Eſto. Nequeas longum ſermonem producere, nec habeas docendi gratiam. Adſis ſolùm, & totum perfeciſti. Nam corporis præſentia numerum gregis adauget, ac multam fratribus affert conſolationem, & hoſtibus pudorem imponit. Etenim ſi quis hæc ſacra ingreſſus veſtibula, videat paucos, alacritatem ſuam remittit, abjicit, torpeſcit, factúſque ſegnior inde recedit; fítque ſic omnis multitudo hæc paulatim diſſolutior & ignauior. Sin viderit concurrere vndequaque, magnóque ſtudio, etiam ſi valde ignauus ſit, alacrior redditur. Nam ſi lapis ſæpe ad lapidem concuſſus ſcintillas exilire facit, tametſi nihil ſit frigidius lapide, nihílque igne calidius; attamen concuſſio, victa natura, ignem elicit. Quod cùm in lapillis contingit, multò magis idem fit & in animabus quæ mutuum atteruntur, & igne ſpiritus concaleſcunt.* Præcedentibus conjungimus Athanaſium, Ambroſium, & Petrum Chryſologum. Athanaſius Apol. 1. ad Imp. Conſtantium: *Quid*, inquit, *rectius putas, particulatim & diſſociatim, vnà cum periculo eliſiônis, populum ſynaxes facere? An potiùs, vt in locum omnium bene capacem conueniat, & vnam eandémque ſine diſſonantia vocem reddat? Certè id rectius eſt, cùm id concordiam vnanimis multitudinis oſtendat, & Deum ad exaudiendum promptiorem habeat. Nam ſi pro ipſius Saluatoris pacto in conſenſu duorum quodcunque petierint, fiet; quid igitur futurum, vbi ex tot tantiſque populis in vnum congregatis, vna vox reſpondeatur acclamantium Amen? Quis*

Digitized by Google

hoc ipſum non admiratione proſequetur, aut non inter felicia prædicet, cùm videat tantam multitudinem in vnum locum conuenire? Quid gaudij ibi ex mutuo inuicem conſpectu &c. Applica quoque verba Ambroſij epiſt. 25. libro 3. ad Eccleſiam Vercellenſem: *Si juxta Dominicam ſententiam, quod duobus conuenerit ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis eſt, (Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum) quantò magis vbi plena eſt in nomine Domini congregatio, vbi vniuerſorum poſtulatio congruit, dubitare vos nequaquam oportet ibi Dominum* IESVM, *& voluntatis auctorem, & petitionis arbitrum fore, & ordinationis præſulem, vel largitorem gratiæ. Facite ergo vos dignos videri quorum in medio Chriſtus ſit* &c. Petrus Chryſologus ſerm. 132. *De vnitate fidelium fusè hoc argumentum tractat, ex quibus hæc præſertim deſumimus, vbi ſunt qui præſumunt Eccleſiæ conuentum poſſe contemni, & ſolitarias preces venerandæ congregationi autumant anteferri, ſi duobus vel tribus ſimul poſitis medium ſe futurum, & omnia ſe promittit quæ poſtulatus fuerit, præſtaturum? Qui nil negat tam paucis, quid in Conciliis & congregatione Sanctorum poſcentibus denegabit? Sic credens Propheta, hoc adeptum ſe gloriatur, cùm dicit: Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in concilio juſtorum & congregatione. Toto corde confitetur, qui totum ſibi in concilio Sanctorum, quod popoſcerit, audet eſſe præſtandum. Sed nonnulli ſub ſpecie fidei contemptus ſui excuſare nituntur ignauiam, vt neglecto venerandi cœtus & congregationis ardore, illud ſe tempus orationi deputaſſe confingant, quod domeſticis dederint & impenderint curis; & dum propriis deſideriis mancipantur, diuina contemnunt & deſpiciunt inſtituta. Iſti ſunt qui corpus Chriſti diſſipant, membra diſpergunt, nec ad decorem ſuum patiuntur formam Dominici habitus peruenire: quam Propheta cùm vidiſſet in ſpiritu, ſic canebat: Specioſus forma præ filiis hominum.* Atque hæc omnia probant efficaciores preces noſtras eas eſſe ſolere, quæ ab omnibus ejuſdem corporis congregatis fiunt, conuocante eos Paſtoris reuerentia, legum Eccleſiaſticarum obſeruantia inuitante, excitante charitate, quæ per modum ignis congregat homogenea, & diſgregat heterogenea, verbi cauſa, fideles

Digitized by Google

ab infidelibus ſegregat, vt fidelibus ſecundùm Eccleſiaſticam territoriorum diſtributionem ſingulis ejuſdem vici & regionis & parochiæ Eccleſias partitur.

§. 32.

Prima excuſatio peregrinationis & congregationis religioſæ expenditur.

OBTRVDVNT aliqui tres præſertim excuſationes. Prima prætextum habet pietatis, religionis, & honeſtatis; ſiue peregrinationum,& confraternitatum,ſeu congregationum. Indiſcretas & imprudentes peregrinationes jam à multo tempore inſectatus eſt ſanctus Gregorius Nyſſenus oratione de iis qui adeunt Hieroſolymam; de qua & circa quam multi multa dicunt. Amulo Lugdunenſis Archiepiſcopus tempore Caroli Calui, eaſdem quoque peregrinationes,imprudentes ſcilicet & temerè abſque conſilio ſuſceptas, exterminare conatur: *Annuntiando omnibus fideliter atque obteſtando, vt intermiſſo hujuſmodi vano & pernicioſo concurſu, vnde nulla animæ ſalus, nulla corporis incolumitas, nulla vitæ vtilitas prouenire cognoſcitur, vnaquæque plebs in Parœciis & Eccleſiis quibus attributa eſt, quieta conſiſtat* &c. *Ibi ſuffragia omnium Sanctorum quærat, qui, vt ſcriptum eſt, ſequuntur agnum quocunque vadit, & idcirco fideliter inuocantibus vbique præſto ſunt* &c. *Ibi itaque vnaquæque plebs pupillis & viduis, pauperibus & peregrinis de facultatibus quas Deus tribuit, eleemoſynarum largitionem exhibeat, hoſpitalitatis officia impendat, & quodcunque in commeſſationibus & ebrietatibus, & quæſtu hominum vanorum conſumere ſolebat, in iſtiuſmodi ſuis & proximi ſalubribus vtilitatibus expendat. Hæc eſt enim legitima & Eccleſiaſtica religionis forma. Hæc antiqua fidelium conſuetudo, per quam & nouitatum vanitas amputatur, & vetuſta ac recta Euangelicæ atque Apoſtolicæ inſtitutionis ſemita cuſtoditur.*

Neque tamen omnes peregrinationes ad ſepulchra Martyrum reprehendit inſignis iſte Antiſtes: Nam, inquit, *ſi votum & deſiderium eſt populorum fidelium, diuerſorum Martyrum, & ceterorum Sanctorum limina ſuppliciter frequentare, ſunt dies certi & legitimi, quibus id juxta antiquam Eccleſiæ obſeruantiam*

Digitized by Google

deuotè exercere conueniat, tempore videlicet generalium Rogationum, & pro diuerſis tribulationibus ac neceſſitatibus indictarum Litaniarum, ſeu Quadrageſimalium jejuniorum, ſiue etiam in vigiliis & natalitiis Martyrum. Quæ omnia & ex vniuerſalis Eccleſiæ lege deſcendunt, & Sacerdotum prædicatione ac denunciatione commendantur, & omnium fidelium obedientia & pietate attentiùs obſeruanda ſunt. Quamquam & ceteris diebus cum ſilentio & puritate deuotionis, non in oſtentatione & tumultu, ſacra loca probabiliter viſitentur. Ne die Dominico & feſtis diebus peregrinationes iſtæ longiores ſuſcipiantur facit, quòd in antiqua lege determinatum eſſet iter Sabbathi, quod prætergredi non liceret, quòdque, vt ſupra oſtendimus, peregrinantes non in priuatis Oratoriis, ſed in Eccleſia parochiæ Miſſam audire teneantur, quemadmodum juxta morem ſui temporis Theodulphus Aurelianenſis conſtituit.

De confraternitatibus & congregationibus nil aliud huc addimus, quàm quod ex Conciliis variis ſuperiùs patere poteſt, confraternitates & congregationes ita eſſe laudabiles, vt parochialibus conuentibus non obſtent, & vno verbo ea omnis pietatis ſpecies quæ propria voluntate ſuſcipitur, poſtponenda ſit ei quæ vel Eccleſiæ lege jubetur, vel etiam ab Eccleſia tanquam vtilior proponitur. Quare, cùm Parochialis conuentus à tota Eccleſia vel jubeatur, vt in Gallia, vel ſaltem plurimùm commendetur, quemadmodum de Italia ſuperiùs probauimus; etiamſi quis magis inclinet, vel in Eccleſiam aliam, vel in Oratorium, quis tamen dubitet ſatius eſſe Eccleſiæ voto & voluntati ſatisfacere, quàm ſuæ cupiditati. *Lex Domini immaculata conuertens animas; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.* Apud bonos & verè pios lex Eccleſiæ, etſi fortè non habeat vim obligandi, habet tamen facultatem dirigendi. Abſurdum eſt in pietatis operibus ſingularitatem amare, & proprium quærere delectum; propriæ voluntati ſatisfacere, vnde totius vitij origo manat. Satius eſt in vnitate fidelium perſeuerare, quam ſcimus ad obtinendum aliquid à Deo plurimùm valere, quàm extra vnitatem, vel ipſius loci precari. Egregiè citatus ſuprà Petrus Chryſologus ſerm. 132. *Quiſquis ille eſt qui ſe*

Digitized by Google

putat eſſe aliquid, tali inſtitutus exemplo maneat in Eccleſia, vt ſit aliquid. alioqui vbi defuerit illi, ſibi eſſe mox deſinit. Quod qui pleniùs noſſe deſiderat, Apoſtoli de corpore Chriſti loquentis perlegat inſtituta. Quia nos illa percurrere ſermonis breuitas amica non patitur. Lex eſt data non vni, ſed omnibus. Chriſtus non pro vno, nec ad vnum, ſed ad omnes, & pro omnibus venit, vt redintegraret omnes in vnum ſolum bonum, ſolum jucundum. Propheta futuri præſcius, ſic proclamat: Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in vnum; quia Deo non ſingularitas eſt accepta, ſed vnitas; Spiritus ſanctus Apoſtolis in vnum congregatis vbertate tota ſui fontis illabitur. Cujus vt ſimul Diſcipuli operirentur aduentum, Dominica ſunt præceptione commoniti fratres, amittit diuina munera, perdit gratiæ largitatem, charitatis fraudatur bonis, vnitatis illum benedictio non manebit, qui de ſe malefidus, & ex defectu ſuo ſtultè ſibi ſufficiens, ſic præter Eccleſiam vitam quærit, quam in ipſa tantùm eſſe Propheta teſtatur, dicendo: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in vnum: quia illic mandauit Dominus benedictionem & vitam vſque in ſæculum.

§. 33.

Excuſatio pauperum, otium refellitur.

ALTERA quorundam excuſatio eſt pauperum, qui ſe eo die curis ſecularibus fatigant; atque adeo à Miſſis parochialibus auocantur. Hoc vetant Concilia & Summi Pontifices, qui non tantùm opera ſeruilia, verùm etiam curas ſeculares prohibent, ne iis voluntariè attendamus. Nicolaus ad Conſulta Bulgarorum cap. 12. id probat. *Quoniam his quæ Dei ſunt, arctiùs homo debet hærere; quæ mundi ſunt, à ſe conuenit penitùs reſecare; præcipuè cùm eo die ad militiam diuinam accedens homo implicari non debeat negotiis ſecularibus, & ob reuerentiam tantæ ſolennitatis non oporteat in medium deferri, niſi quo omnibus gaudium, pax, & ſpiritalis lætitia generetur.* Forojulienſe Concilium cap. 13. *Die Dominico ab omni opere terreno ceſſandum* &c. *Ceſſante omni cauſarum ſtrepitu.* Concilium Pariſienſe ad Imperatorem Ludouicum & Lotharium

Digitized by Google

lib. 3. cap. 19. *Obnixè deprecamur, vt in obſeruatione diei Dominici, ſicut jamdudum vos deprecati ſumus, debitam adhibeatis curam, quatenus niſi magna compellente neceſſitate in ipſa die à curis & ſollicitudinibus mundanis, quantum poteſtis, vos exuatis, & quod tantæ diei venerationi competit & vos faciatis, & veſtros ſacro veſtro exemplo hæc doceatis, & agere compellatis.* Præterea etiam Eccleſiæ mens eſt eo die opera ſeruilia prohibere fidelibus, *vt liberè poſſint ac debitè in eo die ſecundùm poſſibilitatem omnes ad Eccleſiam concurrere, & in ſolo omnipotenti Deo orationi vacare, vt qui Chriſtiano vocabulo nuncupantur, conuenienter opera peragere videantur.* Vnde Concilium Matiſconenſe 2. cap. 1. *Eſtote omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporéque intenti* &c. Vnde etiam Arelatenſe 6. ſub Carolo cap. 16. ea opera Dominicis diebus *ſolummodo peragi permittit, quæ ad Dei cultum & ſeruitium pertinere noſcuntur.* Et Turonenſe 3. ſub eodem, cap. 40. *Oportet omnes Chriſtianos à ſeruili opere* (ſupple, *vacantes) in laude Dei & gratiarum actione vſque ad veſperam perſeuerare.* Quod confirmat Auguſt. hom. ad populum citata in Concilio Pariſienſi ſub Ludouico & Lothario lib. 2. cap. 12. ad finem: *Qui in Sanctorum ſolennitate*, ait, *omnes homines magis debere Deo vacare, quàm ſe diuerſis litibus impugnare.* Theodulphus citatus cap. 24. ſtatuit hujus diei *tantam debere eſſe obſeruantiam, vt præter orationes & Miſſarum ſolennia, & ea quæ ad veſcendum pertinent, nihil aliud fiat.* Quod didicerat à Guntramno Rege Francorum allocutione ad Patres Synodi Matiſconenſis 2. Vult enim, vt in diebus Dominicis, & aliis quibuſcunque ſolennitatibus, *Quando ex more ad veneranda Templorum oracula vniuerſæ plebis conjunctio deuotionis congregatur ſtudio, præter quod victum præparari conuenit ab omni corporali opere ſuſpendantur.* Atque adeo perperam Dominici vel feſti dies eliguntur ad curas temporales, propter quas omittatur Miſſa parochialis, cùm iſti dies toti & integri in opera religionis & pietatis impendendi deſtinentur.

Nemo verò meliùs hanc excuſationem refellit quàm Chryſoſtomus. Nam hom. 6. de Anna tom. 2. *Quis tantum neglectum ferat? Semel in hebdomada hîc colligimur; & ne hac qui-*

Digitized by Google

dem die ſeculares curas poſthabere ſuſtinent; & ſi quis objiciat, illico paupertatem prætexerunt, ac victus parandi neceſſitatem, vrgentéſque occupationes, defenſionem adferentes quauis accuſatione turpiorem. Quid enim hoc ipſo crimine pejus eſſe poteſt, quo aliquid aliud quàm diuina negotia, magis vrgens nobis eſſe videtur, magíſque neceſſarium? Ergo etiamſi maximè verum eſſet, hæc ipſa defenſio eſſet accuſatio, vt dixi. Vt autem, quod ſciatis, iſta cauſatio fuit, ac prætextus ad obtendendum ſegnitiæ, vel me tacente tertius abhinc dies omnes tales cauſationes redarguet, cùm ciuitas vniuerſa migrauerit ad circum & domus, ac fora nefarij illius ſpectaculi gratia euacuata fuerint &c. Item homil. 24. de Baptiſmo Chriſti tom. 1. reprehendens populi infrequentiam in ſynaxibus præterquam majoribus feſtis, cùm tamen ſpiritualis in iis exultatio percipiatur; & nautarum more deberemus emenſi pelagus ſecularium negotiorum, ad Eccleſiam, tanquam ad portum confugere. quibus iſta deinde ſubjungit. *Quis non igitur eos vel infeliciſſimos judicet, qui cùm tantam morum ſanctitatem poſſint adipiſci, non aſſiduè verſentur ac ventitent ad communem omnium parentem, Eccleſiam nimirum? Etenim quamnam tandem eſſe tibi magis fructuoſam occupationem cauſari poſſis, aut congreſſum vtiliorem? Quodnam autem impedimentum, quominus hîc nobiſcum verſeris? Paupertatem nimirum tibi impedimento eſſe dices, quominus præclaro huic cœtui interſis? At legitima non eſt hæc excuſatio. Septem habet dies hebdomada. Diuiſit hos ſeptem nobiſcum Deus. neque ſibi quidem potiorem partem, nobis autem minorem impertiit. Imò ne in duas quidem æquales partes eas diſtribuit: non ſibi tres aſſumpſit, tréſque largitus eſt: verùm tibi quidem ſex impertiit, vnam verò ſibi reliquit. nec in hac tamen tota à negotiis ſecularibus abſtinere dignaris; ſed hoc ipſum, quod faciunt, qui ſacras pecunias deprædantur, tu hac etiam die patrare audes, dum illam tam ſanctam & ſpiritualium eloquiorum auditioni conſecratam animam ſurripis, & ad ſeculares curas abutendo traducis. Sed quid ego de integro die loquor? Vel id vnum quod in eleemoſyna vidua fecit, tu in hujus diei tempore facito. Quemadmodum illa duos obolos miſit, multámque adeo gratiam iniuit: ſic & tu duas horas Deo commoda, & ſexcentorum dierum lucrum in domum*

Digitized by Google

domum tuam importabis. Quòd ſi id detrectes, vide ne fortè dum ad exiguum temporis ſpatium teipſum non vis à terrenis lucris auocare, integrorum annorum labores amittas. Solet enim Deus, cùm contemptus fuerit, collectas pecunias diſſipare. Quod & Iudæis minitando dicebat, quoniam ſollicitudinem templi omnem abjiciebant: Intuliſtis ea in domos veſtras, & exſufflaui ea, dicit Dominus. Quæ verba applicat Chryſoſtomus ad indigentiam quam fideles patiuntur, ex eo quòd minùs frequenter ſacris conuentibus interſint; probátque, quia plurima ſunt Chriſtianæ fidei myſteria, quæ ab iis qui ſemel vel perfunctoriè ad ſacras ſynaxes conueniunt, perſpecta haberi non poſſunt, aſſiduitate opus eſſe. Et verò abſurdum eſt ſeruos & liberos qui in diſciplinam traduntur, cum magiſtro tamdiù commorari vt faciliùs artem ediſcere poſſint, ad res autem diuinas addiſcendas vix momentaneum aliquid conferri.

§. 34.

Variæ excuſationes ex labore vel incommodo deſumptæ refutantur.

TERTIA excuſatio eorum eſt, qui credunt ſibi Miſſas parochiales eſſe fugiendas, vel quòd prolixiores ſint quàm vt otiari, relaxare animum, & ludis ac voluptati vacare poſſint; vel quòd parochialis Eccleſia longinquiùs diſtet; vel quòd minùs commoda minùſque oculis grata ſit; vel quòd via lutulenta, & aëris temperies importuna. Egregiæ ſanè excuſationes, & Chriſtiano maximè dignæ. Longinquitatem ſi cauſaris, refellet Chryſoſtomus: *An verò viæ ſpatium ſegnes illos reddidit? Imò verò non interuallum viæ, ſed ſegnities ipſa eos impediuit. Sicut enim ſolertem virum animo & propoſito alacrem nulla res detinere poteſt, ita ſegnem & remiſſum hominem omnia poſſunt impedire. Martyres pro veritate ipſa ſanguinem ſuum effuderunt, & tu ne breuem quidem viam ſubire potes? Illi pro Chriſto capita ſua expoſuerunt; tu verò ejuſdem Chriſti cauſa, neque extra vrbem vis egredi? Dominus ipſe propter te mortuus eſt, & tu propter illum ſegnem te oſtendis? Martyrum celebratur memoria; tu verò piger es, & jacentem animum*

Digitized by Google

habes, quem oportet hic præſentem eſſe, & diabolum ſuperatum, Martyrem verò ipſum ſuperantem videre, necnon Dei gloriam celebratam, Eccleſiámque corona inſignitam? Si cauſaris aëris intemperiem, occurret idem Sanctus hom. 9. eatum quæ ſunt de diuerſis argumentis tom. 6. *De non contemnenda Dei Eccleſia*, hac præſertim ratione: *In circo quidem, nullo tecto, quod pluuiam ſuſtineat, ſuperpoſito, complures largis imbribus decidentibus & vento aquam in ora ſufflante ſtant inſani: ad Eccleſiam verò quominus eamus, pluuia nobis atque lutum impedimentum eſt.* Vide fuſiùs hom. 4. de Anna tom. 2. Cauſaberis Parochiarum ædes minùs commodas, quia oculis ingratæ obuerſantur. Scilicet ſub ſpinoſo capite decet membra eſſe adeo delicata. Chriſtum crucifixum rogaturi venimus, & dedignamur ſacram ædem, niſi roſis conſita ſit & odoriferis thymiamatibus ſuauiter fragrans. Piget in cœlum ſuſpicere, niſi laquearia ſeu teſtudines ſacrarum ædium deaurata occurrant. Et cùm animi attentionem inter orandum quærere debeamus, requirimus marmoris ſplendorem, cujus cruſtæ parietes tegant; picturarum varietatem, quibus oculi delectentur, animus auocetur. Et qui Deum precaturi veneramus, ad creaturas toti conuertimur. Muſicæ etenim & harmoniæ dulcedinem ſequimur, qui ad id ſolùm intenti eſſe deberemus, vt Deum intus ſonantem audiremus. Conuenimus die Dominico, die reſurrectionis Domini, qui de ſeipſo dixit, *Oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam;* nec meminimus reſurrectionis ſpem nulli concedi, niſi qui patientem imitatus fuerit. Nam vt ait Apoſt. *Si tamen compatimur, vt & glorificemur,* ad Romanos 8. Feſtis Martyrum diebus conuenimus, qui Martyres imitari dedignamur. His carcerum fœtor & ſquallor placebat; tu Eccleſiæ leuem fœtorem odiſti. Hi ſanguine ſordidati gloriabantur in Deo; tu exteriores Eccleſiæ ſordes auerſaris. Vno verbo, tibi delitiæ, iis verò anguſtiæ & dura omnia cordi erant: quos nempe deſcribit Apoſtolus ad Hebræos 11. *Ludibria & verbera expertos, inſuper & vincula & carceres. Lapidati*, inquit, *ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, af-*

Digitized by Google

flicti; quibus dignus non erat mundus, in ſollicitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & in cauernis terræ. Obuerſentur tibi ante oculos veteris Eccleſiæ primi fideles, de quibus Tertullianus cap. 40. Apologetici: *Nos verò jejuniis aridi, & omni continentia expreſſi, ab omni vitæ fruge dilati, in ſacco & cinere volutantes, inuidia cælum tundimus, Deum frangimus, & cùm miſericordiam extorſerimus, Iupiter honoratur.* Itáne primi illi Heroës Chriſtiani nominis ad orandum cœmeteriorum latebras quærebant, fodinas, & ſpeluncas; tu verò incultam ædem ſacram auerſaris, putáſque ſordium prætextum, aut minoris commoditatis, juſtam ab officio explendo excuſationem eſſe?

§. 35.

Excuſatio à jocis, ludis, ac ſpectaculis refellitur.

TVRPIOR quoque excuſatio, quæ à ludis, ſpectaculis, jocis, & otio petitur. Nam, vt diximus ſuprà, Dominici dies & feſtiui totum hominem toto die requirunt. Neque ij dies ad otium dantur, ſed ad diuinum negotium. Rectè Nicolaus ad Conſulta Bulgarorum cap. 11. *Sanè ſciendum eſt, quoniam idcirco in diebus feſtis ab opere mundano ceſſandum eſt, vt liberiùs ad Eccleſiam ire, pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum aſſurgere, eloquiis diuinis intendere, eleemoſynas indigentibus miniſtrare valeat Chriſtianus. Quæ omnia ſi quis negligens otio tantùm vacare voluerit, & ad ceteras mundi vanitates licitos labores conuerterit, melius illi fuerat ipſo die beati Apoſtoli Pauli præceptis obaudiens laborare manibus ſuis, vt haberet vnde tribueret neceſſitatem patientibus.* Concilium Carthag. 4. can. 88. prout refertur de conſecratione diſtinct. 1. can. 66. ſtatuit *vt qui die ſolenni prætermiſſo ſolenni Eccleſiæ conuentu, ad ſpectacula vadit, excommunicetur.* Concilium Carthaginenſe ex pluribus collectum can. 62. Africanum can. 28. primum in Græca, alterum in Latina editione, diebus feſtis & Dominicis ſpectacula theatrorum fieri prohibent, ne populi Chriſtiani ab

Digitized by Google

Eccleſia auocentur. Trullanum Concil. cap. 66. à feſto reſurrectionis Domini ad Dominicam nouam per totam hebdomadam ſpectacula publica ſimiliter fieri prohibet: *Quia*, inquit, *in Eccleſiis vacare oportet fideles inceſſanter in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus exultantes in Chriſto, & ſacrarum Scripturarum lectioni attendentes.* Cabilonenſe ſub Carolo c. 19. in feſtiuitatibus Martyrum, aut in dedicatione Baſilicarum, turpia cantica cani vetat. Theodulphus Aurelianenſis ad Preſbyteros Aurelianenſes cap. 4. *Conueniendum eſt Sabbatho die cum luminaribus cuilibet Chriſtiano ad Eccleſiam; conueniendum eſt ad vigilias, ſiue ad matutinum officium; concurrendum eſt etiam cum oblationibus ad Miſſarum ſolennia &c. Tantummodo Deo vacandum eſt, in celebratione videlicet ſacrorum Officiorum, & exhibitione eleemoſynarum, & in Dei laudibus.* Deinde permiſſiuè additur, cum amicis, proximis, & peregrinis ſpiritaliter epulandum. Quæ verba prohibitiuè intellecta ſola conuiuia charitatiua permittunt, & ſpiritalibus exercitiis condita; non autem cetera, quia vt ipſe ſubjungit cap. 45. *Peſſimus vſus eſt apud quoſdam, qui in diebus Dominicis, ſiue in quibuſlibet feſtiuitatibus, mox vbi Miſſam celebrari, etiamſi pro defunctis ſit, audierint, abſurdum vt per totum diem à primo manè ebrietati & comeſſationi potiùs quàm Deo deſeruiant.* Quæ deſcriptio multorum eſt noſtri temporis, quibus Dominici & feſtiui dies potiùs ad peccandum, quàm ad Deo ſeruiendum facti videntur: quorum Sabbatha & Neomenias deridet Deus per Prophetas. Satiúſque illis eſſet nullos eis omnino eſſe Dominicos dies, nullos feſtiuos, ſatiùs quoque concedi illis opera ſeruilia quouis tempore, quibus corpora exercentur, & animis incentiua vitiorum ſubtrahuntur, quàm iis operibus vacare, quibus ad inhoneſta & Chriſtianis indecora prouocantur, quemadmodum ait Nicolaus ad Conſulta Bulgarorum cap. 11. ſuprà citato, qui appoſitè quoque cap. 10. ad Conſulta eorundem reſponderat verbis Gregorij Magni lib. 11. indict. 6. epiſt. 3. ciuibus Romanis: *Dominico die à labore terreno ceſſandum eſſe, atque omnimodo orationibus inſiſtendum; vt ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis*

Digitized by Google

Dominicæ precibus expietur. Quare ſtulta eſt excuſatio eorum qui Miſſæ parochialis auditionem, ſupererogationis opus putant, ſufficere exiſtimantes horæ quadrantem, aut ſemihoram in auditione Miſſæ inſumere, vt reliquum diei otio, jocis, choreis, comeſſationibus, aliiſque ludicris & vanis indulgeatur. Quandoquidem ſanctificationi diei Dominici & feſtorum hæc omnia repugnant. Sanè Chryſoſtomus homil. 9. ex diuerſis conflata, *de non contemnenda Eccleſia Dei*, tom. 6. cum reprehendit qui totum diem in rebus, quæ ad corpus ſpectant, conſumit, & duas horas ſpiritualibus non vacat. Idem habet homil. de Baptiſmo. Homil. verò 46. in ſanctum Lucianum martyrem, poſt initium conatur auditores ſuos à jocis & ſpectaculis, quæ ipſius tempore magna cum pompa celebrari ſolebant, (conquerentibus ſimiliter Ambroſio, Auguſtino & aliis) auocare, & ad ſacros conuentus reducere; præſertim ex animæ venuſtate, pulchritudine, ditatione quæ per frequentiam eorum acquiritur: *Noli*, inquit, *dilectiſſime, loci hujus frequentationem contemnere. Siue enim mæror aliquis negotium faceſſat, hîc relegatur; ſiue curæ ſeculares, aufugiunt; ſiue alienæ à ratione perturbationes, ſedantur. A foro autem & theatris ac ceteris profanis conuentibus, multis accumulatis curis ac mæroribus animæque morbis domum redimus. Si hîc continuò verſeris, prorsùs etiam ea, quæ foris contraxiſti, mala depones. Sin autem reſilias fugiáſque, tum illa etiam, quæ ſacrarum ope Scripturarum bona tibi comparaſti, prorsùs amittes; túæque omnes opes ſenſim à profanis illis conſeſſibus & colloquiis ſubripientur. Atque vt hæc vera eſſe noſcatis; cùm hinc diſceſſeritis, eos qui hodie abfuerunt videre ſtudete; tum quantum inter veſtram animi tranquillitatem & illorum anxietatem interſit, animaduertetis. Non ita pulchra eſt ac venuſta ſponſa in thalamo ſedens, ac mirabilis eſt anima glorioſaque, dum in Eccleſia ſpiritalia ſpirans vnguenta comparet. Qui enim huc cum fide ac ſtudio ventitat, innumeris theſauris ditatus abſcedit: & ſi tantùm os aperuerit, omni odorum ſuauitate continuò ac ſpiritualibus opibus complebit illos qui congreſſu ejus fruuntur: etſi ſexcentæ ingruerint calamitates, omnes æquo animo feret: vtpote qui à Scripturis diuinis patientiæ philoſophiæque ſufficien-*

tem occaſionem hinc acceperit. Et quemadmodum is qui perpetuò in rupe conſiſtit, fluctus deſpicit; ſic & is, qui aſſiduè collecta perfruitur, ac diuinis ſermonibus irrigatur, tanquam in rupe, in recto rerum judicio ſeipſum collocarit, nullis rebus humanis capietur: vt qui multò altius ſe prouexerit, quàm quò poſſent negotiorum ſecularium incurſiones pertingere. Neque verò tantùm ex admonitione, ſed etiam ex precibus, ex paterna benedictione, ex communi conuentu, fratrúmque charitate, atque aliis ſexcentis ex rebus multa vtilitate, atque animi oblectatione percepta ſolet diſcedere, atque innumera bona domum reportare. Perpendite itaque hodie quanta vos benedictione cumulandi ſitis, quanto illi damno mulctandi &c. Eadem vel ſimilia repetit de virtute orationis Eccleſiæ ſerm. 2. in diuerſa loca ſcripturæ tom. 2. & homil. 4. de Anna, vbi fusè probat quòd non ſolùm vtilius, ſed etiam jucundius ſit in Eccleſiæ conuentu verſari, quàm in theatris; præcipitiúmque oſtendit, in quod ſe juuenes præſertim conjiciunt ex iſta ſpectaculorum inſania. quod iterum repetit eodem tom. 2. homil. 3. de Dauide & Saüle, vbi etiam de periculo ex cantilenis verba facit: *Etenim*, inquit, *ſi hîc vbi Pſalmi, vbi diuinorum eloquiorum enarratio, vbi Dei metus, multáque reuerentia, frequenter ceu latro quiſpiam verſutus clam obrepit concupiſcentia: quomodo qui deſident in theatro, qui nihil ſani neque audiunt, neque vident, ſed multa diffluunt turpitudine, multa nequitia, qui vndique obſidionem patiuntur, per aures, per oculos, poſſunt illam ſuperare concupiſcentiam?* In eodem verſatur tom. 3. homil. 1. in verba iſta Iſaiæ: *Vidi Dominum*; vbi vtilitatem Eccleſiaſticorum conuentuum eleganter deſcribit. item tom. 6. hom. de non contemnenda Eccleſia Dei, quæ ex variis aliorum ſermonum fragmentis collecta eſt: quâ quidem in eodem argumento verſatur. Item oratione de Circo, in qua Eccleſiam congregatam Circo comparat. Plura ſimiliter alibi.

Digitized by Google

§. 36.

Excuſatio libertatis damnabilis.

FRVSTRA ergo conqueruntur nonnulli, conuelli ac conturbari pietatem Eccleſiæ ex illa diſciplinæ ſeueritate, qua fideles populos teneri aſſeritur ad audiendam Miſſam parochialem, ac ſi ex eo diſciplinæ capite peſſumdaretur libertas Chriſtianorum. Tantum autem abeſt, vt hinc ea libertas violetur, vt contraria docentium opinio ad nihil aliud ferme valeat, quàm vt Chriſtianos peccatorum ſeruituti ſubjiciat, eos ad nugas, jocos, ludos, deambulationes aliquando periculoſas, conuiuia, & comeſſationes diebus Dominicis ac feſtiuis promptiores ac liberiores faciat. Apage vt hæc libertas à Chriſtianis dicatur, quæ nos Satanæ ſubjicit. Ridiculè etiam iſti libertatem commendant, quàm ipſi auerſantur in ſuis. Nam ipſi ſuos nolunt ad alias Miſſas, quàm quæ in ſuis Eccleſiis celebrantur, diuertere; & quos dirigunt, Miſſis congregationum apud ſe celebrari ſolitarum intereſſe volunt, vel certè Miſſæ audiendæ in Eccleſiis ſuis adſtringunt. vt libertatem videantur nolle, niſi quæ ſubditorum cum Paſtoribus colligationem ſoluit, vt eos extraneis fortiùs adſtringat. Si libertas iſta magna gratia eſt; cur eam reſpuitis in vobis ipſis, & veſtris? Si gratia non eſt; cur eam vt talem commendatis? Neque verò Concilij Tridentini mentem capiunt, dum ſeſſ. 24. cap. 4. de reformatione, ait *monere debere Epiſcopum populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.* Nam verbum iſtud *commodè* reſpectiuum eſt, & ſignificat ſine juſta cauſa omitti non poſſe parochialis Miſſæ, & inſtructionis in ea fieri ſolitæ auditionem. ſiquidem ipſa vetus Eccleſia canonibus ſuis ſeuerè eos reuera punierit, qui ab Eccleſia parochiali ſæpius abeſſent.

Digitized by Google

§. 37.

Qui præſertim à Miſſa parochiali excuſari poſſunt.

SVPEREST demum vt videamus, quinam præſertim Miſſæ parochiali audiendæ ſubmittantur; quos nobis exhibebit Concilium Mediolanenſe 6. Tit. de Parocho & Parochiis, in epiſt. monitoria citata, quam his verbis abſoluit: *Huic autem noſtræ monitioni, & ſi omnes pro præcipua ſuæ ſalutis cura audientes eſſe debent; in primis tamen patresfamilias, tutores, curatores, ludimagiſtros, ceteróſque aliorum moderationi curationíve præfectos cohortamur, diuináque conteſtatione admonemus, vt de ſua & aliorum, quorum curam gerunt, ſalute ſolliciti, primùm ipſi hæc paterna monita amplectantur, tum illos etiam crebris cohortationibus ad illa exequenda inflamment, ídque curent, vt non ſolùm Miſſæ & diuinorum officiorum tempore illi in parochialem Eccleſiam conueniant; verùm etiam vt inſtitutas in ea doctrinæ Chriſtianæ ſcholas ſtatis illis diebus frequentent.* Pueros, quandiù ſunt in domo paterna, ad Eccleſiam parochialem deducendos ſpeciatim monet Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 4. *Iidem etiam* (ſcilicet Epiſcopi) *Dominicis & aliis feſtiuis diebus pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab iis ad quos ſpectabit, doceri curabunt, & ſi opus ſit, etiam per cenſuras eccleſiaſticas compellent.* Chryſoſtomus homil. 59. quæ eſt 6. aduersùs Anomœos, maritos cum vxoribus ad Eccleſiam proficiſci cupit, & liberos ſecum deducere. *Caput*, inquit, *mulieris vir eſt, mulier viri adjutrix. Ne igitur caput abſque corpore viam ad hæc ſancta arripiat, neque corpus abſque capite; ſed integer huc ingrediatur homo. Habete & pueros vobiſcum. Nam ſi jucundum eſt videre hominem omni olea amœniorem, à radice ſua filium habere adſtantem, quaſi nouam plantam; non jucundum autem hoc ſolum, ſed & vtile. Etenim quod dixi, ſi congregati fuerimus, majus lucrum erit* &c. Pueros tamen, quandiù in collegiis detinentur, mos eſt, ad euitandas euagationes lubricæ ætatis, in Oratoriis collegiorum retinere, vbi Miſſam audiant & fidei Chriſtianæ myſteriis accu-

ratè

Digitized by Google

ratè initientur. quem morem reprehendere minùs æquum videtur.

Seruos, bubulcos, porcarios, paſtores, aratores, qui in agris aſſiduè commorantur, vel in ſyluis viuunt, ad Miſſam parochialem juſſu dominorum proficiſci, Concilium 5. Rothomagenſe cap. 5. ſuperiùs citatum, docuit. Carolus Imperator lib. 1. Capitularium confirmauit. Serui demum omnes, niſi fortè qui ad cuſtodiam domus retinentur ejúſque ſecuritatem, quandiu abſunt ceteri, ad Miſſam parochialem veniant. Vel vt ſecundùm legem ſancti Leonis Papæ I. epiſt. aliis 79. aliis 81. cap. 2. conceditur, vt ſi Miſſæ celebratio populis non ſufficiat, ſacrificium iteretur, nouáque inſtructio adhibeatur. Qua de re Eccleſiæ vſus ſeruetur. Vltimo loco adhibeatur Chryſoſtomi egregia monitio, vt vnuſquiſque conetur alios ſecum ad propriam Eccleſiam ducere atque inuitare, juxta præceptum Pſalmiſtæ: *Afferte Domino filij Dei, afferte filios arietum Domino.*

ARTICVLVS IV.

CVM ex negligentia inquirendi conditionem eorum qui ſe ad celebrandam Miſſam offerunt, multi ſuſpenſi Sacerdotes, interdicti, vel alio quodam impedimento hujus myſterij incapaces admittantur; vt huic fraudi occurratur, quæ maximè perniciosa eſt animarum ſaluti & honori Eccleſiæ, Religioſi nulli concedere poterunt Sacerdotibus aliarum diœceſum, cujuſcunque conditionis, vt in ſuorum monaſteriorum Eccleſiis, domibus, & congregationibus Miſſam celebrent, niſi ex permiſſione ſcripta Epiſcopi diœceſani, aut generalis ejus Vicarij; niſi tranſeant duntaxat, & à domorum Superioribus probè agnoſcantur.

Commentarius ad Articulum quartum.

PRohibetvr hoc articulo ne quiſquam alterius diœceſeos Sacerdotem in ſuis Monaſteriis, domibus, vel congregationibus, quacunque dignitate fulgeat, ad Miſſæ ſacrificium offerendum ſuſcipiant abſque litteris formatis. Quo quidem proinde articulo antiqua diſciplina ſtatuitur, variis antiquis Conciliis præſcripta, & nobis etiam noſtro ſeculo renouata. Apoſtolorum c. 32. apud Balſamonem, 33. in editione Græca, 34. in Latina: *Nullus externorum Epiſcoporum, vel Presbyterorum, vel Diaconorum ſine commendatitiis recipiatur. Has verò dum ferunt, examinentur. Sin minùs, iis quæ ſunt neceſſaria minimè exhibitis, ad communionem ne recipiantur. Multa enim per ſubreptionem fiunt.* Concilium Laodicenum cap. 41. *Quòd non oportet eum qui eſt ſacratus, vel clericus, ſine juſſione Epiſcopi iter ingredi.* Antiochenum c. 11. refertur 23. quæſt. 8. c. 27. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, vel omnis omnino qui eſt ſub Eccleſiaſtica regula conſtitutus, præter conſilium vel litteras eorum Epiſcoporum qui ſunt intra Prouinciam, & maximè Metropolitani, ad Imperatorem perrexerit, hunc abdicari, & ejici non ſolùm de communione debere, ſed etiam propria dignitate priuari decernimus, tanquam moleſtum, & importunum imperialibus auribus contra Eccleſiaſtica conſtituta.* Agathenſe c. 52. *Presbytero, aut Diacono, vel Clerico ſine Antiſtitis ſui epiſtolis ambulanti communionem nullus impendat.* Subſcribunt Epaunenſe c. 6. Aurelianenſe 3. c. 15. & Vormacienſe c. 18. Similiter ſtatuit Liptinenſe ſub Carlomanno c. 4. *Statuimus vt ſecundùm canonicam cautelam, omnes vndecunque ſuperuenientes ignotos Epiſcopos, vel Presbyteros, ante probationem ſynodalem in Eccleſiaſticum miniſterium non admitteremus.* Item Sueſſionenſe ſub Pippino c. 5. *Et ſtatuimus vt ſuperuenientes Epiſcopi vel Presbyteri de aliis regionibus non ſuſcipiantur in miniſterium Eccleſiæ, niſi priùs fuerint probati ab Epiſcopo, cujus Parochia eſt.* Aquiſgranenſe ſub Ludouico Pio c. 49. ex Concilio Antiocheno: *Nullus peregrinorum ſine pacificis, id eſt, commendatitiis, ſuſcipiatur epiſtolis.* Aquiſgranenſe 2. ſub Ludouico Pio parte 2. cap. 22. *Similiter eſt poſtulandum* &c.

Digitized by Google

Presbyteris, qui hinc inde de diuerſis Parochiis veniunt, & in Palatio morantur, vt ſine proprij Epiſcopi conſenſu ibi locum conſiſtendi non habeant, nec recipiantur. Quia fieri poteſt, vt metu perpetrati criminis intra Parochiam, ne id palam juxta Canonum ſanctiones vlciſcatur, Palatinas ædes frequentent; aut certè licèt non ſit ordinatus aliquis, ipſe tamen abſque litteris ordinatum ſe atteſtetur. Meldenſe c. 50. *Vt Presbyteri, vel quilibet Clerici in alterius Parochia ſine formata non recipiantur, neque retineantur, nec etiam miniſtrare ſinantur. Criminati autem ab omnibus excludantur & rejiciantur Parochiis, in quibus cupiunt immorari, vſquequo ad eum reuertantur Epiſcopum, à quo aufugiſſe noſcuntur.* Concilium Romanum anni incerti ſub Gregorio VII. cap. 23. laudatum ab Antonio Auguſtino: *Presbyterique, vel Diaconi qui de alio Epiſcopo ad alium tranſeunt, vel quicunque Clerici, ſine commendatitiis à ſuo Epiſcopo litteris non recipiantur.* Melphitanum in Apulia ſub Vrbano II. c. 9. *Quia nouum hoc tempore Clericorum acephalorum genus emerſit, qui morantur in Curiis, & viris & feminis ad ſui ordinis dedecus ſubditi, cùm in Canonibus cautum ſit, ne quis ſine licentia Epiſcopi Clericus, nec Epiſcopus ſine Metropolitano Curiam adeat; præcipiendo præcipimus, & prohibentes prohibemus, ne quis retineat hujuſmodi; ſed Proceres ab Epiſcopis animarum ſuarum procuratores Clericos poſtulent, ſi Epiſcopi juſſione pro tempore ac viciſſim in Curiis conuerſentur. Ipſis itaque omnino interdicimus, ne decimis Procerum ſine conceſſione ſui Epiſcopi abutantur.*

Vetus etiam illud jus confirmant Imperatores. Nam Theodoſius & Valentinianus lege *Si qua*, §. 2. *Præterea*, inquiunt, *jubemus vt omnes Clerici atque Monachi, qui de ſuis ciuitatibus ad hanc almam vrbem eccleſiaſtici negotij, vel religionis cauſa proficiſcuntur, litteris Epiſcopi, cui vnuſquiſque eorum iter faciens obſequitur, muniti aduentiant, ſcituri quòd ſi citra hanc fiduciam acceſſerint, ſibimet imputabunt quòd non Clerici, vel Monachi eſſe putabuntur.* Iuſtinianus Nouella 6. cap. 3. Epiſcopos vetat Conſtantinopolim proficiſci abſque litteris Metropolitani. Neque Monachum, neque Clericum pariter Conſtantinopolim venire permittit Nouella 86. cap. 8. abſque litteris Patriarchæ. Carolus Magnus lib. 1. Capitularium

Digitized by Google

cap. 3. *Item in eodem Concilio* (Nicæno) *necnon & in Antiocheno, ſimul & in Chalcedonenſi: Vt fugitiui Clerici & peregrini à nullo recipiantur, nec ordinentur, ſine commendatitiis litteris, & ſui Epiſcopi vel Abbatis licentia.* Cap. 10. ex Concilio Antiocheno: *Vt Epiſcopus, vel quilibet ex Clero ſine conſilio, vel litteris Epiſcoporum, vel Metropolitani non audeant ad regalem dignitatem pro ſuis cauſis clamare, ſed in communi Epiſcoporum Concilio cauſa examinetur.* Item lib. 5. cap. 179. *Placuit vt Monachi, & Presbyteri, necnon & Clerici, qui poſtpoſita canonica auctoritate paſſim palatium adeunt, & noſtris ſacris auribus importuniſſimam moleſtiam inferunt, vt hoc non facere præſumant; quoniam in hujuſmodi facto & vigor Eccleſiaſticus contemnitur, & religio ſacerdotalis, & profeſſio monaſtica vilior efficitur.* Ludouicus Pius additione 4. ad Capitularia ex Concilio Africano vel Mileuitano cap. 99. *Placuit vt quicunque Clericus propter neceſſitatem ſuam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab Epiſcopo ſuo accipiat. Quòd ſi ſine formata voluerit peragere, à communione remoueatur. Quòd ſi alicubi ei repentina neceſſitas orta fuerit ad comitatum pergendi, alleget apud Epiſcopum loci ejus ipſam neceſſitatem, & de hoc ſcripta ejuſdem Epiſcopi deferat. Formatæ autem, quæ à Primatibus vel à quibuſcunque Epiſcopis Clericis propriis dantur, habeant diem Paſchæ. Quòd ſi adhuc ejuſdem anni Paſchæ dies incertus eſt, ille præcedens adjungatur, quomodo ſolet, poſt Conſulatum in publicis geſtis adſcribi.* Capitulare iſtud Ludouici extractum eſt ex Concilio Mileuitano 2. c. 20. & ex Concilio Africano c. 73. vbi de profectione tantùm Romana ſermo eſt: quibus in Conciliis formatarum ſcribendarum ratio habetur. Ideóque epiſtolæ iſtæ formatæ dicuntur, quia certa earum forma præſcribebatur. Fulgentius Ferrandus eas iter facientibus Clericis neceſſarias eſſe ait ex Concilio quodam Marazanenſi, ſeu, vt alij legunt, Marazianenſi, quæ vrbs eſt prouinciæ Byzacenæ apud Auguſt. lib. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 10. & in Collatione 1. cum Donatiſtis num. 133. Lege Victorem in prouincia Byzacena, Concilium Carthaginenſe ſub Cypriano, Antonini Itinerarium, & alia. Exemplar hujuſmodi epiſtolæ tradunt Burchardus libro 2.

Digitized by Google

cap. 227. ex dictis Concilij Nicæni, Iuo parte 6. cap. 434. Gratianus diſtinct. 73. cap. 1. & 2. quibus epiſtolis ab iis deſcriptis, non tantùm miniſtrandi iis qui commendantur, verùm etiam migrandi ex conſenſu Epiſcoporum ad aliam Eccleſiam datur poteſtas. Ideóque pacificæ vocantur, quòd qui iis commendantur, abſque turbata Eccleſiæ pace poſſint ab alieno Epiſcopo in Clericos proprios recipi. De iis Concilium Chalcedonenſe can. 11. *Omnes pauperes & qui auxilio indigent, cum examinatione, cum epiſtolis ſeu pacificis eccleſiaſticis ſolis viam ingredi ſtatuimus, & non cum commendatitiis: quoniam litteras commendatitias iis ſolis perſonis quæ ſunt ſuſpectæ, præberi oportet.* Et can. 13. *Externos Clericos & ignotos in alia ciuitate, ſine proprij Epiſcopi commendatitiis litteris nuſquam vllo modo miniſtrare.* In canonem autem 11. Balſamon συςατικὰς ſeu commendatitias litteras vocat, quæ dantur Clericis ab iis qui illos ordinarunt, & Epiſcopis commendant, ac eorum ordinationem declarant: imò & quæ perſonis ſuſpectis dantur, quæ alioquin non fuerunt in bona exiſtimatione. Vocari autem ἀπολυτικὰς, ſeu *dimiſſorias*, & εἰρηνικὰς, id eſt, *pacificas* epiſtolas, quæ exercitium miniſterij de licentia Epiſcoporum concedunt, dimiſſorias dici: *Vt quæ oſtendant ex voluntate ac dimiſſione Antiſtitis Clericum vel Epiſcopum tranſiturum, pacificas vocari, quòd cùm talis affertur ſcriptura ab eo qui ordinatus eſt, pax erit inter Antiſtites. Neque enim qui alienum Clericum recipiet, Confratrem ſuum opprimet, nec ei præjudicabitur, nec Clericus offendetur, tanquam ei, qui ipſum ordinauit, injuriam inferens.* Concludit igitur pacificis litteris indiguiſſe eos Clericos qui iter faciunt, vt ſacris miniſtrare vel celebrare poſſint. Quibus ſimilia ſcribunt Zonaras in canonem 11. citatum & 13. necnon Matthæus Blaſtares ad canonem 33. Apoſtolorum & citatum 11. Synodi Chalcedonenſis. Qui pariter, præſertim Zonaras, commendatitias eos habere debere declarat, qui vel pœnis ſoluti ſunt & in numero fidelium habentur, vel vocati in judicium ſe à culpa immunes oſtenderunt, & propter paupertatem auxilio indigent. Clericos autem ſine pacificis Epiſcopi litteris ſacrum miniſterium attrectare permiſſos non fuiſſe, licèt

Digitized by Google

aliquando in communione reciperentur, patet exemplo Iſidori & Fratrum, qui Tongi dicti ſunt, expulſorum à Theophilo Alexandrino ab Ægypto, quos Sozomenus lib. 8. cap. 10. Socrates lib. 6. cap. 9. Nicephorus lib. 3. cap. 11. ſcriptores vitæ Chryſoſtomi referunt acceptos cum honore ab eodem, & ad communes quidem Eccleſiæ preces admiſſos, non autem ad diuinorum myſteriorum communionem & attrectationem. Seuerior Syneſius epiſt. 63. Theophilo, Alexandrum Cyrenenſem domi obſeruauit, in Eccleſia ad ſacram communionem non admiſit. De iis Concilium Carthaginenſe 1. c. 7. ſic ſtatuit: *Caſtanus Epiſcopus Vſulenſis dixit: Statuat grauitas veſtra, vt vnuſquiſque Clericus vel laicus non communicet in aliena plebe ſine litteris Epiſcopi ſui. Gratus Epiſcopus dixit: Niſi hoc obſeruatum fuerit, communio fiet paſſiua;* id eſt, promiſcua, communis, prophana. Vnde inferes, ſacram communionem ignotis Clericis ſine licentia ſui Epiſcopi iter facientibus, dari eo decreto Concilij prohibitam, ac proinde multò magis ſacrum miniſterium interdictum.

Porrò non fuiſſe in poteſtate cujuſuis dare iſtas litteras formatas, expreſsè ſtatuit Synodus Antiochena c. 8. *Nec Presbyteri qui ſunt in pagis dent canonicas epiſtolas, vel ad ſolos vicinos Epiſcopos epiſtolas emittant. Chorepiſcopi autem, nulli reprehenſioni affines, dent pacificas.* In quem locum Balſamon Parochis, quos πρωτοπάπας Græci vocant, negat conceſſum etiam ad Epiſcopos vicinos, quibus ſcilicet noti eſſe poſſunt, epiſtolas pacificas dare; conceſſum autem Chorepiſcopis, ad ſolos tamen eos qui propiùs adſunt, Epiſcopos, non autem ad eos qui longioribus interuallis disjuncti ſunt. Fulgentius Ferrandus in breuiatione Canonum canone 94. ſtatutum ait vt Presbyteris formatas dare non liceat. ideóque c. 113. Laodicenum c. 40. ita vertit: *Vt Diaconi vel quilibet Clerici præter juſſionem Epiſcopi ad peregrina non proficiſcantur.* Et canonem prædictum Antiochenum 8. quoad ſecundam partem vertit: *Vt vicariis Epiſcoporum liceat formatas facere.* Canone breuiationis 80. Dionyſius Exiguus alio modo hunc canonem latinitate donat: *Presbyteri*, inquit, *qui ſunt in agris, canonicas epiſtolas dare non poſſunt: ad ſolos tantùm vici-*

Digitized by Google

nos Epiſcopos litteras deſtinabunt. Chorepiſcopi autem, qui ſunt inreprehenſibiles, dare poſſunt pacificas, id eſt, generales epiſtolas. Cui verſioni fauet vetus editio 2. *Neque Presbyter ad regiones longinquas formatas, id eſt, canonicas epiſtolas, niſi ad finitimos Epiſcopos ſimplices epiſtolas mittere præſumat. Vicariis verò Epiſcopi, qui à Græcis Chorepiſcopi vocantur, formatas facere liceat.* Hæc ſecunda verſio primam Dionyſij Exigui explicat, nec formatarum epiſtolarum neceſſitatem tollit. Nam vterque, tam Dionyſius Exiguus, quàm Iſidorus Mercator, qui auctor editionis 2. habetur, conueniunt c. 7. Concilij Antiocheni ſtatutum, ne externus & peregrinus Sacerdos vllibi, ſine pacificis, id eſt, à Præſulibus Eccleſiarum conſcriptis, vt interpretatur Zonaras, litteris ſuſcipiatur. Quare ſingularium quarundam epiſtolarum formatarum neceſſitatem admittunt, ſine quibus Epiſcopi ſuſcipientes Clericum ad aliquod ſacrum miniſterium, Eccleſiæ pacem turbare videbantur. Neque iis obſtant Leo Magnus epiſtola ad Epiſcopos Germaniarum & Galliarum de Chorepiſcopis, & Concilij Hiſpalenſis 2. can. 7. prohibentes Chorepiſcopis formatas dare. Nam Chorepiſcopus ibi in alia ſignificatione ſumitur, quàm in Antiocheno; à quo pro Vicariis Epiſcoporum (Fulgentio Ferrando & Dionyſio Exiguo illud interpretantibus) ſumuntur Chorepiſcopi, quibus Epiſcoporum nomine & litteras formatas, & ſigillo Epiſcoporum ſeu Epiſcopatus munitas dare licet; non autem pro Chorepiſcopis iſtis, in quos Leo I. & Hiſpalenſis 2. Concilij Patres, tanquam inutiles inuehuntur: qui ſcilicet ex Concilio Neocæſarienſi can. 13. nonniſi in gradu Septuaginta duorum Diſcipulorum propter ſtudium in pauperes, quod impendebant, honoratiores erant. Eodem proinde mihi videntur in gradu & officio in quo Parochi; nec officia Epiſcopalia loco Epiſcoporum tractabant, aut eorum curam aſſumebant.

Præter ea verò quæ requiſita diximus ad ſolennitatem epiſtolæ formatæ, illud omittendum non eſt quod Cabilonenſe 2. ſub Carolo c. 41. videtur apertiùs expreſſiſſe: *Vt litteras habeant alterius Parochiæ Presbyteri, in quibus ſint nomina*

Epiſcopi & ciuitatis plumbo impreſſa; quas tamen oſtendiſſe non ſufficiat. Nam duo canon iſte adjungit. Primum: *Vt Presbyter proprio loco dimiſſo, ad alium migrans, nequaquam recipiatur, niſi ſuæ migrationis cauſam dixerit, & ſe innocenter vixiſſe in Parochia ſub teſtibus probauerit.* Alterum: *Vt iis cognitis, & talibus inuentis quibus fides adhiberi poſſit, excipiatur.* Quæ duo inquiſitionem oſtendunt ab Epiſcopo loci faciendam, quam exigit Apoſtolorum canon ſuperiùs citatus. Plura vide c. 28. Synodi Carthaginenſis 3. Hiſpalenſis 2. c. 7. epiſt. Damaſi Proſpero Numidiæ Epiſcopo, & aliis; ſancti Auguſtini epiſt. 163. ſancti Leonis epiſt. 66. Sidonij Apollinaris epiſtola 9. lib. 6. & 2. lib. 7. & alibi paſſim.

Vetus illud jus & antiquum morem renouatum videre eſt in Concilio Tridentino aliiſque poſterioribus Conciliis, etiam noſtræ ætatis, (ne quis cauſari poſſit abrogata iſta omnia quæ protulimus) etiam facta expreſſa mentione, in quibuſdam Eccleſiarum regularium; ne priuilegia regulares in contrarium obtendere poſſint.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. decreto de obſeruat. & euitand. in celebrat. Miſſæ, jubet vt Ordinarij locorum ſinguli in ſuis diœceſibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Miſſam celebrare liceat, & ſeſſ. 23. cap. 16. de reform. *Nullus præterea Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Ordinarij litteris ab vllo Epiſcopo ad diuina celebranda & Sacramenta adminiſtranda admittatur.* Quod decretum quomodo intelligi debeat explicare poterit ſanctus Carolus Borromæus, Pij IV. nepos, & Adminiſtrator ſub ejus Pontificatu potiſſimus, ſub quo decreta illa ſunt in Tridentino. Ergo in Concilio primo Mediolanenſi, titulo, quæ pertinent ad celebrationem Miſſæ, Conſtitutionum parte 2. hæc ſcribit: *Clericis alienæ diœceſis rei diuinæ faciendæ facultatem ne permittat Epiſcopus, niſi oſtendant litteras teſtimoniales ſeu dimiſſorias Ordinarij ſui, duobus tantùm menſibus antè, ſi in prouincia: ſi extra prouinciam, in Italia quatuor; ſex verò, ſi extra Italiam datas; vel ſi eæ antiquiores ſint, afferant etiam ſcriptum teſtimonium de vita & moribus ab iis Ordinariis, in quorum diœceſi poſt illud tempus aliquandiu permanſerint.* Prouinciale 2.

ſub

Digitized by Google

ſub eodem Tit. 2. decreto 1. *Quod Patrum decretis, & Tridentino Concilio ſancitum eſt, vt ne alienæ diœceſis Clerici abſque commendatitiis litteris ab vllo Epiſcopo recipiantur. Quò faciliùs illud executionem habeat, Parochus quiſpiam, vbi primùm cognouerit in Parochia ſua Eccleſiaſticum hominem alienæ diœceſis, vel domicilium conſtituiſſe, vel apud aliquem diuertiſſe, vel in caupona hoſpitio exceptum eſſe vt aliquot dies commoretur; quàm citiſſimè poterit, octo ad ſummum dierum ſpatio, ejus nomen & patriam, ſi in vrbe eſt, Epiſcopo, ejúſve Vicario; ſin autem in diœceſi, foraneo Vicario illius regionis denunciet. Eorum autem cujuſque cura ſit illum ad ſe accerſere, mandaréque litteras commendatitias ſibi ab eodem oſtendi; quas tamen Vicarius foraneus non comprobabit, niſi conſulto Epiſcopo. In iis autem comprobandis ea ſeruentur quæ ſuperiori item prouinciali Synodo hoc de genere conſtituta ſunt.* Tertium pariter Concilium, Titulo de iis quæ pertinent ad Miſſæ ſacrificium, primum explicuit, & confirmauit.

Et vt majoris auctoritatis hæc Concilia etiam apud Regulares eſſe videantur, nota ex auctore vitæ ſancti Caroli liquidò conſtare hæc omnia Concilia vel à Pio V. vel à Gregorio XIII. aliqua ſcilicet ab vno, alia ab alio probata fuiſſe, & in Italia tota vulgata, frequentibus decretis repetita & vſu excepta fuiſſe in Conſtitutionibus Arretinis, promulgatis in Synodo diœceſana Arretina, habita à Petro Vſimbardio Epiſcopo, impreſſis Florentiæ, accedente conſenſu Antonij de Maſſa Ordinis Minorum Inquiſitoris die 16. Ianuarij ann. 1598. *Ignoti & vagi Sacerdotes in Eccleſiis etiam Regularium noſtræ diœceſis Miſſam celebrare non permittantur, abſque noſtra ſeu Vicarij generalis, aut illorum qui per diœceſim ad hoc munus conſtituentur, ſcripta facultate. Hi verò eam non concedent, niſi priùs eis dignum fidei teſtimonium recens Ordinarij ſui oſtendatur, ex quo eos Ordines ſuſcepiſſe, in eorúmque adminiſtratione piè ac religiosè verſatos eſſe conſtet, nihílque etiam tunc habere impedimenti quominus celebrare poſſint. Qui autem ex viciniori aliqua diœceſi ſunt, ad breue tantùm tempus, vt puta trium quatuórve dierum, modò noti ſint, & notoriè non criminoſi, aut cenſuris innodati, tantùm admittantur; túncque, ſi ha-*

Digitized by Google

bitu clericali fuerint induti, & conuenientem tonſuram habeant. Regulares quoque ignoti & peregrini in Eccleſiis Secularium, ſine ſuorum Superiorum commendatitiis litteris recenter confectis, & vt ſuprà recognitis, quæ de ſuſcepti Ordinis, & præſtitæ in illo functionis fidem faciant, celebrare non permittantur. Miſſam nouam celebrare nemini liceat; niſi ceremoniarum magiſter, ſeu alius à Vicario generali eligendus, de eo periculum fecerit, an ex noui Miſſalis præſcripto ritus omnes optimè calleat; cujus rei etiam ſcriptum eidem Vicario teſtimonium exhibeat, vt ab eo comprobetur. In Synodo diœceſana Nucerina ann. 1608. titulo de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ, idem ſtatutum eſt: *Ignoti & vagi Sacerdotes in Eccleſiis etiam Regularium noſtræ diœceſis Miſſam celebrare non permittantur abſque noſtra ſeu Vicarij noſtri generalis licentia; eam verò non niſi cum litteris dimiſſoriis ſuorum Ordinariorum, quæ recentes ſint, obtinebunt. Sacerdotes tamen cogniti vicinarum diœceſum ad breue tempus per duos aut tres dies poterunt ad celebrandum admitti, dummodo clericalem habitum & tonſuram habeant.* Hieronymus de Federicis Epiſcopus Laudenſis, Nuntius cum facultate Legati de latere, & Viſitator à Gregorio XIII.° in toto Sabaudiæ Ducis dominio deputatus, inter generalia decreta in viſitatione ſua edita & impreſſa Taurini ann. 1577. titulo de ſacrificio Miſſæ: *Clerici*, inquit, *tam ſeculares quàm regulares diœceſis alienæ, ne ad ſacrum faciendum admittantur, niſi ſui Ordinarij dimiſſorias litteras oſtenderint; quæ ſi ante ſex menſes datæ fuerint, oſtendere etiam debebit ſcriptum illius Ordinarij de moribus & vita teſtimonium, in cujus diœceſi aliquandiu permanſerint.* Synodus Rauennas prima habita ann. 1607. à Petro Cardin. Aldobrandino, Tit. de ſacrificio Miſſæ, num. 31. *Peregrinum Sacerdotem & ignotum ad celebrandum ſine noſtra licentia, Rectores Eccleſiarum etiam Regularium cujuſuis Ordinis non admittant, vt Tridentini Concilij decreto ſtatutum eſt; ſed peregrini ad nos ſuas dimiſſorias afferant; quas ſi probandas duxerimus, celebrare permittentur.*

Conſentiunt Gallicana Concilia, Rhemenſe celebratum præſide Carolo Cardinali à Lotharingia ann. 1554. ſtatuto 12. *Nullus Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Ordinarij lit-*

Digitized by Google

teris in noſtra diœceſi ad diuina celebranda & Sacramenta administranda admittatur. Concilium aliud Rhemenſe ſub Ludouico Cardinali à Guiſia num. 9. hunc delectum Sacerdotum à Parocho obſeruandum præſcribit, *Vt neminem admittat ad Miſſæ celebrationem in ſua Eccleſia, niſi qui illi ſit adſcriptus, aut ſibi notus, aut litteras teſtimoniales & commendatitias ab Epiſcopo proprio habuerit.* Qui canon ceteris videtur eſſe laxior. Concilium Bituricenſe Tit. 26. de Sacerdotibus c. 3. ſimpliciter ſtatuit, *Vt nullus peregrinus ſine commendatitiis ſui Epiſcopi ad diuina celebranda & Sacramenta adminiſtranda admittatur.* Concilium Turonenſe ann 1583. Tit. de Parœciis, Preſbyteriis, & aliis Clericis: *Omnibus*, inquit, *Epiſcopis, Prælatis, Capitulis, Monaſteriis, Conuentibus, ac parœcialium Eccleſiarum Rectoribus vetamus, ne Clericos à ſuis Parœciis recedentes recipiant, vel ad ſacra peragenda admittant abſque litteris teſtimonialibus, probato ſigillo firmatis, ac diligenti ſuper eorum vita & moribus inquiſitione: niſi etiam legitimè docuerint de ſua ad Ordines promotione per Ordinarium loci approbata.* Toloſanum ann. 1590. cap. 6. de Miſſarum celebratione num. 2. *Peregrinorum nullus abſque ſui Epiſcopi dimiſſoriis litteris; bimeſtri, ſi in Prouincia ſit; ſemeſtri, ſi in Gallia; anno, ſi extra Galliam; non vetuſtioribus, quibus loci, ſi quis ſit cui inſeruiendo adſcribi, dimittíque ſe poſtularit, mentio habeatur, ad diuina facienda, vel Sacramenta miniſtranda à Parochis, regularibus, imò nec ab Epiſcopis admittatur.* Narbonenſe anno 1609. cap. 20. *Non permittant Rectores Eccleſiarum quemquam Sacerdotem in ſuis Eccleſiis celebrare, niſi viſa licentia eidem in ſcriptis conceſſa per Epiſcopum, aut Vicarium generalem diœceſanum. Facultatem autem hujuſmodi non concedant Epiſcopi, niſi viſis litteris Ordinum Clerici, & atteſtatione proprij Epiſcopi ſuper vita & moribus, eo anno conceſſis; quam atteſtationem Clerici peregrini ab Epiſcopis in quorum diœceſibus morati fuerint, diſceſſuri obtinebunt.*

Denique totius Gallicani Cleri mentem exprimit præſens articulus editus primò in Comitiis generalibus ann. 1625. & renouatus in generalibus pariter Comitiis ann. 1645. Nec decretis tantùm agendum eſt, verùm etiam exemplis. De Gallico vſu nihil dico. Italicus certiſſimus eſt; cui tanquam

teſtis oculatus teſtimonium perhibere poſſum. Nam ſtrictiſſimè id obſeruatum olim ſub Cardinale Federico Borromæo Archiepiſcopo Mediolanenſi ante 30. annos, & à Cardinale Duraſſo Archiepiſcopo Genuenſi, & aliis, experimento mihi conſtitit.

Duo autem ſunt quæ allatis decretis à quibuſdam quidem clariùs, ab aliis obſcuriùs jubentur. Primum, vt peregrinaturus à proprio ſuo Epiſcopo, ſeu Ordinario loci à quo proficiſcitur, litteras teſtimoniales accipiat, & licentiam abeundi. Alterum, vt iſtiuſmodi litteræ ab Epiſcopo loci, in quo quis ad ſacra facienda admitti cupit, vel ab ejus Vicario expendantur & approbentur. Vtrumque fundatur in poteſtate judiciaria quam habent Epiſcopi in Presbyteros ſuæ diœceſis, vel in eos qui in ſua diœceſi verſantur. quæ quidem poteſtas conjunctam habere debet ſcientiam Canonum & diſciplinæ eccleſiaſticæ non mediocrem, vt ritè exerceatur. Item fundatur in alia conditione Epiſcoporum, quòd ſint ipſi centrum communionis Eccleſiaſticæ, quòd ab iis vnitas ſacerdotalis exoriatur, vt fusè oſtendit Cyprianus in Epiſtolis, præſertim 52. Antoniano, 55. Cornelio, & libro de vnitate Eccleſiæ. Vnde fit vt etiam abſentes abſentibus communionem largiantur. Nam, verbi gratia, ſanctus Hilarius exul, in Oriente degens, de ſeipſo dicit lib. ad Conſtantium Auguſtum, quem ipſe tradidit: *Epiſcopus ego ſum in omnium Gallicarum Eccleſiarum atque Epiſcoporum communione, licèt in exilio, permanens, & Eccleſiæ adhuc per Presbyteros meos communionem diſtribuens.* Et Paulinus Nolanus epiſt. 45. ad Alypium de ſeipſo pronunciat: *Ego etſi à Delphino Burdegalæ baptiſatus, à Lampio apud Barcinonem in Hiſpania per vim inflammatæ ſubitò plebis ſacratus ſim; tamen Ambroſij ſemper & dilectione ad fidem nutritus ſum, & nunc in Sacerdotij ordine confoueor; denique ſuo me Clero vendicare voluit, vt etſi diuerſis locis degam, ipſius Presbyter cenſear.* Hinc etiam fit vt in aliena diœceſi nulli Clerico ſine licentia Epiſcopi loci, Miſſam celebrare, aut ſacra tractare liceat; quemadmodum ſcribunt Ignatius in epiſt. ad Trallianos, Magneſianos, Smyrnenſes, & aliis, canon Apoſtolicus 37. ſeu 38. Dionyſius Ec-

Digitized by Google

cleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 3. Antiochus Monachus Palæſtinus ſancti Sabbæ Abbas hom. 129. Sanxerunt autem Arelatenſe primum Concilium c. 18. & 19. Laodicenum c. 57. Gangrenſe c. 6. Toletanum primum c. 20. Carthaginenſe 2. c. 9. & alia paſſim.

Vtilitas hujus Conſtitutionis multiplex eſt. Prima, ne non ordinati Presbyteri ſacrificium celebrare præſumant, quemadmodum de Iſchyra quodam teſtatur Athanaſius in Apologiis duabus, & de alio ſui temporis Fulbertus Carnotenſis epiſt. 36. Epiſcopo Guidoni. Et hoc tempore id ſatis communiter accidiſſe dolendum eſt. Altera habetur in Concilio Ticinenſi ſub Leone IV. cap. 23. *Quidam Clericorum vel Monachorum peregrinantes, per diuerſas vagando prouincias & ciuitates, multiplices ſpargunt errores; inutiles quæſtiones diſſeminant, decipientes corda ſimplicium. De his decreuit ſancta Synodus, vt ab Epiſcopo loci detineantur, & ad Metropolitanum deducti, diſcuſſione Eccleſiaſtica examinentur. Et ſi vanitatis atque jactantiæ, non autem vtilitatis aut doctrinæ cauſa, has inquietudines ſerere reperiantur in populis, velut Eccleſiaſticæ pacis perturbatores congruenti diſciplina macerentur.* Tertia, ne excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, irregulares, infames, de errore ſuſpecti, ſacra celebrare permittantur, ad Eccleſiæ ignominiam, ſacrorum contemptum, & in periculum religionis; quemadmodum plura Concilia oſtendunt.

Iam verò cur Epiſcopis, non autem Regularibus ipſis judicium iſtud tribuatur, ratio petitur, non ſolùm ex obſeruatione diſciplinæ ac poteſtatis Epiſcopalis ſeruandæ neceſſitate; verùm etiam ex eo quòd nec Regularibus nota Epiſcoporum ſigilla & nomina præſupponuntur; nec ad inquirendum, aut etiam teſtes accerſendos & audiendos in eis ſufficiens auctoritas, vel tanta cura quanta in Epiſcopis & eorum Vicariis. Vtile autem eſt vnicuique ſua jura ſeruari diligenter, & ſacrorum curam haberi quàm maximam neceſſarium.

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

CVM ſanctè ordinauerit Eccleſia, & expreſsè fidelibus omnibus injunxerit, vt Paſchalibus feſtis, parochialibus adeſſent in Eccleſiis ad explendum Chriſtianum officium; conformiter ad hanc inſtitutionem vnicuique præcipitur, vt ſaltem in Paſchate, in propria Parochia & peccata confiteatur, & ad ſacram ſynaxim accedat; inhibendo omnibus Religioſis, aliiſque qui ſe prætendunt exemptos, ne vllum admittant in ſuis Eccleſiis ad confeſſionem communionémve à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam Octauæ Paſchatis incluſiuè, nec vllum dogma contrarium populum edoceant. Vtque hæc Conſtitutio vnicuique innoteſcat, tenebuntur Curiones hac de cauſa ſuos Parochianos adhortari, ipſíſque manifeſtare, quomodo ſanctis Decretis & Conſtitutionibus Eccleſiæ, huic ſtatuto obtemperare tenentur. Quòd ſi fortè aliqui inuenirentur, qui aliqua ratione adducti extra Parochiam hæc adimplere cuperent; hoc poterunt tantùm cum bona venia Epiſcopi diœceſani, aut Vicarij ejus generalis, aut proprij Parochi; debentque validum ipſi adferre teſtimonium loci, in quo & confeſſi & communicati fuerint.

Digitized by Google

Commentarius ad Articulum quintum de Confeſſione Paſchali Parocho facienda.

§. I.

Status Quæſtionis proponitur.

CERTISSIMVM eſt Paſchalem communionem præceptam fuiſſe ante Concilium Lateranenſe. Res patet ex Conciliis Agath. can. 18. Tolet. 4. can. 6. & 10. Tolet. 8. can. 9. Cabilon. ſub Carolo cap. 20. Capitularium lib. 7, cap. 68. in Additis. Quæ magna ex parte referuntur à Burchardo l. 5 Iuone parte 2. Gratiano diſt. 2.

Certiſſimum etiam, fideles olim non conueniſſe extra Eccleſiam propriam, hoc eſt, vel Cathedralem, nempe in ciuitatibus, vel Parochialem propriè dictam, ad res ſacras peragendas, ad ſuſcipienda Sacramenta, præſertimque ad feſta ſolenniora celebranda; quorum quidem celebratio in Sacramentorum ſuſceptione maximè conſiſtit. Tenebantur enim fideles, vi Canonum, confluere ad proprias Parochias feſtis ſolennioribus, & quidem non ad communionem duntaxat, & etiam ad confeſſionem, qua fideles ad communionem diſponuntur. Qua de re conſule Agath. Conc. can. 21. Epaon. can. 35. Aurel. 3. can. 25. aliàs 27. Cæſarauguſt. c. 4. Aruern. can. 14. Aurel. 4. c. 31. Neque hactenus Regulares priuilegia prætendunt aduersùs Paſchalem communionem. Hæc prærogatiua ſeruata eſt Parochialibus Eccleſiis, tum in argumentum vnitatis Eccleſiaſticæ, tum ob reuerentiam teſtandam erga Paſtores genuinos.

Magna verò contentione diſputatur inter Seculares & Regulares, an confeſſio annua proprio Curato, ſeu alteri ex ejus commiſſione, fieri debeat. Negantibus quidem Regularibus id in præcepto eſſe, ceteris affirmantibus.

Quoniam autem res ferè pendet ex ſtatuto Concilij Later. ſub Innoc. III. hinc ordiendum nobis; quanquam inter differendum oſtendemus ante Concilium nullo tempore licitum confiteri alieno Sacerdoti.

Digitized by Google

§. 2.

Statutum Concilij Lateranenſis de Confeſſione annua, ejúſque explicatio.

CONCILIVM Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 21. *Omnis vtriuſque ſexus, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno, confiteatur proprio Sacerdoti; & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere; ſuſcipiens reuerenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ ſacramentum; niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum. Alioquin & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Vnde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſia publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote; cùm aliter ipſe illum non poſſit abſoluere vel ligare.*

Hoc Concilij decreto præcipitur, vt confeſſio annua, quæ in Paſchate fieri ſolebat, Parocho ordinariè fiat; nec alteri habenti priuilegium commune fieri debeat; ſed tantùm aut Parocho, aut ei qui licentiam expreſſam ab eo vel ejus ſuperiore obtinuerit.

Probatur 1°. quia videtur Concilium inductum fuiſſe ad eam legem ferendam occaſione hæreticorum qui Waldenſes ſeu Pauperes de Lugduno vocati, à Lucio III. damnati fuerunt, quorum mentio fit apud Abbatem Vrſpergenſem in Chronico; vbi geſta Concilij Lateranenſis narrat. Hi enim hierarchicam hanc legem peruertentes, omnes abſque diſcrimine abſoluebant, nec ad proprios Paſtores vllos, etiam cùm præceptum confeſſionis annuæ vrgeret, remittebant. Igitur Concilium videtur ad hunc abuſum corrigendum præceptum confeſſionis annuæ, quod occaſione effrenis iſtius licentiæ apud quemlibet confitendi debilitatum fuerat, ſua lege confirmaſſe, & ſpeciatim deſignaſſe proprium Paſtorem, ſeu Parochum, ſeu ejus Superiorem extraordinariè,

Digitized by Google

nariè, apud quem confeſſio annua fieri deberet ſecundùm antiquum Eccleſiæ vſum.

2°. Concilium interpretari debemus ſecundùm ea quæ iſto tempore erant in vſu probato & recepto in Eccleſia. Atqui eo tempore, quo primùm Mendicantium Ordines in Eccleſia recepti ſunt, ceteri regulares viri à confeſſionibus audiendis (niſi ex licentia expreſſa Epiſcoporum, quæ rariùs concedebatur) abſtinebant. Soli autem Preſbyteri ſeculares in Eccleſiis cathedralibus vel parochialibus, quibus eos addictos eſſe contingeret, confeſſiones excipiebant; vt ſuperiùs docuimus. Immo nulli communiter confeſſiones fidelium legitimè excipiebant, præter Parochos. Nam Epiſcopi, corúmque Vicarij generales aliis negotiis eccleſiaſticis occupabantur. Pœnitentiarius vnus aut alter erat, ad quem plures confugere non poterant, víxque vlli, niſi qui in majora crimina reſeruata lapſi fuerant.

Sequitur proinde, Concilium non reſpexiſſe ad quoſdam priuilegiatos, qui poſſent, virtute generalis priuilegij, quorumlibet confeſſiones quouis tempore excipere; ſed in hoc canone per proprium Sacerdotem intellexiſſe Parochum ordinarium ſuorum Parochianorum Confeſſarium, & apud eum decreuiſſe annuam confeſſionem, quæ eſt præcepti, fieri debere. quam cùm oſtenderimus ſuprà, circa tempus paſchale fieri ſolitam fuiſſe ex Eccleſiæ veteri conſuetudine, quæ habet vim legis, ſequitur de ejuſdem confeſſionis paſchalis obligatione Concilium intelligendum eſſe.

3°. Pœna quam Concilium imponit iis qui per annum confeſſi non fuerint, vt ſi mori eos contingat, eccleſiaſtica careant ſepultura, vix infligi poterit, niſi ejuſdem ſit & viuentium confeſſiones audire, & mortuorum corpora ſepelire. Si enim apud alios confiteantur fideles, ab aliis ſepeliantur, neſciet is qui corpora mortuorum ſepeliet, an ij, cùm in viuis eſſent, confeſſionem eo anno prætermiſerint. Atqui jus commune ſtatuit, vt Parochorum curæ corpora defunctorum inhumanda committantur. Igitur & apud Parochos confeſſio facienda præcipitur.

Ad hanc ſtabiliendam interpretationem duo præſertim

Digitized by Google

oſtendenda ſunt. Vnum, per proprium Sacerdotem intelligi à Patribus Concilij Curatum, ſeu Parochum. Alterum, per confeſſionem annuam intelligi paſchalem.

Primum oſtenditur pluribus rationibus. 1°. Quia ſignificatio proprij Sacerdotis accurata, ea eſſe videtur, vt opponatur communi.

2°. Quia ſi in aliena hic terminus acciperetur ſignificatione, prout opponitur alieno, nihil ſpeciale Concilium determinaret circa confeſſionem quæ fit ex præcepto, & circa confeſſionem quæ fit ex deuotione. Nam confeſſio quæuis, etiam ex deuotione, neceſſariò facienda eſt Sacerdoti qui non ſit alienus. Concilium autem ſingulare quippiam circa confeſſionem quæ eſt præcepti, videtur determinare, vt generalis illa licentia eligendi quemlibet Confeſſarium ex approbatis ceſſet, cùm ex præcepto confiteri aggredimur, & tunc ad proprium Sacerdotem nobis præpoſitum, puta Parochum, vel alium de ejus licentia, accedamus.

3°. Quia licèt antiquitus nomine Sacerdotis Epiſcopus ſingulariter intelligeretur, qui ſecundi ordinis Sacerdote major: at tempore Concilij Lateranenſis, & antè, Sacerdotis nomine Presbyter potiùs intelligi conſueuit. Vbi verò de Papa vel Epiſcopo expreſſus ſermo eſt, nominari iſtis vocabulis conſueuerunt. Multò minùs proprij Sacerdotis nomine Epiſcopus ſolet intelligi. Nam Epiſcopus à Græcis κοινὸς πατὴρ, κοινὸς ἱερεὺς, à Latinis *communis Pater, communis Sacerdos* ſolet dici.

4°. Quia per proprium Sacerdotem in Decreto intelligunt Parochum, Gloſſa in cap. prædictum, *Omnis, de pœnitentiis & remiſſionibus*, Hugo 16. quæſt. 7. §. *& in prædictis*. Ioannes Monachus, Archidiaconus, Butrius, & alij Canoniſtæ apud Iacobum Zochium Ferrarienſem repetitione *in caput Omnis vtriuſque ſexus*, & alij inferiùs citandi, imò & aliqui ex Summis Pontificibus, Concilium ita interpretati ſunt, puta Innocentius IV. Bulla *Etſi animarum*, deſumpta ex codice manuſcripto cui titulus eſt *Chronica Richardi Monachi Cluniacenſis*, ex Bibliotheca viri clariſſimi Petauij Sena-

Digitized by Google

toris Pariſienſis, idem in cap. *Vtriuſque ſexus* eodem titulo, Martinus IV. ſeu V. Bulla *Ad vberes fructus*, Concilia quoque plurima Gallicana, verbi gratia, Burdegalenſe an. 1624. Concilium Lateranenſe ita exponunt; quin etiam Concilium Mediolanenſe 1. à ſancto Carolo habitúm, & à Gregorio XIII. approbatum, titulo quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, iis verbis: *Innocentij III. Conſtitutionem in generali Concilio Lateranenſi ed tam, qua ſancitum eſt, vt fideles ſaltem ſemel in anno pr prio Parocho peccata ſua confiteantur, inuiolatè omnes ſeruent*. Vide plura infrà. Videtúrque ea expoſitio nominis proprij Sacerdotis acceptioni communi valde conſentanea, in qua ſcilicet ſumitur libro 1. Capitul. Caroli cap. 173. in Bulla Innocentij IV. quæ incipit, *Etſi animarum*. Benedicti II. quæ incipit, *Inter cunctas, de priuilegiis*, & Sixti IV. *Vices illius, de treuga & pace*, inter communes, Clementis VI. in confirmatione ſynodalis Conſtitutionis Epiſcopi Auenionenſis, Leonis Bulla *Dum intra*, ſeſſ. 2. Concilij Lateranenſis, in Concilio Rhemenſi ann. 1583 *de Pœnitentia*, num. 5. & alibi paſſim, eadem ſcilicet de cauſa ob quam Eccleſia parochialis *propria Curati Eccleſia* dicitur, Arelatenſis 2. can. 13. *& proprius locus Curati*, Cabilonenſis 2. ſub Carolo Caluo c. 41. Neque tamen qui Concilium Lateranenſe ita interpretantur, coguntur à confeſſione annua excipienda Summum Pontificem, Epiſcopum, aut eorum Vicarios generales, vel Pœnitentiarios remouere. Nam ex lege hierarchicæ ſubordinationis, quod Parocho conceditur, illis qui ſuperiorem habent poteſtatem, conſequenter permiſſum intelligitur; ſed non illico conceſſum iſtis intelligi debet qui à Summo Pontifice opitulatores Parochorum mittuntur; quales ſunt Religioſi priuilegiati; qui ideo minùs ſunt principales Sacerdotes quàm ſit Parochus ex Diuo Thoma art. cit. ad 3. Parochi tamen fieri mentionem dicunt, quòd ei ordinariè confeſſio fiat, cùm non vacet Papæ, Epiſcopis, Vicariis generalibus, & Pœnitentiariis, vt omnium diœceſanorum confeſſiones audiant. Sic dum Monachi dicuntur in Conſtitutionibus monachalibus apud Sacerdotem, cui hæc cura ab Abbate com-

Digitized by Google

miſſa eſt, debere confiteri, non excluditur quin apud Abbatem Sacerdotem poſſint. Et cùm dicitur apud Abbatem eos confiteri oportere, non excluditur tamen Epiſcopus; vt notat Hoſtienſis Tit. *De pœnitent. & remiſſ.* §. *Cui Monachi. Quia*, inquit, *Superioris auctoritas ſemper videtur excepta*, argumento ſumpto ex cap. *Venientes*, Tit. *De jurejurando*.

Nec ab illorum explicatione, niſi nominibus, differunt qui per proprium Sacerdotem, Papam, Epiſcopum, Parochum intelligunt, iiſque Parochianos confiteri debere aiunt, vel aliis de eorum licentia, non quidem generali, ſed ſpeciali; ita vt nempe generalem licentiam, qualis religioſis omnibus approbatis ad confeſſiones audiendas conuenit, ad excipiendam annuam Parochiani confeſſionem non ſufficere dicant, ſed ſpecialem requirant, proprium ſcilicet & ordinarium Sacerdotem excipere debere confeſſionem annuam ex Concilij lege, vt nonniſi eo deficiente ad alium de ejus mandato & ſpeciali licentia recurri poſſe innuatur. Vtvt ſit, dicunt tam hi, quàm illi, generalem licentiam eo tempore, quo confeſſionis annuæ præceptum vrget, non ſufficere. Nam, inquiunt, quemadmodum Religioſus habet generalem facultatem audiendi confeſſiones fidelium in aliqua diœceſi exiſtentium, non ideo cenſetur habere facultatem audiendi confeſſiones aliorum Regularium, qui ex Regulis ſuis & Conſtitutionibus ad confitendum Abbati ſuo vel Priori obligantur; ita qui approbatus eſt generaliter ad audiendas confeſſiones omnium fidelium alicujus diœceſis, non ideo cenſetur approbatus ad illas audiendas, tunc cùm ex conditione ſubditi & præcepto Concilij obligatur ad confitendum ſuo Paſtori vel ejus locum tenenti. Nam ſic violaretur reuerentia Paſtori debita, violaretur neceſſitudo quæ inter Paſtorem & ouem intercedit ex lege hierarchica. Obligaretur enim Paſtor vt cognoſceret ſuam ouem, eámque per ſe vel per alium dirigeret, atque ei ſalutaria monita impertiretur. At verò eximeretur ouis ab illius ſubjectione, mediáque ſubtraherentur Paſtori illius quoquo modo dirigendæ. Quomodo enim Papa, Epiſcopus, Curatus hunc hominem dirigere per confeſſionem poterit,

Digitized by Google

qui illis omnibus inſciis confeſſarium eligit, & ad confeſſionem accedit?

Circa alterum caput de obligatione confitendi circa tempus paſchale, notandum 1°. Dummodo certum habeatur, quòd confeſſioni annuæ, quæ eſt de præcepto, nequaquam ſatisfiat, niſi illa à Parocho, vel alio de ejus licentia excipiatur, parum intereſſe quòd hoc præceptum tempore Paſchatis, aut alio concludatur: Quia certum eſt eum, qui tempore paſchali negauerit obligari poſſe Parochianos ad confitendum proprio Parocho, vel alteri de ejus licentia, inficiaturum quoque poſſe illos ad annuam confeſſionem eidem faciendam ab Epiſcopis indeterminatè obſtringi, & Parochianum qui tempore iſto noluerit Parochis in eo ſubjici, & toto anno iſtam ſubjectionem detrectaturum.

2°. Nihilominus ex vſu Eccleſiæ certum eſt præceptum confeſſionis annuæ determinatum jam eſſe ad paſchale tempus, cùm antea ad tempus quadrageſimale extenderetur; vt patet ex pluribus luculentiſſimis teſtimoniis, puta ex ſtatutis Eccleſiæ Rhemenſis à domino Sonnatio Archiepiſcopo editis, tom. 3. Concil. generalium Binij parte 2. pag. 958. ſuprà ex Conſtitutionibus ſynodalibus Guillelmi Pariſienſis ann. 1222. *Presbyteri* (id eſt Curati) *Parochianos ſuos moneant, & frequenter in Eccleſiis ſuis denuntient, quòd omnes, ſaltem patresfamilias, & matres, ad confeſſionem veniant ante Paſcha floridum; & qui in hoc negligentes fuerint, in pœnam, vſque poſt Octauas Paſchæ ad confeſſionem non admittantur.* Ex Bulla Martini inferiùs citanda, cujus mentionem facit Henricus de Gandauo, ex Extrau. *Vices illius*, Sixti IV. *De trenga & pace*, infrà citanda, ex Synodo Lingonenſi anno 1404. *Singulis diebus Dominicis Quadrageſimæ moneant populum, vt confiteantur, & quòd tenentur in Paſcha confiteri* &c. apud Bochellum lib. 2. tit. 7. item ex Conſtitut. Philippi Lingonenſis anno 1452. apud eundem cap. 3. ibidem. Ex Conciliis prouincialibus Burdegalenſi anni 1582. Bituricenſi anno 1584. probatis à Gregorio XIII. infrà citandis, ex Statutis ſynodalibus diœceſis Senonenſis anno 1524. Carnotenſis anno 1526. Pariſienſis anno 1527. & aliis

Digitized by Google

paſſim, apud Bochellum lib. 2. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ Tit. 7. denique ex reformationis Cleri Germaniæ Ratisbonæ decreto iſto, *quem non confeſſum in Paſchate neſcierit Parochus, non ſepeliat*, tom. 4. Concilij Binij pag. 2. Quin etiam paſſim ſcriptores, vel ex Ordine Mendicantium qui Concilium Lateranenſe inſecuti ſunt, obligationem ad confitendum ſemel in anno, de obligatione ad confitendum in Paſchate interpretati ſunt, verbi gratia, vt alios mox citandos omittam, Scotus in 4. diſt. 18. art. 3. concluſione 7. Cardinalis Tartaretus in 4. diſt. 17. art. 3. Thomas de Argentina Prior generalis Auguſtinenſium in 4. diſtinct. 17. art. 4. concluſione 1. Durandus in 4. diſt. 17. quæſt. 10. art. 2. Gabriel Biel quæſt. 1. art. 3. dubio 1. Hadrianus, qui fuit Summus Pontifex, in 4. diſtinct. 17. quæſt. vnica principali ad 3. quæſitum, & ceteri paſſim.

Videmus igitur Statutum Concilij Lateranenſis ab Eccleſia eo ſenſu intellectum & receptum fuiſſe, vt proprio Curato circa tempus Paſchatis confeſſio annua, quæ ex præcepto Eccleſiæ fidelibus imponitur, fieri debeat. Cujus vtique Decreti non exigua habenda ratio, tum ob Concilij celebritatem quammaximam, in quo conditum eſt, & totius Eccleſiæ inſecutam approbationem; tum ob factam Decreti iſtius à Concilio Tridentino renouationem. Nam Tridentinum ſeſſ. 14. can. 8. *juxta magni Concilij Lateranenſis Conſtitutionem* fideles ad annuam confeſſionem obſtrictos decernit. Videntúrque juxta idem Concilij Lateranenſis decretum priuilegia Regularibus conceſſa explicanda: quandoquidem Gregorius XIII. & eum ſecuti Summi Pontifices ampliationem priuilegiorum Regularibus conceſſorum ad terminos Concilij Tridentini & Iuris communis reuocarint.

Digitized by Google

§. 3.

Explicatio ſtatuti Concilij Lateranenſis de obligatione ad confeſſionem annuam proprio Parocho faciendam, ex celeberrimis Doctoribus, quorum aliqui ex ordine Mendicantium fuerunt.

ALEXANDER de Ales quæſt. 78. parte 4. *De iſtis autem qui abſoluunt ex poteſtate commiſſa non ordinaria, diſtinguendum eſt* &c. *Si ſit commiſſa in caſu, ſicut illis qui obtentu alicujus priuilegij, vtpote Prædicatoribus, qui habent poteſtatem audiendi illos qui veniunt ad illorum ſermonem, quia, vt opinor, talibus data eſt poteſtas audiendi confeſſiones, non in præjudicium Sacerdotum, & maximè bonorum, ſed potiùs in fauorem fidelium, & excitationem audiendi verbum Dei & propter ignorantiam, & negligentiam, & alios defectus ipſorum Sacerdotum, non credo quòd Presbyteri jure ſuo priuentur. Vnde exiſtimo quòd Parochiani, quantumcunque & quotieſcunque talibus confiteantur, tenentur Sacerdotibus propriis confiteri, ſi ab illis requirantur, nes aliter ſint contenti. & hoc dico, ſemel in anno.*

Et in reſponſ. ad 2. & 3. argumentum: *Quod autem dictum eſt illi, qui abſoluuntur ab illis qui obtentu priuilegij alicujus habent poteſtatem abſoluendi illos qui audiunt illos in prædicationibus, nihilominus tenentur confiteri ſuis parochialibus, ſi hoc requiratur ab ipſis. Et poſſet extra hoc objici, ſicut ſuprà dictum eſt, ſeu objectum eſt, aut eſt verè abſolutio* &c. *Poteſt dici quòd quia hujuſmodi priuilegia ſine dubio dantur in fauorem clauium, non ex hoc ſoluuntur Parochiani à tentione qua tenentur ſuis Parochialibus inſtitutione Eccleſiæ; nec eſt ſimile de poteſtate talium, & de poteſtate Ordinariorum; cùm talibus ſit data poteſtas ad tempus, & in fauorem ſpiritalem.*

Sanctus Bonauentura lib. 4. Sentent. diſt. 17. ad q. *An teneatur quis confiteri proprio Sacerdoti*, explicat quid ſit proprius Sacerdos, & ſumi poſſe tripliciter: *Communiſſimè proprius Sacerdos quicunque poteſt confitentem abſoluere, ſiue per propriam auctoritatem, ſiue per commiſſionem* &c. *Propriè verò dicitur proprius Sacerdos ille qui adminiſtrat Sacramenta, & cui commiſſa eſt ſpiritalis cura; & iſte eſt Sacerdos parochianus. Intellige*

Digitized by Google

igitur quòd cuilibet horum licitum eſt confiteri, & proprio Sacerdoti parochiali confeſſus, non tenetur iterum confiteri. Similiter confeſſus Superiori parochiali, niſi eum remittat; ſed ſuffi it quòd Sacerdoti ſuo innoteſcat. Et hoc dico, ſi fiat ex cauſa. Sed de tertio Sacerdote, qui ſoluit per demandationem ſive commiſſionem non habens animarum cu am, eſt diſtinguendum. Aut enim commiſſa eſt ei, & licentia data à Sacerdote; & tunc Sacerdos jus ſuum commiſit alij; & tunc qui confitetur ex licentia Sacerdotis etiam ipſo exigente, illo anno, niſi recidiuet, non tenetur iterum confiteri eidem; quoniam Sacerdos jus ſuum & poteſtatem pro illo tempore alteri dedit. Aut eſt auctoritas commiſſa à Superiori ordinario; & tunc aut plena, aut in caſu. Si plena; ſic judicandum eſt ſicut de Ordinario; ſicut patet de his qui ſunt Pœnitentiarij Domini Papæ, aut Epiſcoporum. Aut eſt commiſſa in caſu; ſicut his qui prædicant datum eſt priuilegium. Credo enim quòd talibus data ſit poteſtas audiendi confeſſiones, non in præjudicium Sacerdotum bonorum, ſed potius in fauorem fidelium, & propter ignorantiam, & negligentiam, & malitiam quorundam Sacerdotum. Et credo hoc priuilegium in extremis temporibus emanaſſe; quia jam verificatum eſt illud, Erit ſicut populus, ſic Sacerdos; & pro magna parte ſunt venales, & conductitij, & multi Parochianos ſuos plus ad malum quàm ad bonum trahunt. Vnde dico, quòd ſecundùm intentionem priuilegij, Sacerdotes parochiales jure ſuo non priuantur, imò faciendum eſt ſemper quòd à ſuis Parochianis debita eis reuerentia exhibeatur. Nec contra hoc priuilegium illud facit. Ideo credendum eſt quòd omnes Parochiani, quandocunque & quotieſcunque talibus confiteantur, tenentur Sacerdotibus propriis confiteri, ſi ſint boni, & idonei, & ipſi exigunt, nec aliàs contenti ſunt. Et hoc dico, ſaltem ſemel in anno, de illis peccatis quæ habent tunc. Si autem &c. *Alioquin ſi non habet excuſationem, & ipſo exigente nolit confiteri, vix crederem talem perſonam eſſe verè pœnitentem. Ideo omnibus ſanum conſilium eſt, quòd remittant ad proprios Sacerdotes; vt ſi non ſint contenti illa confeſſione, iterum audiatur.*

Albertus in 4. diſt. 17. art. 44. vbi quærit; *Vtrum priuilegiato confeſſus teneatur etiam confiteri proprio Sacerdoti. Videtur quòd ſic. Præceptum enim eſt Sacerdoti proprio: Diligenter agnoſce vultum*

Digitized by Google

vultum pecoris tui. Sed non poteſt agnoſci niſi per confeſſionem vultus ſpiritualis pecoris. Ergo Sacerdos proprius tenetur audire confeſſiones ſubditorum. Ergo illi tenentur ei confiteri.

Præterea Hierem. 33. dicitur, quòd tranſibunt greges ad manum numerantis. Sed manus numerantis tangit ſingulas. Ergo manus probantis Sacerdotis debet tactu confeſſionis & cognitionis ſingulas oues tangere. Sed hoc non poteſt eſſe niſi per confeſſionem. Ergo tenentur ei confiteri.

Inſuper Act. 20. dicitur: Attendite vobis &c. *Oues ergo omni ſollicitudine ſunt noſcendæ à ſuo Paſtore. Tales autem nullo modo ſufficienter noſcuntur, niſi per confeſſionem, in qua homo totum cor & conſcientiam monſtrat Sacerdoti. Ergo videtur quòd tenetur ei confiteri.*

Denique 1. Theſſal. 5. dicit Apoſtolus: Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Sed hoc nullo modo eſſe poteſt, niſi noſcantur tales vel tales eſſe. Ergo noſci debent. Sed noſci congruè non poſſunt, niſi per confeſſionem. Ergo omnes ſuo Sacerdoti tenentur confiteri, etiam cuicunque confeſſi ſint alij.

Albertus huic argumento, *Si aliquis confiteatur priuilegiato, conſtat quòd eſt abſolutus, quia aliter nihil valeret priuilegium. Sed abſolutus non tenetur confiteri. Ergo nec Sacerdoti, nec alij tenetur plus illo anno*, Sic reſpondet. *Dicendum, quòd talis confeſſus abſolutus eſt; ſed tamen abſolutus debet innoteſcere ſuæ Eccleſiæ Gubernatori, qui eſt Sacerdos proprius; & ideo debet ſe oſtendere Sacerdoti, ad minus in genere peccatorum, in quibus fuit, & etiam propter conſcientiam Sacerdotis, vt ſit ſecurus de ipſo; quia debet ei miniſtrare Sacramenta, & rationem reddere pro ipſo.* Neque audet ſanctus Thomas hanc obligationem confitendi ſemel in anno proprio Sacerdoti inficiari. Opuſc. ſiquidem 18. *contra impugnantes religionem*, reſpondens ad hanc objectionem, *Præterea Extrau. de pænitent. & remiſſ. Innocentius in Concilio generali, Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti confiteatur. Sed ille qui abſolutus eſt à peccatis prædictis, non tenetur vlteriùs peccata confiteri. Ergo ſi aliquis alius quàm pro-*

Digitized by Google

prius Sacerdos poſſet confeſſiones audire & abſoluere aliquem, non teneretur ille, ſaltem ſemel in anno, confiteri proprio Sacerdoti. quod eſt contra Decretalem inductam. Ad hanc inquam objectionem reſpondens, hæc habet : *Dicendum quòd proprius Sacerdos non ſolùm eſt parochialis, ſed etiam Epiſcopus, vel Papa, ad quos etiam magis pertinet cura ejus, quàm ad Sacerdotem; vt multipliciter oſtenſum eſt. Proprium enim hîc non accipitur ſecundùm quod diuiditur contra commune, ſed ſecundùm quod diuiditur contra alienum. Vnde qui confeſſus eſt Epiſcopo ſuo, vel alicui habenti vicem ejus, confeſſus eſt proprio Sacerdoti. Et præterea per hoc non excluditur, ſi ſemel in anno confiteatur Sacerdoti proprio, ſcilicet parochiali, dato quòd de eo tantùm intelligatur, quin poſſit aliis vicibus etiam aliis confiteri, qui poteſtatem habeant abſoluendi.* Quamuis hîc D. Thom. cauſam agat Regularium, negare tamen non auſus eſt, quin ſemel in anno quilibet Parochianus teneatur confiteri Curato ſuo. Sed duplicem ſolutionem tradit : Primam, fideles ſatisfacere obligationi confeſſionis annuæ, ſi confiteantur Papæ, Epiſcopo, aut habentibus vicem illorum. Quibus verbis non includit Regulares; quia hi non habent vicem Papæ, aut Epiſcopi, cùm neutrius ſint Vicarij. Alteram, Etſi in Decretali prædicta ponamus per verbum *Sacerdotis proprij* intelligi Parochum, tamen non excludi priuilegiatos, quin poſſint extra tempus obligationis ad confeſſionem annuam fidelium audire confeſſiones.

Clariùs autem Richardus à Media-villa, egregius Doctor ex Ordine Minorum, qui claruit circa ann. 1290. Hic enim in 4. diſt. 17. quæſt. 9. principalis, quæſt. 2. ſiue art. 2. dubitat quidem vtrum confeſſi Epiſcopo ſatisfaciant Decretali Innocentij; ſed vt definitum affirmat, quòd confeſſi priuilegiatis eidem Decretali non ſatisfaciant. Nam de iis ita loquitur : *Præterea Papa in priuilegio conceſſo Minoribus & Prædicatoribus ſuper confeſſionibus audiendis, & Heremitanis ex priuilegio ſpeciali nouiter emanato, declarando videtur dicere, quòd dicti confeſſi fratribus teneantur ſemel in anno ſuis Presbyteris parochialibus confiteri, prout ſtatuit Concilium generale.*

Henricus de Gandauo, ejuſdem temporis auctor celebris,

Digitized by Google

ex profeſſo quæſtionem iſtam tractauit quodlibet. 7. q. 24. quodlibet. 10. quæſt. 1. & quodlibet. 12. quæſt. 31. quibus locis non tantùm fideles obligari aſſerit ad confitendum omnia ſua peccata proprio Sacerdoti; verùm etiam adjungit ea peccata debere confiteri, quæ per totum annum priuilegiatis confeſſus eſt. Hujus autem deciſionis, tum Facultatis Pariſienſis, tum Epiſcoporum Galliæ, meminerunt Eberardus Ratiſbon. Archidiaconus in Chron. ad ann. 1237. necnon Henricus Stero Monachus Altahenſis in Annalibus ad ann. 1287. aliíque auctores, qui tam Doctores Pariſienſes, quàm Epiſcopos ipſos pro ſuæ ſententiæ confirmatione Concilij Lateranenſis ſtatutum protuliſſe referunt. Verùm ad iteratam confeſſionem peccatorum, quæ quis legitimè Regularibus confeſſus fuiſſet, obligatos non eſſe fideles, determinauit poſtea Ioannes XXII. aduersùs Ioannem de Poliaco, qui in iſta quæſtione modum exceſſerat, aſſerens nec Summum Pontificem, nec Deum ipſum poſſe efficere, vt ſtante Conſtitutione *Omnis vtriuſque ſexus*, non obligaretur aliquis ad confitenda omnia ſua peccata proprio Sacerdoti, id eſt, Curato, quæ Regularibus priuilegiatis quouis tempore confeſſus fuiſſet. Contra verò obligationem ad confeſſionem annuam, nihil tunc aut poſtea à Summo Pontifice determinatum eſt. Quare ſi conſtet nihil circa hanc à Summis Pontificibus innouatum, ſi Concilij Lateranenſis Conſtitutionem, quam Doctores etiam Mendicantes viciniores tempori iſtius Concilij inducere voluiſſe conſtat, in vſu adhuc eſſe in confeſſo ſit, & hanc obligationem vigere dicendum erit.

Dionyſius Carthuſianus fusè in 4. diſt. 17. eandem quæſt. tractat, & obligationem ad confeſſionem Parocho faciendam adſtruit.

Gloſſa in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, Tit. *De pœnitent. & remiſſ.* Hugo 16. quæſt. 7. Bernardus citati à Gloſſa, per caput *Omnis vtriuſque ſexus*, ita excludi priuilegiatos cenſent, *vt illis abſque ſpeciali licentia tutò nemo poſſit confiteri; quia priuilegium tantùm æquiparat eos illis qui à populo ſunt electi, vel illis qui ab Epiſcopis populo præficiuntur, & dat eis ſolam execu-*

Digitized by Google

tionem; & ita neceſſaria eſt adhuc licentia proprij Sacerdotis. Si enim de duabus ſeruitutibus vna tollitur, remanet altera. quod probant per caput *Ex tuarum, de vſu Pallij*, per caput *Paſtoralis, de priuilegiis*, per legem *ſi domus tua.* ff. *de ſeruitutibus vrbanorum prædiorum.* Sed hæc aliter poſtea à Summis Pontificibus declarata ſunt, quibus ſtandum eſt. Valent autem iſta ad oſtendendum peritiſſimorum Canoniſtarum hanc eſſe mentem, ſtatutum Concilij Lateranenſis inducere obligationem confitendi proprio Sacerdoti, id eſt, Curato, ſaltem ſemel in anno. quod vtique ſentiunt Ioannes Monachi, Archidiaconus, Butrius, & alij Canoniſtæ apud Iacobum Zochium Ferrarienſem repet. in caput *Omnis vtriuſque ſexus*, necnon Ioannes Gerſon ſerm. aduerſus Bullam Mendicantium, & alij paſſim.

§. 4.

Statuta varia Pontificum & Conciliorum, quibus prædicta obligatio confitendi proprio Parocho ſtatuitur juxta Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III.

INNOCENT. IV. in Bulla *Etſi animarum*, deſumpta ex codice manuſcripto, cui titulus eſt *Chronica Richardi Monachi Cluniacenſis*, ex Bibl. Petauij, (cujus fragmenta citantur tum in Bulla reuocatoria Alexandri IV. tum in defenſorio Curatorum Richardi Armachani, & defenſione mendicantium Rogerij Chonnoe) Concilium Lateranenſe citatum ita interpretatus eſt, vt per ejus Conſtitutionem non licuerit Mendicantibus confiteri abſque proprij Parochi licentia, his verbis: *Nec ipſos ſine Sacerdotis ſui licentia ad pœnitentiam vllatenus admittatis; cùm ſi quis alieno Sacerdoti juſta de cauſa, ſua voluerit confiteri peccata, ſecundùm Statuta generalis Concilij licentiam priùs poſtulare ac obtinere debeat à proprio Sacerdote, vel ſaltem primò ſibi confiteri, & recipere beneficium abſolutionis ab eodem. Aliter namque ab ipſo ſolui non poterit* &c. Quamuis autem hæc Bulla reuocata fuerit à poſterioribus Pontificibus, in quantum ſpectat ad prohibitionem iſtam confitendi apud Regulares extra tempus confeſſionis annuæ,

Digitized by Google

abſque licentia expreſſa proprij Sacerdotis; tamen quoad tempus annuæ confeſſionis, obligatio iſta relaxata non eſt, quin immo confirmata; & oſtendit iſta Conſtitutio Innocentij Iuris peritiſſimi, quo ſenſu Concilij Lateranenſis Statutum ab antiquis Doctoribus intelligeretur.

Martinus IV. ſeu V. obligationem confeſſionis annuæ in Paſchate proprio Sacerdoti, id eſt, Curato, faciendæ adſtruit ea Conſtitutione cujus meminit ſuprà Richardus de Mediavilla. Meminerunt quoque Ioannes de Gandauo, Armachanus in Defenſorio Curatorum, & Rogerius Chonnoe in defenſione Mendicantium, & Eberardus Ratiſbon. Archid. ad ann. 1287. ex quibus hæc verba Conſtitutionis excerpuntur: *Volumus autem quòd hi qui fratribus confitebuntur, eadem ſuis parochialibus Presbyteris confiteri, ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, teneantur; quos quidem fratres ſecundùm datam eis à Domino gratiam exhortentur.* Circa quam Bullam, hæc tria nota. 1°. Martinum prædictum ſanctitate eximia præditum fuiſſe, adeo vt poſt mortem miraculis claruiſſe creditus ſit; vt notat Magnum Chronicon Belgicum ad ann. 1288. 2°. Mendicantibus fuiſſe gratioſum, & eadem illa Bulla, qua facultatem Mendicantium ad tempus confeſſionis annuæ extendi negat, priuilegia ipſorum confirmaſſe, & facultatem audiendi confeſſiones abſolutam ac generalem conceſſiſſe. Benedict. XI. Extrau. *Inter cunctas*, inter Extrauag. communes *de Priuilegiis: Ceterùm licèt (ſicut prædicitur) de neceſſitate non ſit iterum eadem confiteri peccata; tamen quia propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pœnitentiæ pars, vt eorundem peccatorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre, diſtrictè injungimus, vt fratres ipſos confitentes attentè moneant, & in ſuis prædicationibus exhortentur, quòd ſuis Sacerdotibus ſaltem ſemel confiteantur in anno, aſſerendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere.*

Synodus Cremonenſis ann. 1297 *Vt ſaltem ſemel in anno proprio confiteantur Sacerdoti.* Si alieno Sacerdoti proprius opponatur, non ſemel in anno, ſed ſemper ei confitendum. Proprius ergo hic Sacerdos, Parochus intelligitur.

Digitized by Google

Sixtus IV. ex Ord. Fratrum Minorum ad Summum Pontificatum aſſumptus, Extrau. *Vices illius*, Tit. *De treuga, & pace*, inter Extrau. communes, (quæ eſt confirmatio tranſactionis inter Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum Ordinum profeſſores ex vna parte, & parochialium Eccleſiarum Rectores ac Prælatos in partibus Germaniæ ex altera parte, quæ eruditis priùs Cardinalibus Guillelmo Hoſtienſi & Angelo Præneſtino Epiſcopis, ac Iuliano tituli ſancti Petri ad vincula, ac Petro tituli ſancti Sixti Presbyteris confirmata fuit, vt ex textu Conſtitutionis ipſius innoteſcit) inter cetera capita tranſactionis illud confirmat, *Quòd etiam ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare quòd Parochiani non ſint obligati, ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacerdoti.* Quibus verbis per proprium Sacerdotem non poſſunt intelligi priuilegiati ex Mendicantibus, quibus nullus Parochianorum vllo tempore tenetur confiteri; ſed vel intelliguntur Papa, Epiſcopi, Curati, Vicarij, & Pœnitentiarij tam Epiſcoporum, quàm Papæ, qui ſunt ordinarij Paſtores, vel vices eorum tenent. Vel certè ſoli intelliguntur Curati. quod ad præſentem quæſtionem magis ſpectat. Duo autem præterea determinantur. Vnum, confeſſionem annuam debere fieri in Paſchate. Alterum, confeſſionem hocce tempore proprio Sacerdoti modo explicato fieri à jure præceptum fuiſſe, id eſt, in Concilio generali Lateranenſi ſtatutum, nec iſtius legis obligationem Summum Pontificem voluiſſe perimere, ſed tanquam caput conuentionis factæ ſpecialiter pro Germania confirmaſſe, & ad totam Eccleſiam ſua lege ampliaſſe, quantumcunque reliquo tempore licentiam confeſſiones audiendi fratribus conceſſerit his verbis: *Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſentur excluſi, quò minùs ſecundùm juris communis & priuilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem confeſſiones audire & pœnitentias injungere valeant.*

Concilium Toletanum auctoritate Ægidij Toletani Archiepiſcopi ann. 1339. tempore Benedicti XII. celebratum, Concilij Lateranenſis Conſtitutionem commendat, & promulgandam curat, & ad ejus executionem Parochianorum

nomina à Parochis inſcribenda curari jubet, vt puniantur qui non vel ipſi Parocho, vel alteri habenti poteſtatem, de quo eidem conſtet, confeſſi fuerint : *Cùm nonnulli Rectores Eccleſiarum, & eorum Vicarij, in obſeruando Conſtitutionem Concilij generalis, quæ incipit, Omnis vtriuſque ſexus, inueniantur hactenus negligentes plurimùm ac remiſſi; ideóque vniuerſis ac ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, & eorum Vicariis ſub pœna excommunicationis præcipiendo mandamus, quatenus dictam Conſtitutionem diligenter obſeruent, & nihilominus quilibet eorum in ſua Parochia nomina ſuorum Parochianorum, qui ad annos diſcretionis peruenerint, annatim in ſcriptis redigant, & illos qui ſibi vel alteri poteſtatem habenti, de quo conſtet, ei confeſſi fuerint conſignet, eóſque ad recipiendam Euchariſtiam excitet. Quòd ſi eam non receperint, niſi de conſcientia proprij Sacerdotis abſtineant, necnon & reliquos non confeſſos, poſt lapſum anni ab Eccleſia, donec confeſſi fuerint, expellantur; & ſi ſic deceſſerint, Eccleſiaſtica careant ſepultura.* Circa quod Decretum duo notanda ſunt. Vnum, obligationem Euchariſtiæ recipiendæ cum obligatione confitendi conjungi, ac in idem tempus ſupponi incidere : alterum, Confeſſarium non quemlibet, ſed habentem poteſtatem, & de quo Parocho conſtet, requiri. Talis autem vix eſſe poteſt, niſi vel ſuperior Parocho, cujus nota auctoritas, vel inferior, qui ab eo commiſſus eidem notus eſſe ſupponitur. Iudicium item penes Parochum relinquitur. Et inſcriptio iſta tam confitentium, quàm Euchariſtiam ſuſcipientium per Parochum, obligationem Parochiani oſtendit.

Concilium Friſingenſe ſub Eugenio IV. ann. 1440. prædictam obligationem confitendi propriis Paſtoribus ſupponit, dum Eccleſiaſticarum & Religioſarum perſonarum quinam ſint proprij Paſtores explicat, rationémque pro prædicta obligatione ſtatuenda profert his verbis, Tit. *De pœnit. & remiſſ. Quia ex paſtorali ſollicitudine incumbit Prælatis ſuorum ſubditorum vultum intrinſecus agnoſcere ſecundùm talentum ſibi creditum; Statuimus propterea, volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, vt omnes Abbates, Præpoſiti, Decani, Archidiaconi noſtræ diœceſis ſpecialiter non exempti nobis aut*

Digitized by Google

Vicario, omnes verò Sacerdotes inferiores ſuis Decanis, Monachi ſuis Abbatibus, vel Præpoſitis, qui per Præpoſitos ſoliti ſunt gubernari, ſua peccata confiteantur, niſi alicui ipſorum à Superiore noſtro de ſpirituali indulto aliud ſit conceſſum.

Conſtitutio edita in Conuentu Ratiſbon. ann. 1524. cui præerat Cardinalis Campegius Legatus Apoſtolicæ Sedis, renouat ſanctionem Patrum, qua eccleſiaſtica ſepultura priuatur quiſquis *non confeſſus, nec Euchariſtiæ communionem paſchali tempore ſumpſerit.* Eandem obligationem vtramque videtur indicare. Si enim vnicuique ſit liberum apud quem voluerit paſchali tempore confiteri; quomodo id reſciet Parochus? Quare huc etiam reuocetur Simonis Pictauienſis Epiſcopi anno 1382. ſtatutum: *Qui non confeſſus fuerit proprio Sacerdoti, eccleſiaſtica careat ſepultura.* Nam per proprium Sacerdotem hic nullus alius poteſt intelligi, quàm Parochus. Concilium Treuirenſe ſub Archiepiſcopo Ioanne ann. 1549. Tit. *De Monaſteriis non moleſtandis*, §. vlt. *Cùm omnes Chriſti fideles ex Conſtitutione Eccleſiæ teneantur proprio Sacerdoti confiteri; ſi quis hoc neglexerit, & in Paſchate ſacram Euchariſtiam recuſauerit, niſi fortè de licentia & conſilio Confeſſoris, ſic decedens, Eccleſiaſtica ſepultura careat, & viuus ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur.*

Huc etiam referuntur Conſtitutiones omnes poſteriorum Conciliorum, verbi gratia, Synodi diœceſanæ Auguſtenſis ann. 1548. & aliarum prouincialium & diœceſanarum, quæ Concilij generalis Lateranenſis Conſtitutionem, tanquam in viridi obſeruantia poſitam, ſingulis annis promulgari volunt. Sed facit maximè Concilij Trident. auctoritas, quæ quammaxima eſt. Tridentinum autem ſeſſ. 14. can. 8. ſic ſtatuit: *Si quis dixerit confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſeruat, eſſe impoſſibilem* &c. *Aut ad eam non teneri omnes & ſingulos vtriuſque ſexus Chriſti fideles, juxta magni Concilij Lateranenſis Conſtitutionem ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadrageſimæ, anathema ſit.* Nam innuit Trident. confitendum eſſe ſemel in anno juxta Concilij Lateranenſis Conſtitutionem. At Concilium Lateranenſe ſtatuit confitendum eſſe

proprio

Digitized by Google

proprio Sacerdoti, id eſt, ordinario Paſtori, ſiue etiam Parocho. Ergo hanc obligationem adhuc in vſu eſſe indicat Concil. Trident. Ac proinde cùm Summi Pontifices poſteriores priuilegia Regularium nonniſi ad mentem Concilij Tridentini obſeruari velint; poteſtas ipſis audiendi confeſſiones conceſſa, non videtur obligationem iſtam perimere, qua vnuſquiſque fidelis adſtringitur ad confitendum ſemel in anno, id eſt, in Paſchate, proprio Sacerdoti, id eſt, Ordinario, vel Curato.

Ideo Concilium Mediolanenſe I. à ſancto Carolo Borromæo habitum, & à Gregorio XIII. approbatum, Tit. *De iis quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem*, hanc obligationem conformiter Concilio Lateranenſi vigere declarat, his verbis Innocentij III. *Conſtitutionem in generali Concilio editam, qua ſancitum eſt, vt fideles, ſaltem ſemel in anno, proprio Parocho peccata ſua confiteantur, inuiolatè omnes ſeruent.* Hunc autem canonem iiſdem verbis Synodus prouinciæ Aquenſis in Gallia ab Alexandro Cauigiano celebrata anno 1585. & à Sixto V. probata, ſuis inſeruit, Tit. *Quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent.*

Synodus diœceſana Cremonenſis I. à Cæſare Speciano Epiſcopo Cremonenſi habita, titulo *Quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent*, hoc ſtatuit: *Hortamur omnes & ſingulos Confeſſarios, vt in tempore paſchalis confeſſionis pœnitentes ad proprios Parochos remittant, ab eis abſoluendos; quò proprij Paſtoris vocem audientes, perfectiùs corrigantur.* Hortandi vocabulo vſa eſt; quia etiam Pœnitentiarios & Vicarios generales complectitur; vel quia in Italia, ob raritatem Preſbyterorum parochialium, hæc obligatio in deſuetudinem abierat. At præceptum continere videtur Conſtitutio diœceſis Rauennatenſis edita à Cardinale Aldobrandino, Titulo *De pœnitentia* num. 24. & Gallicæ conſuetudini tot vtilitates complectenti ſuffragari videtur, his verbis: *Cuicunque verò per nos licebit pœnitentes omnes, modò in ſuam Parochiam etiam in tranſitu venerint, ab admiſſis peccatis liberare, caueat ne id efficiat proximo paſchali tempore, quod ab initio Quadrageſimæ incipere declaramus. Tunc enim volumus vnum-*

Digitized by Google

quemque adire ſuam Parochiam, ſeu alium à nobis delegatum. Ex hoc enim colligimus generalem audiendarum confeſſionum licentiam non ſufficere, vbi de præcepto annuæ confeſſionis adimplendo agitur, ſed ad Parochum tunc temporis pœnitentem remittendum, vel ad ſpecialiter delegatum. Similiter nec generalem à Summo Pontifice conceſſam licentiam Regularibus ad audiendas Secularium confeſſiones ſufficere, ſed ſpecialem licentiam requiri, vt ad eos tunc temporis accedatur, cùm de obſeruatione præcepti annuæ confeſſionis agitur.

Concilium prouinciale Ebredunenſe ann. 1582. impreſſum Lugduni ann. 1600. habitum à Guillelmo d'Auauſon Archiepiſcopo Regis Chriſtianiſſimi inuitatione, probatum à Gregorio XIII. Tit. *De Pœnitentiæ Sacramento*, ſtatim initio, *Omnes fideles peccata ſua proprio Parocho ſemel in anno ad minus confiteantur.*

Concilium prouinciale Rhemenſe ann. 1588. à Gregorio XIII. approbatum, Tit. *De pœnit.* ſtatuit, vt nulli liceat alieno, ſed ſoli proprio Sacerdoti, id eſt, Parocho, peccata confiteri: *Nemo exiſtimet ſibi licere cuicunque volet Sacerdoti confiteri, ſed proprio tantùm Parocho. Si quis autem alieno voluerit Sacerdoti, juſta de cauſa, ſua confiteri peccata, licentiam poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote: cùm aliter ipſe illum non poſſit abſoluere, vel ligare.*

Synodus prouincialis Burdegalenſis anno 1583. ab Antonio Preuoſtio Sanſaco habita, & ab eodem Pontifice Maximo probata, Tit. *De pœnit. Moneant Parochi* &c. *Semel vt minimum quotannis, & maximè acceptabili Quadrageſimæ tempore, omnia peccata ſuo proprio Sacerdoti confiteri obligatos eſſe.*

Concilium Rothomagenſe ann. 1581. à Gregorio item approbatum ſub Cardinale Borbonio, Tit. *De Curatorum officiis*, §. 37. *Nullus itaque Sacerdos, atque etiam Regularis, ne quidem in ſuo conuentu, audeat, maximè per omne tempus Quadrageſimæ, & octauas Paſchæ, audire confeſſiones quorumcunque, & aliquem abſoluere, niſi de licentia Epiſcopi expreſſa, atque etiam in ſcriptis habita.*

Concilium Bituricenſe anno 1584. celebratum, à Sixto V.

Digitized by Google

probatum, can. 4. *Omnes Chriſtiani cujuſcunque ſexus peccata ſua, ſaltem ſemel in anno, die Paſchæ proprio Sacerdoti confiteantur.*

Concilium Burdegalenſe ann. 1624. à Cardinale de Sourdis celebratum cap. 5. num. 3. de Euchariſtia: *Sæpiſſime fideles ad ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem, cum omni deuotione, & compunctis cordibus, accedere peroptamus. Sed ne omittant tempore Paſchatis id in propria Parochiali præſtare ſacris Canonibus inſiſtentes ſtatuimus eo tempore omnes Chriſti fideles tum ad confeſſionem peccatorum proprio Parocho, aut alij de ejus licentia faciendam, tum ad ſacram Euchariſtiam in eadem Eccleſia percipiendam teneri & obligari, nullóſque alios præcepto Eccleſiæ ſatisfeciſſe, ac proinde in eos ni reſipiſcant, ab Ordinario cenſuris agendum eſſe declaramus. Si qui autem aliò ſe transferre pro deuotione, aut alia quauis ratione maluerint, accepta prius à Parocho licentia, quæ facilè concedatur, aut ab Ordinario in Domino ſanctæ Eccleſiæ obediant, debitam demum atteſtationem proprio Parocho vt ſatisfecerint exhibituri, ſecus eo modo in eos agatur quo in eos, qui nullo modo officio ſatisfecère. Ac ne quis ignorantia intellectum obducens nolit intelligere vt benè agat; omnibus Parochis & verbi Dei Concionatoribus præcipimus, vt initio temporum ſacræ Quadrageſimæ, frequenti populo ſæpius hanc confitendi & communicandi obligationem proponant & inculcent vehementer, eóque fine caput Omnis vtriuſque ſexus, Rituali Romano ex condicto Eccleſiæ inſertum, legant palam, & publicent. Qui verò ad confeſſiones audiendas, ſiue Seculares, ſiue Regulares, in quibuſlibet Eccleſiis approbati fuerint, idem pœnitentibus conſulere teneantur. Ac ſi ſecus ipſi vel quicunque aliquid contra prædicare, docere aut conſulere auſi fuerint, ab Ordinariis ſuſpendantur ab officio & interdicantur, ſciantque nullo modo in noſtra prouincia deinceps ad quamcunque functionem admittendos eſſe.*

Statuta Conuentus Cleri Franciæ anni 1625. confirmata an. 1635. & 1645. num. 4. *L'Egliſe ayant ſaintement & expreſſément enjoint à vn chacun de ſe rendre à la feſte de Paſques en ſon Egliſe paroiſſiale pour y faire le deuoir de bon Chreſtien: conformément à ce precepte, il eſt enjoint à toutes perſonnes de s'y confeſſer, & defendu à tous Religieux & autres exempts, de receuoir aucunes*

perſonnes dans leurs Egliſes à la Confeſſion, ny leur donner la Communion, depuis le Dimanche des Rameaux juſques au Dimanche de l'Octaue de Paſques incluſiuement, ny d'enſeigner au peuple aucune doctrine à ce contraire. Et afin que cette Ordonnance ſoit notoire à vn chacun, les Curez ſont tenus d'exhorter ſur ce ſujet leurs paroiſſiens, & leur monſtrer comme par les ſaints Canons, Decrets & Conſtitutions de l'Egliſe ils ſont obligez d'y obeïr. Si neantmoins quelqu'vn meu de deuotion, ou pour quelqu'autre conſideration, deſiroit aller ailleurs qu'en ſa Paroiſſe, il ſera tenu d'en prendre la permiſſion par eſcrit de l'Eueſque dioceſain, ou ſon grand Vicaire, ou de ſon Curé; à la charge qu'il luy rapportera vne atteſtation valable du lieu où il a eſté confeſſé & receu la ſainte Communion.

§. 5.

Ex conſuetudine Galliæ prædictam obligationem in Gallia confirmari.

QVAS protulimus Conciliorum prouincialium in Gallia, & Comitiorum generalium Cleri Gallicani Conſtitutiones, eæ valent non ſolùm ad corroborandum Concilij generalis Lateranenſis Decretum, illúdque interpretandum; verùm etiam per ſe valere poſſunt, tum ad conſuetudinem Galliæ oſtendendam, quæ habeat vim legis, & priuilegiis, ſi quæ ſunt, contrariis derogare poſſit, tum ad obligationem etiam inducendam, ſi illa abundè inducta non eſſet.

Duo iſta probanda ſunt. Quod ſpectat ad conſuetudinem Gallicanam, certum eſt, conſuetudinem, quæ ſit honeſta & laudabilis, habere poſſe vim legis; & ſicut legibus derogare poteſt, ita & priuilegiis, quæ non majorem vim habent, quàm lex ipſa habeat, imò minorem habent. At certò conſuetudo confitendi in Paſchate proprio Parocho, vel alteri de Ordinarij, vel ejus licentia, eſt res honeſta & laudabilis, vt poſtea probabitur. Igitur conſuetudo poteſt obligationem hujuſmodi confeſſionis inducere &c.

Et in hoc propriè conſiſtit ratio Libertatis Eccleſiæ Galli-

canæ, vt antiquarum legum tenax, relaxationes earum non admiſerit, ſed ipſas mordicus retinuerit, nec priuilegia vlla, quibus iſtarum legum vigor emolliretur, aut tolleretur, admiſerit.

Conſuetudinem autem Galliæ tria probant. Primùm, quòd poteſtatem dari Regularibus ad audiendas confeſſiones cùm primùm accepit Eccleſia Gallicana, ægrè tulerit, vt oſtendunt diſſidia in Gallia inter Seculares & Regulares annis 1243. 1244. 1245. quorum mentio in Chronico Normaniæ annis 1255. 1256. 1257. Meminere Laurentius Anglus (qui floruit circa ann. 1260.) Matthæus Paris ad ann. 1255. 1256. 1257. Thomas Walſingham, Chronica Auguſtenſis, Compilatio Chronologica, Chronicon Citizenſe, Nangius de geſtis ſancti Ludouici, Alexander IV. variis Bullis, Thomas Cantipratanus de apibus lib. 2. cap. 10. fusè à numero præſertim 21. Eæ autem contentiones durarunt vſque ad annum 1279. teſte Harpsfeldio in Hiſtoria Anglicana, vbi de Ioanne Pekan Archiepiſc. Cantuarienſi Fratrum fautore: *Tunc verò*, inquit, *quæſtio agitabatur aduersùs ſtatum Regularium, ejúſque inſtitutio & priuilegia quæcunque impugnabantur: in qua cauſa vicerunt Regulares, Decretis Alexandri IV. ac poſtea Clementis IV. ſubnixi.* Recruduerunt circa annum 1282. contentiones iſtæ, vt colligitur ex veteri diplomate Guillelmi de Flauacuria Archiepiſcopi Rothomagenſis in hac contentione dato anno Domini 1282. die Mercurij poſt feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, & quidem occaſione Bullæ *Ad fructus vberes*, datæ à Martino V. Pontificatus ejus anno 1. Creatus eſt autem anno Chriſti 1281. ſecundùm Platinam, Onuphrium, Ciaconium in vitis Pontificum, Sabellicum Enneade 9. lib. 7. Hæc autem Bulla generalem confeſſionum audiendarum licentiam Regularibus concedebat; excepto tamen paſchali tempore, vt diximus. Meminerunt & ejuſdem contentionis ad ann. 1285. Annales Steronis, & Eberardus Ratiſbonenſis. Ejuſdem pariter continuatæ meminit ceteris fuſiùs Gaufridus de Fontanis. Quæſtio verò iſto tempore agitabatur potiſſimùm circa confeſſionem Regularibus factam, an iterum confiteri oporteret quæcunque

Regularibus ex indulto Apoſtolico confeſſus aliquis fuiſſet. Magnos viros pro affirmante ſententia ſtetiſſe vidimus, etiam ex Minoribus, Albertum Magnum, Alexandrum de Ales, Bonauenturam, & alios ex prædictis, & eo tempore Facultatem integram Pariſienſem, Epiſcopos, ac totum Clerum Franciæ; quorum cauſam defendendam ſuſceperunt Ægidius ex nobili familia Columnenſium Romanus, poſtea Ordinis ſancti Auguſtini Prior generalis, teſte prædicto Gaufrido de Fontanis, idque Henricus de Gandauo Archidiaconus Tornacenſis, vt ejus Opuſcula indicant, & Annales Steronis atque Eberardus citati teſtantur.

Durauit diutiùs hæc quæſtio indeciſa, quam non attigit Honorius IV. noluit dirimere Nicolaus IV. licèt ex Ordine Minorum aſſumptus, vt notant Annales Steronis ad ann. 1290. non diremit Bonifacius, ait idem auctor ad ann. 1299. Bullâ *Super Cathedram*, quæ habetur inter Extrauag. communes, *de ſepulturis:* qua facultatem quidem Mendicantibus approbatis impertit, ſed de reiteratione eorum, quæ quis apud eos confeſſus ſit, ſilet. Hoc autem caput manſit indeciſum, donec Ioannes XXII. Ioannem de Poliaco damnauit, qui non ſolùm obligari fideles Mendicantibus confeſſos, ad eadem peccata, quæ fuiſſent iiſdem confeſſi, Parochis ſuis iterum confitenda aſſerebat, quod ſine Papæ & Epiſcoporum offenſione aſſeri poterat; verùm nec id aliter fieri poſſe, aut à Summo Pontifice, aut à Deo, ſtante ſtatuto Concilij Lateranenſis, temerè affirmabat, contra ſenſum Concilij Lateranenſis: quo, ne quidem in die Paſchatis, & tempore obligationis confeſſionis annuæ ex ſpeciali licentia Papæ, vel Epiſcoporum, prohibetur aliquis confiteri Regularibus, nec qui eis ſic confeſſus fuerit, ad iterum Parochis peccata confitenda adſtringitur ex prædictis. quod eſſet in Papæ & Epiſcoporum contumeliam ac injuriam. Quod vtique legere poteris in Extrauag. *Vas electionis*, inter Extrauag. communes, Tit. *De Hæreticis*, & apud Guaguinum in Philippo Longo, ac Scholaſticos contemporaneos plurimos, qui hunc ejuſdem errorem repullulantem damnarunt. Affirmat autem Ioannes XXII. ſe prædeceſſorum

Digitized by Google

ſuorum Alexandri IV. & Clementis IV. inſiſtere veſtigiis, quorum primus anno ſui Pontificatus 3. Bulla Regi Francorum directa, quæ incipit *Non ſine multa*, alter anno ſui Pontificatus 1. Bulla quæ incipit *Quidam temerè*, declararunt, poſſe liberè fideles Fratribus confiteri, eóſque legitimè pœnitentes abſoluere, abſque aſſenſu & licentia Plebanorum. Ex qua declaratione intulit Ioannes XXII. confeſſiones ita legitimè factas, non eſſe neceſſariò coram plebanis iterandas. Quæſtionem tamen præſentem nemo ante Ioannem XXII. apertè diremerat. Poſt eum verò Benedictus XII. Extrau. *Inter cunctas*, inter communes, *de priuilegiis*, Eugenius IV. ann. Pontif. ſui 16. Incarnationis verò Dominicæ 1446. 17. Cal. Febr. Bulla *Gregis nobis crediti*, Nicolaus V. Bulla *Prouiſionis noſtræ*, Calixtus III. Bulla *Inter cetera*, data Pontif. ann. 2. Chriſti 1456. eandem doctrinam proſcripſerunt. Attamen reiterandæ confeſſionis peccatorum coram plebanis neceſſitatem, non obſtantibus ejuſmodi Bullis, Richardus Fizraf Archiepiſcopus Armacanus ann. 1357. (vt habet inſcriptio libri Armacani) coram ipſo Romano Pontifice defendere auſus eſt. Ioannes ſcilicet XXII. inquiebat ille, Conſtitutione ſua damnauit tantùm illos, qui dicerent confeſſos Mendicantibus denuo debere Parochis eadem omnia ſua peccata confiteri, quæ confeſſi eſſent Fratribus, defectu poteſtatis in iis ad validè abſoluendum: non autem eos qui aſſererent imminere obligationem ad eadem peccata iterum confitenda, vi duntaxat præcepti Eccleſiaſtici, quod ad confitendum ſuo Parocho omnia ſua peccata Parochianos adſtringeret: quam ejus ſententiam ex libro ipſius qui Defenſorium dicitur Curatorum, & Rogerij Chonnoë defenſione Mendicantium poſſumus colligere. Impunè autem id ei ceſſiſſe docent omnes. Thomas Walſingham in Eduardo III. ad ann. 1358. à toto Clero Anglicano miſſum ait ejus cauſam egiſſe, nihílque à Pontifice (qui fuit Innocentius VI.) pronuntiatum affirmat. Henricus Monachus à Rebdorff eodem anno rem geſtam referens, cauſæ auditionem & definitionem Dominum Papam quibuſdam commiſiſſe Cardinalibus refert. Richardi morte

Digitized by Google

litem extinctam referunt Annales Franciſcani. Trithemius honorificè hunc laudat lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *in Richardo Armacano.* Quidam etiam inter ſanctos in Hibernia illum coli teſtantur. Vtut ſit, eandem ſententiam non rejeciſſe videntur Pariſienſes quidam Theologi, & ceteri Magiſtri, occaſione Bullæ à Benedicto XIII. anno 1409. obtentæ, quæ ita Mendicantibus priuilegium audiendi confeſſiones Secularium confirmabat, vt obligationem iterum confitendi, quæ quis confeſſus fuiſſet, tolleret: aduersùs hanc enim congregata fuit Vniuerſitas, habitúſque ſermo à Ioanne Gerſone, Cancellario Pariſienſi, qui hunc annum adnotatum habet, & ſententiam Armacani explicat, cui Vniuerſitas adhærebat. Habetur tom. vltimo operum Ioannis Gerſonis. Verùm occaſione Bullæ Eugenij IV. quam in lucem emiſerat Nicolaus V. deinde Calixtus, quæ eſt damnatio erroris Ioannis de Poliaco, aliorúmque item errorum infrà explicandorum, inſurrexit eadem Vniuerſitas ſtudiorum Guillelmo Riueto ſeu Rineto, deinde Gaufrido Caluo, Magiſtro Nicolao Bertoul, tandémque Ludouico Scamilenghe ejuſdem Rectoribus, (quemadmodum acta citanda fidem faciunt) coegítque Mendicantes, vt promitterent ſe nullum jus vi iſtius Bullæ, aduersùs Decretalem Innocentij III. *Omnis vtriuſque ſexus*, aut Clementinam *Dudum, de ſepulturis*, prætenſuros. Volebant autem Seculares per Decretalem *Omnis vtriuſque ſexus*, vnumquemque Parochianum ad confitendum ſemel in anno, proprio Parocho obligatum eſſe; contenderuntque reuocatoriam à Calixto III. tunc ſedente Pontifice, prioris à ſe emiſſæ obtinere; quam & obtinuerunt, ipſâque Vniuerſitâti exhibita Mendicantes in corpus Facultatis Theologicæ receptos fuiſſe acta inferiùs ſcribenda indicant. Hanc Bullam Calixti III. cui acquieuerunt Seculares, prioris reuocatoriam, non habemus præ manibus. Reuocaſſe verò damnationem propoſitionum à ſe erroris damnatarum, nullatenus eſt probabile. Quare, ſtante damnatione eorum errorum, quos damnatos retuli (quos à nullo Facultatis Pariſienſis deinceps animaduerto fuiſſe defenſos) circa vſum & praxim Papam Calixtum aliquid

Digitized by Google

aliquid ſtatuiſſe neceſſum eſt. Id enim & Vniuerſitatis Pariſienſis Magiſtri, & Curati, ac Prælati regni ardentiùs poſtulabant; vt eadem acta oſtendunt. Nihil autem aliud circa vſum priuilegiorum Regularium, quod Decretali *Omnis vtriuſque ſexus* conſentiat, Papam ſtatuiſſe, conſentientibus & paſciſcentibus Regularibus, excogitari poteſt, quàm vt deinceps ad confeſſionem annuam omnes tempore Paſchatis, proprio Curato faciendam obſtrictos eſſe, docerent: & vt executioni idipſum demandaretur certiùs, à confeſſionibus ipſi audiendis hocce tempore abſtinerent.

Confirmat 1°. Cenſura Theologicæ Facultatis Pariſienſis ann. 1408. aduersùs propoſitiones quaſdam Ioannis de Gorello, aduersùs quas ſtatuuntur iſtæ: *Quòd eadem peccata poſſunt licitè & meritoriè pluries confiteri, in multis caſibus. Quòd iſta auctoritas, Agnoſces vultum pecoris tui, bene & aptè intelligitur de cognitione in foro pœnitentiæ.* 3°. *Quòd locus parochialis eſt congruus, & ordinarius, vt Sacramenta Eccleſiaſtica recipiantur in eo.* Sed Clariùs alia Cenſura anno 1488. aduersùs fratrem Ioannem Angeli, cujus hæc propoſitio, *Parochianus confeſſus dictis Fratribus, ſatisfecit Decretali Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentiis & remiſſ. nec tenetur confiteri proprio ſuo Curato ſemel in anno, nec ab eo petere licentiam*, declaratur vt jacet *ſcandaloſa, & Iuri communi contraria, & pro ſubditorum ad Prælatos debitæ obedientiæ, & reuerentiæ obſeruantia reuocanda.* Et cùm allegaſſet idem Frater Bullam *per Papam modernum* (eo anno ſedebat Innocentius VIII.) *Fratribus conceſſam, Pariſiis prædicatam, & per Vniuerſitatem Pariſienſem approbatam*, falſum iſtud dictum, & mendacium continens aſſeritur.

Denique alia anni 1516. die 2. menſis Ian. ad inſtantiam Epiſcopi Bellouacenſis aduersùs propoſitiones Claudij Couſin Ordinis Prædicatorum. Cùm enim eaſdem propoſitiones protuliſſet quas Ioannes Angeli, Facultas ſimiliter illas damnauit. Item cùm addidiſſet hanc propoſitionem idem Claudius, *Curatum parochitanum, qui prædicat, & ait plebem ſuam obligari ſub pœna excommunicationis, ad ſibi confitendum ſemel in anno, excommunicatum eſſe, & ſi celebret, fieri irregu-*

Digitized by Google

larem. Facultas hanc propoſitionem *falſam & injurioſam* cenſuit: ſcilicet, quia obligatorias cenſebat iſtas promulgationes, quibus ex Ritualium Gallicanorum edicto, ſub pœna excommunicationis, fideles quique ad confitendum proprio Parocho obligati denuntiabantur; additúmque à Facultate prædictas qualificationes non præjudicare Clementinæ *Dudum, de ſepulturis*. Hæc deinceps praxis Eccleſiæ Gallicanæ fuit, quam Rituales omnes antiqui libri ſingularum diœceſeon oſtendunt, quibus edicitur vt omnes, & ſinguli Parochiani ſuo Parocho, circa tempus paſchale confiteantur, non alteri.

Cui ſeruiens conſuetudini, cùm in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ.11. Bullâ *Dum intra*, priuilegia Regularium generaliſſimè approbata fuiſſent, adeo vt à Papa indultum ſit, *vt talibus præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis, confitentes Conſtitutioni, quæ incipit Omnis vtriuſque ſexus, quoad confeſſionem duntaxat, ſatisfeciſſe cenſeantur* (quod nullus antea Pontificum edixerat) interceſſit Dinienſis Epiſcopus, qui ſolus è regno Franciæ aderat, (nam Cauallicenſis, ex territorio Auenionenſi, ſubditus temporaliter erat Papæ) & ita prædictæ Bullæ aſſenſus eſt, vt præjudicium Eccleſiæ ſuæ non inferretur, quippe quam Francico jure & libertate frui prætendebat. Contradixerunt & alij ex Italia Epiſcopi, apud quos Parochiarum adhuc dignitas vigebat; verbi gratia, Melphitanus, Iporegienſis, Vincienſis, Ferentinus, & Senogallienſis; qui, ſine approbatione priuilegiorum, Bullæ aſſenſi ſunt. Quæ renitentia innouatum tunc antiquum morem indicat, & vigentem adhuc fuiſſe Conſtitutionem *Omnis vtriuſque ſexus*; quatenus neminem confeſſionis annuæ præcepto ſatisfacere ſtatuebat, qui non proprio Parocho confeſſus fuiſſet. Ac proinde hanc Leonis Conſtitutionem, non Lateranenſis Concilij ſub Innocentio III. dixeris declarationem, ſed immutationem; aut ſi interpretationem dicere velis, non eam ſtrictam & accuratam. (Nam ſi hæc mens eſſet Leonis X. is Innocentio IV. Martino IV. Sixto IV. & aliis prædeceſſoribus ſuis aliter magni Concilij Lateranenſis mentem interpretantibus repugnaret) ſed ex

Digitized by Google

indulgentia & diſpenſatione factam dici oportere. Et hoc ipſum fatetur Henriquez è Societate Iesv lib. 4. de Pœnitentiæ Sacram. c. 4. num. 3. *Præcepto*, inquit, *ſatisfacit Secularis, qui Sacerdoti regulari expoſito, & per Epiſcopum approbato juxta formam Concilij Tridentini, confitetur, etiam in Quadrageſima & Paſcha* &c. *Olim tamen jure communi Parochiani tenebantur in Paſcha confiteri proprio Sacerdoti:* citátque ad id probandum in margine Extrauag. Conſtitut. ſuperiùs citatas Benedict. XI. & Sixti IV. cui cùm in pluribus derogarit Concilium Tridentinum, in iis v. g. quòd aliquam tantùm in Regularibus Sacramenti peritiam exigi à Regularibus velit, & quòd indebitè recuſatos confeſſionibus audiendis vacare indulgeat Leo: quæ quidem duo ſuſtulit Tridentinum approbationem Epiſcopi neceſſariam requirens, qui non qualicunque peritia contentus ſit: videtur etiam Tridentinis Patribus derogationem obligationis confitendi ſemel in anno proprio Parocho minimè placuiſſe, qui juxta magni Concilij Lateranenſis Conſtitutionem, hanc obligationem intelligendam ſtatuerint, vt ſuperiùs docuimus. Sed id jam non agitur, ſed conſuetudinem Galliæ ex præcedentibus inferimus: quam adhuc corroborant ea, quæ ex Conciliis Gallicanis, præſertim iis quæ à Summis Pontificibus probata ſunt, & à Comitiis Cleri Gallicani, pro ea obligatione confirmanda, ſtatuta protulimus. Nam leges iſtæ morem Gallicanum oſtendunt: approbatio verò à Summis Pontificibus obtenta, priuilegij, ſi quod ſit in contrarium, derogationem: cùm enim omnia jura ſint in ſcrinio pectoris Papæ; eo ipſo quo legem ſtatuit, priuilegio in jure contento, ſibi bene noto derogat.

Quanta autem ſit vis conſuetudinis oſtendunt iſta. Primum Sententia Baſilij citata à Gratiano can. *Eccleſiaſticarum*. diſt. 11. *Eccleſiaſticarum Conſtitutionum quaſdam Scripturis, quaſdam verò Apoſtolica traditione per ſucceſſiones in miniſterio confirmatas accepimus, quaſdam verò conſuetudine roboratas approbauit vſus, quibus par ritus, & idem vtriſque pietatis debetur affectus: vnde quis vel aliquantulum expertus ſacrarum Litterarum heſitauerit? Si enim attentauerimus conſuetudines Eccleſiæ,*

Digitized by Google

non per Scripturas à Patribus traditas nihil æſtimare, quantum Religio detrimenti ſit latura, inten è inſpicientibus liquidò conſtabit. Baſilij locus paulò diuerſus eſt lib. de Spiritu ſancto cap. 27. Pius Papa ibid. can. 6. *Conſuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil vſurpare dignoſcitur.* Auguſtinus epiſt. 86. ad Caſulanum, ibid. can. 7. *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit diuina Scriptura, mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt; & ſicut præuaricatores diuinarum Legum, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt.* Idem Auguſt. epiſt. 118. ad Ian. cap. 5. *Faciat ergo quiſque quod in ea Eccleſia, in quam venit, inuenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem ſit, aut contra mores hinc vel inde meliores. His enim cauſis, id eſt, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat; vel inſtitui, quod non fiebat. Ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuuat vtilitate, nouitate perturbat. Quapropter quæ vtilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter neceſſariò eſt.* Anacletus epiſt. 1. *Priuilegia Eccleſiarum & Sacerdotum intemerata & inuiolata cunctis decernimus manere temporibus.* Apud Gratianum 15. quæſt. 2. Honorius III. Pariſienſi Capitulo cap. 9. de conſuetudine: *Cùm conſuetudinis vſuſque longæui non ſit leuis auctoritas, & plerumque diſcordiam pariant nouitates* &c.

Allegant & pro iſta conſuetudine tenenda Curati, eam ab Eccleſiæ prima origine, vt vidimus, deductam fuiſſe, & in magno Concilio inductam. Ejuſmodi autem conſuetudines & priuilegia Eccleſiarum, ſaltem vbi in vſu ſunt, non debere immutari, probant ex dictis Summorum Pontificum, primò quidem Zoſimi Papæ epiſt. 3. ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis ſecundæ: *Contra ſtatuta Patrum, & ſancti Trophimi reuerentiam, qui primus Metropolitanus Arelatenſis ciuitatis ex hac ſede directus eſt, mutare, vel concedere, nec hujus ſedis poteſt auctoritas. Apud nos enim inconuulſis radicibus viuit Antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reuerentiam.* Hujus verba paulò immutata referunt Iuo Carnotenſis epiſt. 60. Hugoni Lugdunenſi Archiepiſcopo, & epiſt. 77. Hugoni Bellouacenſis Eccleſiæ

Digitized by Google

Decano, Gratianus can. contra. 15. qu. 1. Secundò Leonis I. Martiano Auguſto epiſt. 54. cap. 3. *Priuilegia Eccleſiarum ſanctorum Patrum canonibus inſtituta, & venerabilis Nicenæ Synodi* (quod de Nicena dicitur, hoc de magna Lateranenſi dici poſſe contendunt) *fixa decretis, nulla poſſunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari.* Quibus ſimilia habet epiſt. 53. ad Anatolium: vbi nequidem ab alia Synodo generali conuelli poſſe diſputat Leo, epiſt. 55. Pulcheriæ cap. 3. epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum cap. 3. ad Theodoretum Epiſcopum Cyri cap. 6. Tertiò, Gregorij Magni lib. 12. epiſt. 31. *Si ea deſtruerem quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed euerſor eſſe juſtè comprobarer.* Apud Grat. 25. quæſt. 2. quibus ſimilia habet lib. 7. epiſt. 17. Bonifacio defenſori lib. 3. indict. 10. epiſt. 39. Dominico Carthaginenſi lib. 2. epiſt. 37. Natali; quæ leguntur apud Gratianum quæſt. citata, & aliquibus aliis epiſt. apud Iuonem epiſt. 60. Leonis IV. Lothario Imperatori, & Nicolai Hincmaro Rhemenſi, apud eundem Iuonem epiſt. citata; quibus pleraque alia addi poſſunt. Sed ſufficit Concilij Epheſini Oecumenici decretum can. vltimo. ἔδοξε τοίνυν τῇ ἁγίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ σώζεσθαι ἑκάστῃ ἐπαρχίᾳ καθαρὰ καὶ ἀβίαστα τὰ αὐτῇ προσόντα δίκαια ἐξ ἀρχῆς ἄνωθεν. *Sancta ergo & vniuerſali Synodo viſum eſt, vt vnicuique Prouinciæ pura & inuiolata ſeruentur jura, quæ ab initio & multis retro annis habet ſecundùm conſuetudinem, quæ jam olim ſeruata* &c. Hanc facultatem ἐλευθερίαν vocat, id eſt, *libertatem, quam proprio ſanguine ſuo Dominus* IESVS *nobis parauerit.* Vnde libertatum, quas ſibi vendicat, & vocem, & exemplum Eccleſia Gallicana ſumpſit. Vide ea quæ in eam rem ſcripſit Ferrandus Diaconus in parænetico ad Reginum Comitem.

Iterum allegant, non officere, vel ſi iſta conſuetudo ſingularis Galliæ futura eſſet. Nam permittit Hieronymus epiſt. 28. vt vnaquæque prouincia abundet in ſuo ſenſu. Gregorius epiſt. 41. lib. 1. *In vna fide*, inquit, *nihil officit Eccleſiæ conſuetudo diuerſa.* Quibus ſimilia habent Petrus Venerabilis epiſt. 11. lib. 1. & Fulbertus Carnotenſis epiſt. Roberto Regi, & alij. quæ omnia valent, vbi conſuetudo viget.

Denique adducunt leges ac canones priores; (ij autem innumeri ſunt) quibus jus ac priuilegium conſuetudine acquiri conſtat, v. g. *l. hoc jure*. §. *ductus, ff de aqua quotidiana. l. 1*. §. *vlt. ff. de aqua pluuiæ arcenda*. c. *Hæc quippe*. 3. q. 6. can. *Conqueſtus*. 9. q. 3. can. *Mos antiquus*. diſt. 65. cap. *Super quibuſdam, de verborum ſignificatione. l. teſtamenta, Cod. de teſtamentis*. Item quibus conſuetudo quandoque legi præualere arguitur; cujuſmodi ſunt can. *Conſuetudo*. diſt. 8. cap. *Venientes, de jurejurando*. Item canones cum gloſſis, quibus priuilegium conſuetudine acquiri demonſtratur; cujuſmodi ſunt can. *Mala*. diſtinct. 8. can. *Quia per ambitiones*. diſtinct. 64. can. *Placuit*. 16. quæſt. 3. junctis gloſſis. Item quibus eligibilis jure, ineligibilis per conſuetudinem fieri infertur. quale eſt cap. *Cùm olim, de Clericis conjugatis*. Hoc item viget, quod in jure naturali fundatur, conſuetudinem, cujus omiſſio parit ſcandalum, cuicunque priuilegio præferri, vt infertur ex cap. 1. *De cognatione ſpirituali*, & fortiùs ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 8. imò & ex jure naturali diuino, quo tenemur Chriſti bonus odor eſſe in omni loco, & infirmorum conſcientiis parcere, propter quas Chriſtus mortuus eſt, & juri nobis priuatim acquiſito cedere, ſi contra bonum publicum tendat. At vbi conſuetudo eſt in Eccleſia parochiali confiteri, hujus conſuetudinis omiſſio parit ſcandalum; præſertim ſi lege publica Epiſcoporum confirmata ſit. Tunc enim in epiſcopalis dignitatis contemptum cedit illa omiſſio, ac proinde, in eo caſu, etiam acquiſito priuilegio renuntiandum eſt.

Denique proferunt conſuetudinem localem obſtare quò minùs priuilegium valeat, niſi ei expreſsè derogatum ſit; quia Pontifex poteſt ignorare hujuſmodi conſuetudinem: & ſi allegata fuerit, videtur priuilegium non fuiſſe conceſſurum, cap. 1. *De Conſtit. in 6*. At conſuetudinis Galliæ in priuilegiis Mendicantium nulla facta eſt mentio. Conſuetudine quoque locali arctari aliquando Principis indulgentiam; cujus coarctatæ Principis indulgentiæ per conſuetudinem habetur caſus, cap. *Licèt, de Præbendis & Dignitatibus*.

Digitized by Google

§. 6.

Epiſcopos potuiſſe obligationem ad confitendum ſoli proprio Parocho, circa diem Paſchatis, ſubditis ſuis imponere.

ALIVD argumentum ex citatis legibus Epiſcoporum Galliæ proferimus. Potuiſſe nempe Epiſcopos Galliarum obligationem iſtam, per ſe honeſtam, & (vt fatentur ex Regularibus omnes ſanctiores ac probatiores Scriptores, ſanctus Thomas, Bonauentura, Antoninus, & alij) ſaluti animarum vtilem, ſi expedire judicauerint, ſua lege præſcribere, annuamque confeſſionem, quæ ex Eccleſiæ conſuetudine fieri ſolet in Paſchate, ſubditis ſuis præcipere. Eſt enim in Epiſcopis præcipiendi poteſtas. Confeſſio annua ſoli Parocho intra certum tempus eſt res quæ præcipi poteſt: eſt enim honeſta & laudabilis, cùm ſit actus obedientiæ & verecundiæ de peccato majoris, & ad bonum publicum Eccleſiæ, ſcilicet diſciplinam & ordinationem, facit. Eſt æqua. Scilicet æquum eſt, vt cùm Parochus quouis tempore ad audiendas ſuorum confeſſiones expoſitus ſit, ſaltem ſemel in anno, certo tempore, ad confitendum ipſi ſubditi obligentur. Non eſt nimiùm difficilis, quandoquidem in omnibus ferè religionibus plures vni confiteri à Prælato approbato certo tempore conſtitutum ſit, ex Concilio Friſingenſi ſub Eugenio IV. ſuperiùs citato, & in Confraternitatibus illud mandari ſoleat, & ante Mendicantes eſſet in vſu, & pro grauioribus quibuſdam criminibus Papæ vel Epiſcopis reſeruatis adhuc in more ſit poſitum, vt vni confiteri ſit neceſſum, & qui onus iſtud ſubire detrectet, grauiorem ſatisfaciendi obligationem detrectaturus jure merito præſumi poſſit vtplurimum. Denique res iſta (vt expreſsè aſſerit Benedictus XI. Extrau. *inter cunctas, de priuilegiis*, inter communes) *ſalubris exiſtimanda eſt, & ad animarum profectum proculdubio pertinet.*

Vnum eſt quod dubium mouere poſſet ; nimirum per illam Conſtitutionem reſtrictam iri poteſtatem Regularibus indultam à Summo Pontifice. Proinde ceſſuram in Summi

Digitized by Google

Pontificis injuriam. Sed hæc objectio nullius videtur eſſe momenti. Primò enim non vetant jura quin priuilegia, etiam à Summis Pontificibus conceſſa, per accidens indirectè, & præter intentionem legem ferentis, in ſubditorum ſalutem ab inferioribus Summo Pontifice reſtringantur, vbi expedire præſertim animarum ſaluti judicauerint. Sic enim ex ampliori caſuum reſeruatione, à quibus Regulares abſoluere non poſſe conſtantis juris eſt, eorum poteſtatem in audiendis confeſſionibus reſtringi per accidens contingit. Neque tamen exinde ligatur poteſtas Epiſcoporum, quin poſſint certos caſus reſeruare, quorum reſeruationem expedire ſaluti ſubditorum prudenter judicauerint. Si autem reſtringere poſſunt poteſtatem abſoluendi Regularibus conceſſam quoad caſus, quidni & quoad tempus ob eandem cauſam ſalutis ſubditorum? Nec omnino requiritur ad priuilegium, quòd in tota ſua ſignificatione intelligatur; præſertim vbi vergit in præjudicium tertij ex cap. *Ex tuarum, de vſu Pallij.* cap. *Ad audientiam, de Eccleſiis ædificandis.* cap. *In his.* cap. *Paſtoralis, de priuilegiis.* cap. *Dudum.* cap. *Dilecti*, & cap. *Licèt, de decimis.* Extrauag. *Suſcepti.* inter Extrauag. Ioannis XXII. *De pœnitentiis & remiſſionibus, l. 2. §. Si quis à principe. ff. de adminiſtratione tutorum. l. Anus. Cod. De emancip. liberorum. l. Quotiens. Cod. De prec. imp. offer.* Duntaxat verò requiri videtur in eo præſertim caſu quòd priuilegium non ita ſtrictè interpretemur, vt inutile & illuſorium ſit, ex cap. *in his* cit. in quod legatur Gloſſa finalis, & ex cap. *Abbate, de verborum ſignificatione*, & ex Gloſſa ibid. verbo *Valere poſſit potiùs.* Licèt autem Regulares ab audiendis paſchali tempore confeſſionibus arceantur; priuilegium illis conceſſum vtile eis erit reliquo anni tempore; cui comparatum paſchale tempus nullius ferè momenti eſt. Non erit proinde illuſoria facta illis gratia. Cederet autem iſta in præjudicium Epiſcopi & Curati, ſi ita ligarentur iſto priuilegio, vt ad confeſſionem proprio Parocho ob cauſas rationabiles non poſſent ſuum ſubditum adſtringere. Certè ſi Monachis conceſſum eſt, vt certè conceſſum legitur, vt apud Fratres Mendicantes confiteri poſſint: an verò ideo reſtringendam putant

Abbatis

Digitized by Google

Abbatis poteſtatem aduerſarij, quò minùs poſſit ob juſtas cauſas certo tempore illos obligare, vt non niſi intra domum ſuam confiteantur. Id, vt opinor, non negabunt. Quidni & Epiſcopo circa ſubditos ſuos idem ex rationabili cauſa concedant?

2°. Si priuilegia ad æquitatis, & charitatis legem expendenda ſunt, vt contendunt Bernardus lib. 3. de conſid. & Hildebertus epiſt. 83. quidni Epiſcopus legem ſubditis ſalutarem imponere poſſit, licèt per accidens priuilegia quorundam, quæ in eo caſu animarum ſaluti vtilia dici non poſſunt, cùm contraria obſeruatio longè vtilior ſit, reſtringi contingat? Si, ne contemnatur Sententia interdicti, priuilegium generale vim habere debere interpretatus eſt Innocent. III. cap. *Vt priuilegia de priuilegiis*, quidni, vt contemptus proprij Paſtoris vitetur, priuilegium audiendi confeſſiones Regularibus conceſſum, ſaluo Parochorum jure ſemel ſaltem in anno ſuorum confeſſiones audiendi, valere ſtatuant Epiſcopi?

3°. Vtor ratione Gloſſæ in Extrauag. *Super Cathedram*, inter comm. de ſepulturis. V. *A jure*, prope finem. Illa quæ ſunt de bene eſſe & accidentalia, non debent mutare poteſtatem Epiſcoporum, quæ eſt ſubſtantialis, fundamentalis, & ordinaria; nota cap. *Per hoc, de hæret. in 6.* cap. *Patentibus, de priuilegiis.* cap. *Ad audientiam, de Eccleſiis ædificandis vel reparandis.* Neque enim credendum eſt Romanum Pontificem, qui jura tuetur, quod aliàs excogitatum eſt multis vigiliis & inuentum, vno verbo velle ſubuertere. cap. *Eccleſia veſtra. 2. de electione & electi poteſtate.*

4°. Vtor quoque argumento, quo Ioannes Andræas, & illum citans Ioann. de Baccone Ordinis Carmelitarum in 4. Sentent. diſt. 15. quæſt. 2. probat poſſe Epiſcopum caſus, de quibus ante Conſtitutionem *Super Cathedram*, poterant Curati abſoluere, ſibi reſeruare; ita vt Fratres denuo de his abſoluere non poſſint, Conſtitutione *Super Cathedram* non obſtante. Quia licèt Fratres ſint exempti, Parochiani tamen non *De priuilegiis*, cap. *Per exemptionem* lib. 6. Et ſic ſemper poteſt Epiſcopus ſuper eos ſtatuere, & reſeruare. Item ſi

X

poteſt arctare poteſtatem Curatorum, fortiùs hanc extraordinariam cenſetur diuerſis iuribus habere quoad Curatos & quoad Fratres *De priuilegiis* cap. *Quia circa*. Igitur non abſoluat Frater quem non abſoluit Curatus. Iſta enim accidentalia, & de bene eſſe non mutant ſubſtantialem & ordinariam poteſtatem Epiſcoporum.

5°. Addo aliam eſſe rationem legis, quæ aliquid præcipit; aliam legis, quæ ex indulgentia permittit. Licèt enim Epiſcopus legem præceptiuam Papæ deſtruere non poſſit contraria lege præcipiente aut prohibente, poteſt tamen ex juſta cauſa circa eam diſpenſare & indulgere quippiam. Quidni ergo poſſit quoque legem ex indulgentia permittentem aliquid contra præceptum vniuerſaliter olim receptum, per accidens ſaltem reſtringere, præcipiendo aliquo tempore quod indultum eſt ſemper, ſi ſaluti ſubditorum expediat, nec ex legis poſitione ſcandala oriantur & difficultates, propter quas indulgentia circa legem conceſſa fuerat? Hoc eſt enim ſequi intentionem legis Superioris, licèt à verbis aliquantulùm diſcedatur. Et certè facilis eſt recurſus ad ſuum principium can. *Ab exordio*, diſt. 35.

§. 7.

Si quod conceſſum Regularibus priuilegium audiendarum confeſſionum in Paſchate, per pacta & conuentiones in Gallia reſcindi.

PACTA vel priuilegium antecedunt, vel ſequuntur. Si priuilegia præcedant, eorum renunciatione ac ceſſione diſſoluuntur. Si ſubſequatur priuilegium, pactis & conuentionibus præcedentibus, vt ſubreptitium, & mala fide quæſitum, per præcedentia pacta irritatur.

Vtrumque probandum eſt. Primum quidem quòd pacta antecedentia, priuilegia quorum reuocatoria ſunt, diſſoluant: præſertim verò quod Regulares contra pacta inita nullo prætextu niti debeant Bonifacius VIII. oſtendit cap. 1. de pactis in 6. *Pactum cum Rectore parochialis Eccleſiæ factum à vobis, ne aliquos, vel certos ipſius Eccleſiæ Parochianos recipiatis*

ad Eccleſiaſticam ſepulturam, omnino ſeruare debetis; quanquam ſepultura libera ſit Monaſterio veſtro ab Apoſtolica Sede indulta, & illi apud vos elegerint ſepeliri: cùm per dictum pactum indulto hujuſmodi derogetur.

Item cap. 3. *Quia ex eo quòd fratres Prædicatores & Minores, & alij Mendicantes compoſitiones, & pacta cum Prælatis, Capitulis, Rectoribus, & perſonis Eccleſiarum ciuitatum, caſtrorum, villarum, & locorum in quibus domus ſeu habitationes eorum exiſtunt, ſuper juribus parochialibus, vel aliis quibuſcunque articulis, ab eis vel eorum anteceſſoribus inita ſiue facta, ſeruare recuſant, & ea eo prætextu infringere moliuntur, quia Magiſtri, aut Miniſtri, vel Prioris, generalium ſeu prouincialium eorundem non affuit aſſenſus in ipſis, nec approbata per ipſorum generalia vel prouincialia Capitula extiterunt; multa in diuerſis mundi partibus inſurgunt ſcandala, & ipſorum Fratrum, quos decet puritatem omnimodam in ſuis obſeruare actionibus, & ab his abſtinere propenſiùs, per quæ poſſit aliis exempli pernicies generari, famæ detrahitur plurimum & honori: Nos his occurrere paternæ ſollicitudinis ſtudio intendentes, præſenti Decreto ſancimus compoſitiones, & pacta hujuſmodi cum Prælatis, Capitulis, & Rectoribus, & perſonis prædictis ab ipſorum Fratrum conuentualibus Prioribus, ſeu Guardianis facta, vel approbata de ſuorum Conuentuum conſilio & aſſenſu (dum tamen aliàs ſint honeſta & licita) debere ab ipſis Fratribus in locis, in quibus fuerint facta, perpetuò inuiolabiliter obſeruari; non obſtante quòd Magiſtri, vel Miniſtri, aut Prioris, generalium, ſeu prouincialium prædictorum non interuenit in eiſdem aſſenſus, nec ab ipſorum generalibus vel prouincialibus Capitulis extiterint approbata: ſeu quod Sedes Apoſtolica in his, quæ per prædictos Fratres Minores facta fuerint, auctoritatem ſuam non præſtiterit, vel aſſenſum.*

Fauet etiam Innocentius III. Epiſcopo Lucano cap. *Cùm olim de ſententia & re judicata.* Nam cùm renunciationis factæ ab ipſis partibus non minor ſit vis, quàm ſententiæ arbitralis datæ ab arbitris partium conſenſu electis, Innocentius quidem ad eum Epiſcopum ſcribens oſtendit priuilegia ſententia arbitrali ex conuentione facta, reſcindi, dum Gregorij VII. Papæ priuilegium ab Abbate exhibitum, nullius

Digitized by Google

momenti eſſe cenſuit, quia ſententiam arbitralem, *multo videbatur tempore præceſſiſſe.* Pacta ergo, ſicut & ſententiæ arbitrales, priuilegia præcedentia reſcindunt.

Conuentionem autem ſemel factam non tolli per priuilegium ſequens, oſtendit idem Innocentius III. cap. eodem. Nam cùm aliorum quoque Romanorum Pontificum dictus Abbas priuilegiis vteretur poſt arbitrium promulgatum obtentis, qui libertatis priuilegia ſibi concedere videbantur, nullam quoque eorum rationem duxit, quia à ſententia arbitrali ex conuentione facta, præcedebantur, & *legitima deinceps præſcriptione Epiſcopus nitebatur.* Clariùs autem, & expreſſiùs Adrianus III. Vigorienſi & Herfordenſi Epiſcopis cap. 3. de Decimis: *Ex multiplici conqueſtione, V. Presbyteri accepimus, quòd cùm inter Abbatem de Brudeia, de conſenſu totius Conuentus, & prædictum Presbyterum talis interceſſerit conuentio, ſcripto Monachorum authentico roborata, quòd Monachi dicto Presbytero & Eccleſiæ ſuæ, de blado & vniuerſis leguminibus, quandiu viueret, decimas perſoluerent, exceptis minutis decimis, quas idem Presbyter quittas clamauit, idem Abbas à nobis priuilegium obtinuit, vt de laboribus, quos propriis manibus aut ſumptibus excolunt, nulli decimas ſoluere tenerentur* &c. *Vnde quia non fuit noſtræ intentionis per priuilegium noſtrum conuentioni derogare prædictæ; mandamus quatenus Abbatem & Monachos, vt eandem conuentionem (non obſtante dicto priuilegio, niſi de ipſa contineatur in eo) inuiolabiliter teneant & obſeruent, vel exinde ſecum pacificè conueniant, appellatione poſtpoſita, compellatis.*

Rationem aſſignat Gloſſa; quia priuilegium iſtud fuit tacita veritate impetratum. Vnde obreptitium cenſendum eſt, *De reſcriptis*, cap. *Super litteris.* eſtque caſus in obtinente Beneficium, nulla facta mentione prioris, cap. *Cùm adeo.* eodem. Alius item caſus cap. *Conſtitutus.* eodem.

Argumentari etiam licet à pari, & ab identitate rationis. Nam ſi priuilegium ſit contra ſententiam, & in obtentione priuilegij nulla facta eſt mentio ſententiæ, priuilegium nullum eſt cap. *Cauſam quæ de teſtibus.* juncta Gloſſa penultima, & vltima ibidem; & *l. tutor petitus, in principio. ff. de exe-*

Digitized by Google

cutione tutorum. Item non valet priuilegium, nulla facta mentione conſtitutionis, aut conſuetudinis localis contrariæ, cap. 1. *De conſtitutionibus. in 6.* Cujus rei cauſa redditur eodem capite, quæ in præſenti caſu militat : *Quia Pontifex locorum ſpecialium, & perſonarum ſingularium conſuetudines, & ſtatuta (cùm ſint facti, & in facto conſiſtant) poteſt probabiliter ignorare, ipſis, dummodo ſint rationabilià, per conſtitutionem à ſe nouiter editam (niſi expreſſè caueatur in ipſa) non intelligitur in aliquo derogare.*

Nec obſtat inſtituto noſtro quòd Leo X. Bulla *Dum intra.* anno 1516. xiv. Cal. Ianuarij, anno Pontificatus ſui 4. priuilegium hoc Regularibus conceſſerit, *Vt pacta, & conuentiones pro tempore inita valeant, niſi per ſubſecutum Capitulum proximum generale vel prouinciale refutentur, ac per eos refutatio hujuſmodi intimata debito tempore fuerit.*

Reſpondetur ſiquidem, 1° Conſtitutiones Bonifacij, vtpote corpori Iuris inſertas, & probabilioribus rationibus innixas, fuiſſe potiùs in vſu, quàm prædictam Bullam : præſertim cùm ei in ipſo Concilio Lateranenſi plurimi reſtiterint, & alia in ipſo Regularibus conceſſa, ſuperiùs neglecta docuerimus.

2°. Propoſito & inſtituto noſtro, ad quod prædicta referentur, Leonis X. Bullam non præjudicare, quia longè poſterior eſt reuocatione prædicta, ad quam proinde trahi non poteſt, quæ de pactis deinceps futuris loquitur, non de præcedentibus Conciliis.

3°. Quia de pactis nudis loquitur Leo, non de pactis approbatis à Summo Pontifice; qualis inferiùs adferenda conuentio probabitur.

4°. Pactis quidem non ligari Regulares, quæ probata non ſunt in Capitulo ſuo generali, aſſerit Leo X. quia abſque voluntate Superiorum non cenſentur aliquid poſſe velle, aut nolle. Sed non aſſerit in pactis quæ ſunt reciproca, poſſe aliquid ipſos lucrari : cùm injuſtum ſit vt pacta quibus ſe obligant Regulares, ipſos non ligent; ij verò qui cum ipſis contraxerunt, obligati ad ſeruandas conditiones remaneant. Vnde pacta quidem ſine voluntate Superiorum, aſſerit

Leo reſcindi; ſed quoad vtramque partem. Itaque ſicut non obligantur Regulares conuentionibus initis, ita nec ij, qui cum ipſis contraxerunt. Ideóque vult reſiſtentiam Capituli generalis non admittentis pacta à Regularibus facta, ſignificari iis qui cum ipſis contraxerunt, vt iis liberum ſit etiam à conuentionibus reſilire.

Dices. Sicut Clericus non poteſt renuntiare priuilegio fori; cap. *Si diligenti, de foro competenti;* ita nec Regulares poſſunt renuntiare ſuo priuilegio. Confirmatur. Nam *priuatorum pactis Iuri publico derogari non poteſt*. Sed priuilegia quibus gaudent Regulares, vt poſſint quocunque tempore confeſſiones audire, ſunt Ius publicum. Ergo eis derogare non potuerunt.

Reſpondeo, priuilegiis, quæ meræ ſunt facultates aliquid faciendi, vel non faciendi, ab habentibus renuntiari poſſe, can. *Quàm periculoſum.* & can. *Hoc neutiquam.* 7. q. 1. can. *Si illic.* 23. q. 4. l. 1. §. *qui ſemel. ff. qui ſucceſſorio edicto. l. poſtquam. Cod. de pactis.* & *l. ſi venditor. ff. de ædilitio edicto;* cujus rei caſus eſt particularis de poteſtate Regularium, vt poſſint renuntiare ſuis priuilegiis, in Epiſt. decretali Alexandri III. Abbati & Monachis ſancti Andreæ Ciſtercienſis Ordinis cap. 6. *De priuilegiis*, his verbis: *Si de terra, quam habetis in Parochia Canonicorum de Plautio per triginta annos eis decimas perſoluiſtis, eas ſibi de cetero integrè perſoluatis. Licèt enim priuilegiorum Romanæ Eccleſiæ beneficio Fratribus Ciſtercienſis Ordinis indultum fuerit, quòd de laboribus ſuis nullas decimas perſoluere debeant, de priuilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluiſtis; cùm liberum ſit vnicuique ſuo juri renuntiare: eóque modo non poteſtis vos in hac parte tueri.* Quod ſpectat ad exemplum adductum priuilegij clericalis, reſponderet Imperator Iuſtinianus, *l. Si quis. Cod. de Epiſcopis & Clericis; Si quis in conſcribendo inſtrumento ſeſe confeſſus fuerit non vſurum fori præſcriptione, propter Sacerdotij prærogatiuam; ſancimus non licere ei aduersùs ſua pacta venire, & contrahentes decipere; cùm regula ſit Iuris antiqui, omnes licentiam habere his quæ pro ſe indulta ſunt, renuntiare. quam generalem legem in omnibus caſibus obtinere ſancimus, qui necdum per judicialem ſen-*

ſententiam vel amicabilem conuentionem ſopiti ſunt. Meliùs autem cum Canoniſtis reſpondemus, non eſſe parem rationem priuilegij ſacerdotalis, & priuilegij Monachorum, quod meram facultatem tribuit, nullam autem obligationem imponit. Regularibus, verbi gratia, poſſe confeſſionem excipere vel non excipere, priuilegium eis conceſſum duntaxat tribuit, ſed non eos ad confeſſiones excipiendas adſtringit. Quare renuntiare ei poſſunt. Priuilegium autem Fori Clerico non tantùm tribuit facultatem, vt conueniri poſſit coram Eccleſiaſtico Iudice, verùm etiam vt debeat; nec aliud tribunal eligendi jus ei permittit; quemadmodum ſtatuunt Concilia Chalcedon. can. 9. Carthag. can. 15. Græco Aquiſgran. can. 86. Agathenſe can. 8. & 32. Andegauenſe can. 2. Veneticum can. 9. Epaonenſe can. 11. Aurelian. 3. can. 31. Aurelian. 4. can. 13. & 20. Matiſcon. can. 7. & 8. Antiſſiodorenſe can. 35. Cabilon. can. 11. Troſleianum can. 5. & 6. Innocentius III. in Concilio Lateran. can. 40. & epiſt. ad Archiepiſcopum Piſanum. Tolet. 3. cap. 13. *&c.* Et eo ſenſu intelligitur regula iſta, quòd *priuatorum pactis Iuri publico derogari non poteſt;* quod nemo paciſci poſſit, vt agat quod ei non licitum eſt, vel non agat quod ei juſſum: non autem vt non agat quod ei permiſſum. Quare multi ſanctiſſimi Monachi omiſerunt aliqua facere, quorum poteſtatem habebant. Sic quamuis licentiam haberet confeſſiones excipiendi ſanctus Haibertus, tamen ad Epiſcopum pœnitentes remiſiſſe docet auctor ejus vitæ apud Surium. Et ſanctus Franciſcus in ſuo teſtamento ſuis vetat, ne ſine licentia vilioris Sacerdotis vnquam quidquam in ejus Parochia faciant. Sanctorum Ignatij & Franciſci Xauerij ſimilia proferuntur exempla. Iam verò pactum & conuentum fuiſſe à Regularibus, vt nihil aduersùs caput *Omnis vtriuſque ſexus,* Concilij Lateran. ita intellectum, vt obligationem confitendi proprio Parocho ſaltem in Paſchate inducat, ſibi quouis priuilegio indulto, deinceps tentent, inſtrumentis authenticis probari à nobis poteſt; quæ in calce hujus diſcuſſionis referemus. Harum conuentionum meminit *Choppinus de ſacra Politia* lib. 2. tit. 8. num. 6. his verbis: *Ætatis verò ſucceſſu*

ingens emerſit ſacræ Scholæ Pariſiorum contentio cum Carmelitici Sodalitij Theologis, qui Pontificio freti diplomate Nicolai V. publicum Sacerdotij miniſterium in Chriſtianam plebeculam ſibi paßim adſciuerant; licèt poſtremo tranſacta iis legibus, ut ſacri Mendicantium cœtus Apoſtolico priuilegio nuntium remitterent, ejus nempe derogatorios codicillos à Calixto III. Pontif. impetraturi, quadam velut palinodiæ cantatione menſe Februario anni 1456. auctoribus ſolennis pacti Vrſino Rhemorum Archiepiſcopo, Arthuro Equitum Magiſtro, & Antiſtite Pariſienſi. Contentio exorta dicitur occaſione Bullæ Nicolai V.

Conſentiunt Acta Vniuerſitatis, quæ totum diſſidium accuratiùs exprimunt. Referunt enim Rectore Guillelmo Riueto, 1° iſtam controuerſiam enatam fuiſſe occaſione Bullæ à Carmelitis obtentæ, & Officiali Pariſienſi præſentatæ; eáque Bulla declarata fuit *ſcandaloſa, turbatiua pacis & concordiæ, ſubuerſiua Ordinis hierarchici, & ſubreptitia*; & Fratres qui illam obtulerant, ab Vniuerſitatis corpore abſciſſi. 2°. In Rectoria Magiſtri Gaufridi Calui, à ſententia Vniuerſitatis prouocatum refertur ad Senatum Pariſienſem, & Vniuerſitas ſcribitur ejuſdem judicium refugiſſe; Curia verò Pariſienſis per arbitros ex Senatu deputatos, adſcitis ex Clero Gallicano Ioanne Patriarcha Antiocheno, Iuuenali Archiepiſcopo Rhemenſi, & Epiſcopo Pariſienſi, de terminanda pacificè controuerſia cogitaſſe; oblatumque tranſactionis inſtrumentum, in quam Vniuerſitas & Fratres Mendicantes conuenire non potuerunt. 3°. In Rectoria Magiſtri Nicolai Bertoul refertur quomodo conuocatus fuerit pro hoc negotio Clerus Pariſienſis ab Epiſcopo Pariſienſi, Curati aduocationem ſubſidiariam dederint, ſcriptum ſit ad Cardinalem Auenionenſem; cùmque infectum ex hac parte negotium fuerit, miſſæ ſunt litteræ ab Vniuerſitate, quibus totius Regni & vicinarum Prouinciarum Clerum in ſua lite adjutorem appellarunt. 4°. Denique in Rectoria Magiſtri Ludouici Scamilieghe, opera præſertim Coneſtabularij Franciæ, & D. Archiepiſcopi Rhemenſis, tranſactionem factam inter Mendicantes & Vniuerſitatem Pariſienſem, quâ ſe Bullæ, de qua querimonia facta fuerat, nuntium remittere

Digitized by Google

remittere promiſerunt, nullámque deinceps ſimilem Bullam obtenturos jurarunt. Quin etiam reuocatoria prædictæ Bullæ alia à Calixto III. obtenta eſt, ab iis verbis incipiens, *Ad perpetuam rei memoriam, Nicolaus;* quæ Vniuerſitatis intentioni conſentiebat.

Porrò Bulla de qua controuertebatur in Rectoria Magiſtri Guillelmi Riueti, dicitur incœpiſſe ab iis verbis, *Gregis nobis crediti*. Bulla verò à cujus vſu ſe abſtenturos Mendicantes promiſerunt in Rectoria M. Ludouici Scamilieghe, incœpiſſe dicitur *Nicolaus* &c. Vtrumque verum eſſe ex Libro qui inſcribitur *Firmamenta trium Ordinum beatiſſimi Patris noſtri Franciſci*, colligitur. Nam tract. 2. 2. partis habentur litteræ Nicolai V. quæ incipiunt, *Nicolaus* &c. quibus Bulla Eugenij IV. quæ incipit, *Gregis nobis crediti*, (quæ in ipſius regiſtro dicitur reperta, & ex eo exſcripta à Nicalao V.) inuiolabiliter obſeruanda mandatur.

At vtraque Bulla tam Nicolai V. quàm Eugenij IV. tanquam in alia Calixti III. quæ incipit, *Inter cetera*, contenta, refertur in Firmamentis trium Ordinum : in qua quidem Calixti Bulla, de prædicta contentione habetur: *Dum pridem in vigilia Pentecoſtes proximè præterita, præfatæ litteræ Nicolai V. prædeceſſoris noſtri venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Pariſienſi, ſeu in ejus Epiſcopali curia præſentatæ forent: Dilectus filius Guillelmus Riueti pro tunc Rector Vniuerſitatis Pariſienſis, eaſdem impediri fecit, aſſerens dicti Nicolai prædeceſſoris noſtri litteras de falſo plurimùm ſuſpectas, pacis in eadem Vniuerſitate ſolenniter juratæ, & ſtatus hierarchici in Eccleſia Dei plurimùm turbatiuas, & ſcandaloſas, & aduersùs Ius commune, ſanctionibus ſacris & Pragmaticæ Sanctioni contrarias.* Subduntur, & alia omnino conſentanea iis, quæ in Rectoria ejuſdem Guillelmi Riueti referuntur; ac tandem ſententia dicti Calixti III. refertur, qua & Bulla prædicta Nicolai V. falſa ac ſubreptitia, pacis euerſiua, ſcandaloſa eſſe negatur, & Fratres ſuo ſtatui reſtituuntur, & Fratrum ab Vniuerſitatis conſortio excluſio abſque Sedis Apoſtolicæ aſſenſu deinceps prohibetur; datáque ſcribitur hæc Bulla Calixti III. anno Domini 1456. x. Cal. Aprilis Pontific. ann. 2. Hæc autem non

Digitized by Google

conſentiunt iis, quæ ex Pariſienſibus Actis eruuntur. Nam querimoniam Vniuerſitatis Pariſienſis ſub Guillelmo Riueti referunt incœptam anno 1456. die Sabbathi 22. menſis Maij. Quomodo ergo potuit Romæ à Calixto III. damnari concluſio Vniuerſitatis ſub eodem Rectore facta eodem anno die x. Cal. Aprilis? Deinde, ſi concluſio iſta damnata fuiſſet Romæ; vnde fit vt in iſtis Actis nec de iſta damnatione querimonia vlla, nec de Bulla Calixti III. vlla quæſtio fuerit? Cur coram Papa potiùs quàm coram Curia Parlamenti litem agere voluit Vniuerſitas Pariſienſis? Qua fronte reuocatoriam Bullam ab eo petiit? Qua facilitate ille conceſſit? Quare falſa haud dubiè videtur Bulla prædicta Calixti, qualis habetur in Fundamentis trium Ordinum. Ejuſque falſitas cuiuis prudenti eò faciliùs perſuadebitur, quòd Nicolai V. Bullam tantùm abeſt vt Calixtus III. confirmarit, Actáque Vniuerſitatis reſciderit; cùm potiùs conſentaneè Actis Pariſienſis Vniuerſitatis referant eadem Fundamenta trium Ordinum, in fine Bullæ priuilegia Mendicantium per Calixtum III. reuocata fuiſſe, & ejus reuocationem à Sixto IV. reuocatam inferatur. Item eodem lib. tract. 1. 2. partis, habetur Bulla Sixti IV. data anno 1471. vij. Idus Decembr. quæ incipit, *Quia in futurorum*, quæ reuocationem Calixti III. reuocat; quòd ex iſta reuocatione, præter ipſius Calixti intentum, *plurima jurgia, lites, diſſenſionéſque, & ſcandala exorta, variæque appellationes per eorundem Fratrum partem ad Sedem Apoſtolicam interpoſitæ, & querelæ delatæ fuerant*. Ergo Bullam Calixti III. reuocatoriam Bullæ Nicolai V. aliquam fuiſſe neceſſum eſt. Ac proinde falſum Nicolai V. Bullam à Calixto III. fuiſſe confirmatam, & Acta Vniuerſitatis Pariſienſis aduersùs illam prætenſam obreptitiam fuiſſe reſciſſa. Quid verò Bulla reuocatoria Calixti III. continuerit, nobis ad liquidum non patet: quippe qui Bullam Calixti III. præ manibus non habeamus. Conſtat autem id præſertim reuocatum quod capiti *Omnis vtriuſque ſexus* repugnare Studiorum Vniuerſitas Pariſienſis prætendebat. At id tangit præſertim annuæ confeſſionis præceptum proprio Parocho faciendæ. Ergo id à Calixto III. reuocatum quemadmo-

Digitized by Google

dum: de eo Mendicantes tranſactionem ediderunt, ab eoque abſtenturos ſe promiſerunt; jurarúntque tandem ſe nec Nicolai V. Bulla vſuros, nec ſimilem obtenturos. Quorum pactorum fides debet eſſe firma. Et quamuis Sixtus IV. Bullam Calixti III. reuocarit; tamen quia conuentionem Mendicantium non irritauit, nec de ea Bulla ſua reuocatoria verbum fecit, vigent prædicta pacta, & conuentiones Regularium, nec tanquam inania, vel tanquam irrita habenda ſunt.

Colligere etiam poſſumus ſenſum Bullæ Calixti III. ex Bulla Eugenij quæ incipit, *Gregis nobis crediti*, inſerta Bullæ Nicolai V. In ea ſiquidem, ſi ſincerè & verè in Firmamentis trium Ordinum relata eſt, damnantur propoſitiones Ioannis de Poliaco omnibus notæ, tum etiam iſtæ: *Quòd confeſſio Fratribus ſic electis & admiſſis facta dubitabilis ſit, & incerta. Vnde tenentur omnes incertum dimittere, & ſic ſolùm confiteri ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus, ſub pœna peccati mortalis. Ac quamuis ipſi Fratres admiſſi auctoritatem habeant confeſſiones audiendi & abſoluendi, tamen ad eos accedendi populus ſubjectus ſine licentia proprij Sacerdotis, non habet poteſtatem. Fratres quoque priuilegia pro confeſſionibus audiendis & ſepulturis habendis petentes, in peccato mortali ſunt, & Romani Pontifices illa Mendicantibus concedentes, ſiue confirmantes, etiam in ſimili peccato, & excommunicati ſunt: & dicti Fratres non Paſtores, ſed fures, latrones, & lupi cenſentur. Sacerdos autem Curatus Mendicantibus audiendi confeſſiones licentiam dans, magis ſuper illo Statuto, Omnis vtriuſque ſexus diſpenſat, quàm Papa Fratribus licentiam tribuens juxta formam Decretalis antedictæ.*

Probabile non eſt Papam reuocaſſe damnationem iſtorum articulorum à Sede Apoſtolica prolatam, ſed tantùm declaraſſe nullum jus nouum per prædictam Bullam Regulares acquiſiuiſſe circa confeſſiones Statuti *Omnis vtriuſque ſexus*, circa ſepulturas Clementinæ *Dudum, de ſepulturis*, & circa vtrumque priuilegia Mendicantium juxta eadem jura reſtrinxiſſe. Sixtum verò IV. voluiſſe vt conceſſis à prædeceſſoribus ſuis juribus liberè fruerentur, Bulla ejus citata

Digitized by Google

oſtendit. Illum verò Sixtum eſſe obſeruandum eſt, qui confitendi in Paſchate proprio Parocho obligationem confirmauit Extrauag. *Vices illius*, ſuperiùs citata. Quis igitur ab eo, præſertim vbi aliqua eſſent pacta inter Prælatos & Regulares ea de re inita diſpenſatum putet in confeſſione proprio Parocho facienda, circa tempus paſchale.

§. 8.

Extracta è Rectoriis venerabilium virorum Rectorum Vniuerſitatis Pariſienſis, videlicet Guillelmi Riueti Bituricenſis diœceſis, Gaufridi Calui Coriſopitenſis diœceſis, Nicolai Bertoul diœceſis Ambianenſis, & Ludouici Scamilieghe Cameracenſis diœceſis, pro defenſione Ordinis hierarchici contra Mendicantes.

Et primò in Rectoria Magiſtri Guillelmi Riueti.

NOVERINT vniuerſi quòd anno Domini 1456. die Sabbathi 22. menſis Maij, alma Vniuerſitate ſtudij Pariſienſis apud ſanctum Mathurinum ſolenniter congregata, & ſpecialiter conuocata ad audiendum lecturam copiæ cujuſdam Bullæ, per quoſdam Fratres de Ordine Carmelitarum Officiali Pariſienſi præſentatæ, inter cetera extitit vnanimiter ipſis auditis, quòd diſplicebat impetratio hujuſmodi Bullæ, & videtur quòd ſit ſcandaloſa, turbatiua pacis & concordiæ, ſubuerſiua Ordinis hierarchici Eccleſiæ, ſubreptitia. Placet formare appellationem, præſertim in quantum derogat hujuſmodi Bulla Iuri communi, Decretali *Omnis vtriuſque ſexus*, & Clementinæ *Dudum*, *de ſepulturis*. Dicta appellatio Generali Carmelitarum, & ceteris Mendicantibus, Domino Epiſcopo Pariſienſi, & aliis Dominis Prælatis Eccleſiarum ſignificetur. Reſcribatur omnibus Vniuerſitatibus regni, & etiam extra regnum, Summo Pontifici, ceteris Prælatis Eccleſiæ, ac etiam Dominis temporalibus. Conuocentur Mendicantes ad Vniuerſitatem die Lunæ proxima congregandam, viſuri ſuas priuationes, ſi dictæ impetrationi renuntiare noluerint, & impetrare reuocationem ipſius, in quantum præjudicat, vel derogat Decre-

Digitized by Google

tali *Omnis vtriuſque ſexus*, & Clementinæ *Dudum, de ſepulturis:* & habeant ponere ipſam Bullam penes Vniuerſitatem. Requirantur Prælati, quòd non admittant Fratres Mendicantes ad prædicandum in ſuis diœceſibus, donec renuntiauerint, & obtinuerint hujuſmodi reuocatoriam. Ex nunc priuat omnes Mendicantes juratos à gremio ſuo, ſed executionem priuationis ſuſpendit vſque ad diem Lunæ proximam: alios autem non juratos reſecat à ſuſceptione graduum quorumcunque, & acquiſitione temporis in quacunque Facultate Pariſienſi, donec renuntiauerint dictæ impetrationi, in quantum præjudicat vt ſuprà. Datum in noſtra Congregatione generali ſolenniter celebrata, loco, anno, die, & menſe, quibus ſuprà.

Conſequenter, die Lunæ proximè ſubſequenti, quæ fuit vigeſima quarta Maij anni Domini 1456. alma ipſa Vniuerſitate ſpecialiter conuocata, & ſolenniter congregata apud ſanctum Mathurinum, ad audiendum ea quæ vellent dicere: Dominus Generalis Carmelitarum, & ceteri de Ordinibus Mendicantium ſuper facto dictæ Bullæ, qui ad hoc erant ſpecialiter vocati & citati conuenerunt: quibus citatis per Rectorem, & eorum reſponſis in plena Vniuerſitate auditis, inter cetera concluſum extitit, quòd in fine Congregationis ſummarentur, & requirerentur renuntiare dictæ Bullæ, & ejus reuocatoriam, pro quanto derogat juri communi, Decretali *Omnis vtriuſque ſexus*, & Clementinæ *Dudum* promitterent impetrare infrà certum tempus ſub pœnis antedictis: quod facere renuerunt, & diſtulerunt. Idcirco ipſa Vniuerſitas ex tunc omnes juratos de dictis Mendicantium Ordinibus reputauit & declarauit perjuros, & priuatos à gremio & conſortio ipſius: non juratos autem reſecauit à ſuſceptione graduum quorumcunque, & acquiſitione temporis in quacunque facultate. Et voluit quòd de hujuſmodi priuationibus affigerentur illico ſchedulæ in valuis Eccleſiarum, & quadriuiis vicorum Pariſienſium, & alibi. Datum in Congregatione, vt ſuprà, anno, die, & menſe prædictis.

Digitized by Google

2°. In Rectoria Magiſtri Gaufridi Calui.

Super diſcordia in Rectoria præcedenti orta inter almam matrem Vniuerſitatem Pariſienſem, & Religioſos Mendicantes, in hac præſenti Rectoria ſic extat proceſſum. Prædicti namque Fratres Mendicantes, appellationem per ipſos in ſua priuatione interjectam ad illum, vel ad illos, leuauerunt ad venerandam Curiam Parlamenti: ad quam ob illam cauſam fecerunt Vniuerſitatem adjornari, & conueniri. Quam Curiam per ſolennes proponentes bis declinauit Vniuerſitas, requirendo quòd conformiter ad ſua priuilegia & ſtatuta, & ad ea, quæ conformiter priùs fuerant geſta, ipſa cauſa ſibi remitteretur, & aſſerendo quòd de ſtatutis ſuis, & priuilegiis prædictis ipſa Curia non debeat quouis modo cognoſcere. Prædictis tamen Fratribus renitentibus in aduerſum, & requirentibus per ipſam Curiam, ſuam priuationem declaratam de jure fuiſſe nullam, & etiam ſuam Bullam ex parte Vniuerſitatis arreſtatam ſibi liberari, & expediri. Vbi, primò per illam venerandam Curiam quæſita ſunt inter partes media pacis, datis pro arbitris quatuor colendiſſimis Dominis illius venerabilis Curiæ, vnà cum reuerendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis, Domino Patriarcha Antiocheno Epiſcopo Pictauienſi, & Domino Archiepiſcopo Rhemenſi, necnon reuerendiſſ. in Chriſto Patre ac Domino Domino Epiſcopo Pariſienſi, qui acceptis, & vocatis quatuor honorandis Dominis de Vniuerſitate, duobus in Theologia, & duobus aliis in decretis Doctoribus, & totidem, videlicet quatuor, de Mendicantibus, aduiſauerunt, & quantum in eis fuit, decreuerunt concordiam in modum qui ſequitur fore tenendam, & ſtabiliendam.

Exortâ nuper, vt creditur, à pacis æmulo diſcordiarum materiâ inter Vniuerſitatem ſtudij Pariſienſis, & Fratres quatuor Ordinum Mendicantium, occaſione cujuſdam Bullæ in manibus ſcribæ Officialis Pariſienſis arreſtatæ, incipientis *Gregis nobis crediti*, quam dicta Vniuerſitas præjudicabilem Decretali *Omnis vtriuſque ſexus*, & Clementinæ *Dudum* prætendebat: in aduerſum eiſdem prætendentibus, ac conque-

Digitized by Google

rentibus ſuper priuatione, quam contra eos à dicta Vniuerſitate repente nimium dicebant emanatam, & aliis inde ſecutis. Venerabilis Curia regij Parlamenti hinc inde adita conſuluit viam pacis, inter partes prædictas per nos N. N. & ab eadem Curia ordinatos ex conſenſu partium, fore primitùs inducendam. Cùm itaque & Nos vt ipſam viam pacis aſſequi conuenientiùs valeremus per partes hinc inde, ſeu deputatos ab eis coram nobis rem agitari mandauiſſemus, & eiſdem auditis, pacis ſalutaria aperuiſſemus media quàm plurima, tandem Domino cooperante ad omne vitandum ſcandalum, ad turbationis materiam amputandam, & pacis ſolidæ validam reformationem, ex mutuo dictarum partium, ſeu deputatorum ab eis, conſenſu, ad pacem, & concordiam deuentum eſt in forma, quæ ſequitur. Videlicet, quòd prædicti Fratres, & Religioſi declarabunt, & promittent coram nobis, ſicut & jam in præſentia noſtra eorum deputati dixerunt, quòd per impetrationem dictæ Bullæ, ſeu quemcunque actum inde ſecutum, non intelligunt, vel intendunt acquiſiuiſſe, ſeu in futurum acquirere aliquod jus nouum, poſſeſſionem, vel titulum : quòdque abſtinebunt ab omni dogmatiſatione, & vſu dictæ Bullæ in præjudicium prædictarum Decretalium. His autem mediantibus priuationes factæ, & publicatæ ex parte Rectoris Vniuerſitatis, prætextu dictæ Bullæ contra ipſos Fratres interjectæ, perinde habeantur ſopitis differentiis, ac litigiis quibuſcunque, ac ſi prorſus non emanaſſent, vel penitùs factæ non eſſent. Ipſique Fratres dictorum quatuor Ordinum ad matris Vniuerſitatis gremium admittentur pacificè, & quietè, modo, & forma, & ſub Statutis, & juramentis hinc inde ab antiquo ſeruari conſuetis, & abſque innouatione quacunque, partibus ipſis hinc inde ſuis juribus, poſſeſſionibus, & priuilegiis manentibus, in quibus erant ante initium præſentis controuerſiæ inchoatæ. Ipſáque Vniuerſitas prædictos Ordines, & eorum Profeſſores affectu beneuolo pertractabit ad ipſam humiliter redeuntes, ſicut ad piam matrem. Cujus quidem concordiæ tenor non ex toto placuit Vniuerſitati ſuper hoc ſolenniter congregatæ, ſed concluſit Vniuerſitas in modum qui ſequitur.

Digitized by Google

Audita relatione facta in Vniuerſitate ſuper proloquutis inter Dominos Prælatos, & deputatos in materia tangente Bullam Mendicantium arreſtatam in manu Iuſtitiæ; concluſit Vniuerſitas concorditer per omnes Facultates & nationes, quòd ſemper ſibi placuit bona concordia, ſi reperiri potuiſſet: ad quam non eſt viſa ſufficere ſchedula ſuper hujuſmodi proloquutis confecta, & lecta. Ad ipſam tamen pacem aſſequendam placet eidem Vniuerſitati Bullâ, ipſorum Mendicantium abſque publicatione manente, arreſtatâ ſicut nunc eſt, (cùm materia & diſcuſſio ipſius dictæ Bullæ ad vniuerſalem Eccleſiam pertinere noſcatur) quòd deciſio, determinatio, & diſcuſſio dictæ Bullæ, & articulorum in ea contentorum, remittantur ad proximum futurum generale Concilium Eccleſiæ vniuerſalis, vel Eccleſiæ Gallicanæ; & quòd Fratres Mendicantes promittant non vti interim dicta Bulla, & quòd in ea contenta non publicabunt, aut prædicabunt, nec dogmatiſabunt publicè, vel occultè. Quo facto, placet Vniuerſitati eos cum humilitate venientes, recipere in gremium ſuum, vt priùs, juxta tenorem ſtatutorum, & juramentorum ipſius Vniuerſitatis: habita etiam ſecuritate valida ſub ſigillis Prouincialium, & Generalium ſuorum, infra tempus competens eiſdem limitandum, pro ſe, & ſuis Ordinibus, quòd præmiſſa inuiolabiliter obſeruabunt. Et caſu, quo ante hujuſmodi diſcuſſionem Concilij, aliquis dictorum Mendicantium contrarium fecerit præmiſſorum, publicando videlicet, prædicando, vel dogmatiſando dictam Bullam, ſi ſuus Prior, Guardianus, Prouincialis, aut Generalis non punierit infra menſem à tempore hujuſmodi exceſſus noti, vel intimati, ex tunc menſe elapſo, totus Ordo ipſius excedentis priuatus manſerit ipſo facto; quouſque talis ſic delinquens, vel tranſgrediens debitè punitus fuerit.

Ad quam concluſionem condeſcendere noluerunt prædicti Fratres Mendicantes. Quare ad prædictam venerabilem Curiam regij Parlamenti recurrerunt: quam iterùm, vt priùs, declinauit Vniuerſitas: ſuper quo ſuum appunctuamentum in hac materia dando, prædicta venerabilis Curia

Digitized by Google

Curia omnia in ſtatu, remiſit ad ſequens Parlamentum, poſt feſtum videlicet beatiſſimi Martini hyemalis proximè venturum, partes iterum ad concordiam, & pacem hortando, & admonendo.

3°. In Rectoria Magiſtri Nicolai Bertoul.

Poſt varias, multiplicéſque, atque repetitas ſæpe nominatæ Vniuerſitatis almæ, de tranſmittendis ad ſanctam Apoſtolicam Sedem, & regiam celſitudinem Oratoribus pro dicto facto Mendicantium, & ceteris multis ipſam Vniuerſitatem concernentibus, deliberationes, & concluſiones, ob pecuniarum defectum, & alia motiua retardatas: poſt ipſorum Religioſorum Mendicantium, pro ſingulis ſuis Ordinibus, coram ſolenniſſimis Vniuerſitatis deputatis, bina vice comparationem, & eorumdem pro ſua reintegratione, ac vnione ſupplicationem: poſt varia, & quamplurima ampliſſima pacis media, per præfatos deputatos ipſis Mendicantibus oblata, cum charitatiuis multùm & fraternis exhortationibus, ab eiſdem indurato quamplurimùm corde recuſata; pro vlteriori contra eos prouiſione, majoríque ipſorum Mendicantium ad pacem contractione, & incitatione, nouitatúmque per ſuam Bullam, cujus priuati extiterunt, prætenſarum repreſſione, dicto tempore Rectoriæ præſentis, vltrà prout ſequitur, elaboratum eſt. Ex conſilio nempe, & aduiſamento deputatorum, & conſequenter ipſius Vniuerſitatis matura deliberatione, adiit Rector cum deputatis, & ſolenni Proponente reuerentiam reuerendiſſimi in Chriſto Patris D. Epiſcopi Pariſienſis: ibíque per dictum Proponentem aſſumpto verbo Dei, & deducto, requiſiuit ipſum reuerendum in Chriſto Patrem, quatenus dignaretur conuocare ſuum Clerum, tam exemptos, quàm non exemptos, ad audiendum ſupplicationem dictæ Vniuerſitatis inclytiſſimæ, in materia prætacta Mendicantium. Quod pro ſua benignitate libens, & cum diligentia multa fecit idem reuerendiſſ. Pater. Coram igitur ipſo Reuerendiſſ. Patre & Dominis multis Clerum hujus inclytiſſimæ vrbis in numero copioſo repræſentantibus, idem Rector, vt dictum eſt,

Digitized by Google

& deputati per ſolennem Proponentem aſſumpto, vt tractatum eſt, & deducto verbo Dei quæſierunt ipſius Reuerend. in Chriſto Patris, & D. D. præfatorum Clerum repræſentantium adjunctionem in dictæ materiæ Mendicantium proſecutione, & deductione. Quæ per nonnullos, & præſertim hujus præfatæ ciuitatis Curatos pleniſſimè ex tunc conceſſa eſt, & donata, aliis inducias deliberatorias quærentibus. Omnes tamen poſt paucos dies dictam adjunctionem dederunt: quemadmodum etiam plurimi alij poſtea ſe adjunxerunt quantùm ad impediendum vſum, dogmatiſationem, & publicationem dictæ Bullæ. Aduiſatumque eſt extunc, quòd deputati dictæ Vniuerſitatis de cetero conuenirent cum deputatis Cleri, viſuri de mediis pacis, & vlteriori modo procedendi in negotio. Quibus omnibus in Vniuerſitate relatis, regratiata eſt quamplurimùm eidem Reuerendiſſ. Patri, pro ſuis laboribus in ſui Cleri conuocatione; eidem, & ſuo Clero de ſua benigna adjunctione; Rectori, & deputatis pro pœnis, & diligentiis aſſumptis in dictæ adjunctionis proſecutione: placuítque ipſi Vniuerſitati, quòd ſui deputati, & tunc, & aliàs nominati conuenirent cum deputatis Cleri, materiam tractaturi, ſi inueniri poſſet ſaluus etiam recurſus ad proceſſum vlteriorem, vbi pax haberi non poterit. Ad hanc pacem, per ipſum Reuerendiſſ. Patrem, multis poſtea conuentionibus elaboratum: quæ durante dicta Rectoria haberi non potuit, quanquam de eadem ſpes non modica foret. Tandem poſt hos labores ſupplicauit dictus Rector haberi gratus reconnuſſus, & acta ſua rata, grata, & aduoata: cujus ſupplicatio pleniſſimè conceſſa eſt. Reſcripſit ſuper hac materia Cardinalis Auenionenſis, exhortando quòd apud ſuam Reuerendiſſimam Paternitatem tranſmitteretur vnus de Vniuerſitate, cum poteſtate plenaria ad componendum pacem: quem ſic mittere nondum decreuit ipſa Vniuerſitas, ſed voluit primitùs pacem per ſuos deputatos cum deputatis Cleri juxtà ſæpiùs concluſa, ſi poſſibile fuerit, tractari: ſi fruſtra, tunc deliberabit. Decreuit tamen ipſi Reuerend. Patri reſcribere regratiando, & excuſando; ſingulíſque Prælatis, & ceteris de Clero regni, ac

Digitized by Google

partium regno vicinarum, pro adjunctione habenda per deputatos aduiſanda, ſcripto ſupplicare. Hæc principalia acta præſentis Rectoriæ. Sic ſignatum N. Bertoul.

4°. In Rectoria Magiſtri Ludouici Scamilieghe.

Multiplicibus conuocationibus, & congregationibus habitis inter ſolennes deputatos almæ Vniuerſitatis Pariſienſis, & nonnullos Fratres quatuor Ordinum Mendicantium, ſuper quadam Bulla ſcandaloſa, pacis, & concordiæ ſubuerſiua, & Ordinis hierarchici Eccleſiæ, ac ſubreptitia: propter quam prædicti Fratres à gremio Vniuerſitatis antedictæ reſecati fuerunt, tandem interpellationibus, ac interlocutionibus illuſtris Principis Conneſtabularij Franciæ, nec non reuerend. in Chriſto Patrum, ac Dominorum Archiepiſc. Rhemenſis, & Epiſc. Pariſ. habita eſt concordia in modum qui ſequitur.

In nomine Domini: Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd anno ab Incarnatione ejuſdem 1456. 7. indict. 5. die verò 18. menſis Februarij Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Calixti, diuina prouidentia Papæ III. ann. 2. alma Vniuerſitate ſtudij Pariſ. apud ſanctum Bernardum ſolenniter congregata, aſtantibus ibidem quampluribus ſacræ Theologiæ, & Decretorum Doctoribus, in Medicina & in Artibus magiſtris, ſingularúmque Facultatum & Nationum Decanis, & Procuratoribus, venerabili, & ſcientifico viro magiſtro Ludouico Scamilieghe dictæ Vniuerſitatis Rectore & Præſidente, & exponente quòd prædictam Vniuerſitatem congregari fecerat ſuper duobus articulis. Quorum articulorum primus erat ad audiendum aliqua proponenda per illuſtrem Principem Dominum Arthurum de Britannia Comitem Richemundiæ, & Franciæ Conneſtabularium, necnon Reuerend. in Chriſto Patrem Ioannem Iuuenalem Archiepiſcopum Rhemenſem, primum Franciæ parem, & Reuerend. in Chriſto Patrem Dominum Guillelmum Quadrigarij Epiſcopum Pariſienſem, ſuper certa controuerſia orta inter præfatam Vniuerſitatem, & Dominos Religioſos quatuor Ordinum Mendicantium, occaſione cujuſdam

Digitized by Google

Bullæ per dictos Religioſos impetratæ: ſubuerſiuæ, vt ferebatur, ſtatus Ordinis hierarchici, pacis & vnionis inter Religioſos, & Seculares quondam factæ, & juratæ eneruatiuæ, in manibus præfati Reuerendiſſ. Epiſcopi Pariſienſis ad requeſtam ipſius Vniuerſitatis arreſtatæ. Secundus articulus erat ſuper ſupplicationibus, & injuriis. Quibus articulis per dictum Dominum Rectorem in medium poſitis; veniendo ergo ad primi articuli declarationem, expoſuit tunc Rector, quòd præfati Domini Conneſtabularius, Archiepiſcopus Rhemenſis, & Epiſcopus Pariſ. erant in Eccleſia dicti loci ſancti Bernardi, & quòd ob reuerentiam ipſorum bonum eſſet, & honeſtum quòd aliqui ex Dominis Doctoribus irent eis obuiam: quo dicto deliberato ita factum eſt. Tunc illico, & incontinenti præfati Dominus Conneſtabularius, & alij aſſociati pluribus Baronibus, militibus ſcutiferis, nobilibus, & aliis perſonis intrauerunt locum capitularem, in quo præfata congregatio tenebatur. Et ipſis ſedentibus in conſpectu Domini Rectoris, præfatur Dominus Conneſtabularius dirigendo ſermonem ſuum primò ad ipſum Dominum Rectorem, deinde ad totam Vniuerſitatem honorificè, & reuerenter; præſentibus ibidem etiam Dominis Religioſis Mendicantibus quatuor Ordinum prædictorum in copioſo numero. Verbis Gallicis expoſuit, quòd præfati Religioſi ad ſuam præſentiam, pluribus & iteratis vicibus acceſſerant, eidem ſupplicando, quatenus vices ſuas impendere vellet ad media pacis tractanda inter ipſos Religioſos, & Vniuerſitatem Pariſienſem præfatam. Dicens vlteriùs quòd, quia boni Principis eſt laborare ad ea, quæ pacis ſunt, ipſe & præfati Domini aſſiſtentes modos, & vias, per quas concordiæ & pacis fœdera, & vnio haberentur membrorum ad caput, ſcilicet Religioſorum Mendicantium ad Vniuerſitatem eorum matrem, quæ dulciſſimo ſcientiæ lacte eos nutriuit, & melle virtutum eos pauit, juribus Vniuerſitatis inconcuſsè manentibus, aduiſauerunt. Qui modi dictarum pacis & concordiæ, de mandato præfati Principis, per organum viri litterati magiſtri Guillelmi Papyri, Domini noſtri Regis Conſiliarij prudenter, eleganter, & bono ordine, in

Digitized by Google

conſpectu dictæ Vniuerſitatis propalati fuerunt, & publicati, præſentibus dictorum Ordinum Fratribus expreſsè conſentibus in hunc modum. Ad ſopiendas lites jam diù motas, & moueri ſperatas, Reuerendi Patres quatuor Ordinum Mendicantium ceſſabunt ab vſu Bullæ præfatæ, quæ incipit *Nicolaus* &c. Conſeruabitur dicta Bulla in manibus Epiſcopi Pariſienſis, de communi conſenſu partium, ceſſantibúſque proceſſibus quibuſcunque, cum humilitate redibunt & manebunt dicti Fratres in gratia Vniuerſitatis, ſicut erant ante iſtam controuerſiam. Et habita Bulla Domini Calixti Papæ moderni, reuocatoria dictæ Bullæ, cujus copia aliàs coram Vniuerſitate publicata extitit, quæ incipit *ad perpetuam rei memoriam, Nicolaus* &c. promittent ex nunc, vt pro & ex tunc dicti Mendicantes ſtare illi Bullæ, & obtemperare ſecundùm amplitudinem ſuæ continentiæ. Quo dicto, ex parte Dominorum Religioſorum Mendicantium ſupplicauit venerabilis, & religioſus vir magiſter Ioannes Brehal, Prior Conuentus Pariſienſis de Ordine Prædicatorum, ſub idiomate materno loquendo in hunc modum. *Preſupposé premierement les concluſions priſes & proposées par Monſeigneur le Conneſtable chy preſent, Nous vous requerons, & ſupplions tres-humblement, tant que faire poons, qu'à celles requeſtes & concluſions, vous plaiſe obtemperer à nous receuoir comme vos ſuppoſts & membres.* Quibus ſic deductis, & peractis, prælibatus Dominus Rector omnia & ſingula præmiſſa in omnium & ſingulorum Decanorum, Doctorum, Procuratorum, & Magiſtrorum ibidem exiſtentium, deliberatione retractanda poſuit: & Facultatibus ad loca, vbi in arduiſſimis negotiis deliberare conſueuerant, ire juſſis, & deliberationibus dictarum Facultatum per quarumlibet Facultatum & Nationum Decanum, & Procuratorem repetitis, per præfatum Rectorem adunatis, & concluſis; ipſe Dominus Rector eloquentem, & eximium Doctorem, Magiſtrúmque, Ioannem de Oliua, in Sacra Pagina Profeſſorem requiſiuit, quatenus vellet pro, & nomine Vniuerſitatis præfato Domino Conneſtabulario, & aliis Dominis ſecum adſtantibus, concluſa per almam Vniuerſitatem referre in idio-

mate materno, & congruo, eo quòd ipſe Dominus Rector de patria Flandriæ oriundus extitit. Qui de Oliua juſſibus & mandatis præfati Domini Rectoris, velut obedientiæ filius, obtemperans, onus hujuſmodi delationis futuræ in ſe aſſumpſit. Et illico illuſtris Dominus Conneſtabularius cum Dominis Prælatis, ſecum adductis præfatis Dominis Religioſis, præfatam Congregationem iteratò adiit; qui prorupit in hæc verba, *Meſſieurs ie vous remaine ces bons Religieux, vous ſuppoſts, qui n'eſtoient pas bien aduiſez quand ils ont fait leur ſupplication, & pourtant ie vous les remaine mieux aduiſez:* eo quòd præfatus Brehal in ſua ſupplicatione pro parte dictorum Religioſorum facta, ſatis elatè, vt videbatur, prima facie locutus fuerat, nec eidem Vniuerſitati ſua grata fuerat requeſta, ſiue ſupplicatio. Quibus ſic per præfatum illuſtrem Principem dictis & expoſitis; venerabilis & circunſpectus vir, magiſter Nicolaus, Prior Conuentus Pariſ. Auguſtinenſ. in Theologia Magiſter, pro parte prælibatorum Religioſorum ſupplicuit, ſic inquiens, dirigendo ſermonem ſuum Domino Rectori præfato & Vniuerſitati. Nos humiles & deuoti filij venimus ad vos, tanquam ad matrem pueri, humillimè ſupplicaturi, quatenus dignemini nos, tanquam filios, in ſinu veſtræ pietatis recipere, & in veſtro cœtu dignemini, & charitatiuè, & cum beneuolentia reuenire, & parati ſumus omnia juſſa per vos concluſa, prompto & parato animo pro viribus adimplere. Qua ſupplicatione facta, præfatus illuſtris Dominus multùm reuerenter, & cum magno cordis affectu dixit: *Ie vous prie, mes bons Seigneurs, qu'en faueur de moy & de ces Seigneurs chy preſents, & pour le bien du Païs, que vous plaiſe de les receuoir comme vous ſuppoſts, & les traitez amiablement comme deuant.* Quo facto Reuerendus Magiſter præmiſſâ plurimùm eloquenter ſolenni regratiatione ad ipſos excelſum Principem, & Reuerendiſſimos Prælatos nobiles ſuper zelo, & affectione beneuolis, laboribúſque ſuis ad pacem & vnionem inſtantem cum alma matre Vniuerſitate zelatrice pacis & concordiæ, ſuper materia præſente, concluſa per matrem Vniuerſitatem, cum decenti & polita verborum affluentia,

Digitized by Google

nihil de neceſſariis penitus omittendo, præfatis Dominis aperuit, & reſerauit, prout ſequitur. Illuſtris Princeps, alma mater Vniuerſitas deliberauit & concluſit, vultque & ſibi placet, ob reuerentiam præſentiæ veſtræ excelſæ nobilitatis, ac Dominorum Reuerendiſſimorum aſſiſtentium, vt Mendicantes renuntient appellationi interjectæ, & omnibus inde ſecutis. Placet inſuper quod ampliùs non vtantur Bulla exiſtente in manibus præfati Epiſcopi, ſicut eſt. Et quòd vnus pro omnibus juratus de Ordine Mendicantium pro ſua reintegratione habeat ſupplicare, & habeant Mendicantes antedicti obedire Bullæ reuocatoriæ, & ratificari per ſuos Generales infra annum. Item jurabunt quòd nunquam impetrabunt Bullas ſimiles: alioquin ex tunc, prout ex nunc reincident in ſimiles priuationes, & pœnas. Quam concluſionem ſic publicatam in præſentia dictorum illuſtris Principis, & Reuerendiſſimorum Prælatorum, & nobilium perſonarum, aſſiſtentiúmque Religioſorum pro partibus ſingulorum Ordinum, ipſi Religioſi, videlicet Magiſter Ioannes de Vernon Carmelita, & aliorum vnuſquiſque pro ſuo Ordine, ſcilicet Magiſter Stephanus Moreau pro Auguſtinenſibus, Magiſter Thomas Veret pro Prædicatoribus, Magiſter Petrus de Groſſis pro Minoribus, omnes in Theologia Magiſtri, multíque alij Licentiati, Baccalarij formati, & alij de dictis Ordinibus acceptauerunt ſic tenere inuiolabiliter, ac ſeruare, & adimplere promiſerunt, & ſolenniter manu ad pectus impoſita jurauerunt dictam concluſionem Vniuerſitatis quoad ſingula puncta, & humiliter admitti ſupplicarunt. Quibus juramentis emiſſis, ob reuerentiam tantorum Principis, & Prælatorum, dicti Fratres humiliter ſupplicantes de, & pro quolibet Ordine ſigillatim, inſtantibus multùm honeſtè dictis Principe, & Prælatis, ad gremium Vniuerſitatis matris recepti ſunt, & illico ſederunt in Facultate Theologiæ ſecundùm ſuas antiquitates. Acta fuerunt hæc Pariſiis ſub anno, die, menſe, loco, & Pontif. prædictis; præſentibus ad hæc vener. & ſcientif. viris Dominis & Magiſtris Guillelmo Emerardi, Thoma de Courcelles in Theologia, Martino de Fraxinis, Petro Maugier Decreto-

rum Doctoribus, Guillelmo de Camere, Odone de Credulo in Medecinis, Radulpho de Baruesse, Iacobo Bernardi, Gaufrido Normani, Andræa Veſſelin, Clemente Parmentarij, Ioanne Amici, Alberto Scriptoris, quatuor Nationum prædictarum in Artibus Magiſtris, & quampluribus aliis Doctoribus & Magiſtris, aliiſque perſonis fide dignis ad præmiſſa vocatis. Sic ſignatum, L. SCAMILIEGHE.

Hæc extracta collata fuere, & recognita per me Scribam almæ Vniuerſitatis Pariſienſis ſubſignatum, Pariſiis, anno Domini M. DC. XLV. die 16. menſis Auguſti.

Signé, QVINTAINE. *Auec paraphe.*

§. 9.

Vtilitas, & æquitas Confeſſionis paſchalis proprio Parocho faciendæ.

4°. NITITVR quoque doctrina noſtra æquitate, & vtilitate. Æquitate quidem: Cùm enim nullum jus habeant Regulares circa Parochianos alicujus Eccleſiæ, ſi contingat eos lege aliqua Parochis ſuis deuinciri, non habent quod conquerantur de illis. Nec ipſi fideles conqueri poſſunt, ſi lege aliqua ad confitendum peccata ſua propriis Parochis, ſaltem ſemel in anno tempore Paſchatis obligentur. Plurimùm enim id juuat ad diſciplinam, & ad honorem totius Eccleſiæ, paſtoralis dignitatis, plebiſque fidelis ſpiritale bonum. Igitur cùm priuilegia, æquitate præſertim metiri oporteat; nulla ratio ſubeſt, cur pro illo priuilegio nobis dicam intentent Regulares, legémque de confeſſione annua nonniſi Parochis facienda, abrogari velint, aut populos ad inobedientiam concitent.

Hujus autem legis vtilitatem multis rationibus comprobat, & illuſtrat ſanctus Bonauentura, tract. ſuperiùs citato, dum cauſas obligationis ad confeſſionem annuam proprio Parocho faciendam has profert: *Quòd verò,* inquit, *ſemel in anno quilibet confiteatur proprio Sacerdoti omnia peccata ſua, his de cauſis ſtatutum eſt. Primò vt Paſtor cognoſcat oues, in quo ſtatu quilibet commiſſus ſibi ſit: vt ſciat & medicinam competentem*

tentem exhibere inſtructionis, correctionis, conſolationis. Háncque primam rationem, ductam ex neceſſitate agnoſcendarum ouium, etiam per ſacramentalem Confeſſionem, probant Innocentius IV. Bulla *Etſi animarum*, citata: Concilium Friſingenſe ſub Eugenio IV. Tit. *De pœnitentiis & remiſſionibus.* Quibus conformis eſt interpretatio iſtorum verborum, *Agnoſce vultum pecoris*, Prouerb. 27. data à Salonio, Beda, Hugone, Carenſi, & aliis in iſtum locum.

2°. *Vt noſcat quibus poſſit Chriſti corpus indulgere, & quos à Sacramentis arcere.* Quæ ratio præſertim viget pro præſenti tempore in Gallia; vbi, cùm notorios peccatores à ſacra menſa, propter ſecularem poteſtatem inualeſcentem, nonniſi adhibita omni cautione, arcere oporteat, vt vitetur ſcandalum; & cùm multa ſint crimina publica, imo & notoria, quæ propter reorum potentiam probari non poſſunt; quo caſu tanquam calumniator malè habebitur Curatus Sacramentum Euchariſtiæ publico peccatori denegans: conſultiſſimum proinde eſt, vt apud eos confeſſio fieri debeat, quibus Sacramentum Communionis diſtribuendi onus impoſitum; quatenus & minori ſcandalo expulſio criminoſorum à ſacra menſa fiat, & occaſio tribuatur Curatis vt per ſe, vel alios ſibi ſubjectos, procurent illos à ſacra Euchariſtia potiùs abſtinere, quàm turpiter, & cum infamia, quam inultam fortaſſe Magiſtratus ſecularis non feret, ejici.

3°. *Ne per longam incuriam multorum conſcientiæ in peccato ſordeſcant, expedit vt aliquando ſe expurgent: ipſe enim pudor confitendi pleroſque à peccato deterret* &c. Certè queritur Innocentius IV. Bulla toties citata, ex eo quòd non cogantur vnquam propriis Sacerdotibus Parochiani confiteri, priuari obedientiæ, & erubeſcentiæ fructibus, qui ex confeſſione facta proprio Sacerdoti majores oriri ſolent.

4°. *Vt diſcernantur obedientes à negligentibus, vel hæreticis per obſeruantiam talis ſtatuti: quomodo autem diſcernentur, niſi ſinguli ad ſuam Eccleſiam pro confeſſione conueniant? Non enim apparebit quis confeſſionis annuæ præceptum neglexerit, ſi pro libito vnuſquiſque apud quem voluerit, confiteri poſſit.* Et hæc ratio maximè valet in Gallia. Nam in Italia, vbi ſinguli ab eo, apud

Digitized by Google

quem peccata confeſſi ſunt, ſiue Seculari, ſiue Regulari ſchedulam confeſſionis auditæ indicem accipere debent: hoc remedio cauetur, ne quis præceptum iſtud adimplere negligat. In Gallia verò, vbi id in vſu non eſt, & difficilè in vſum id induci poſſet, retinendum eſt illud, quod nondum inoleuit, vt ſcilicet vnuſquiſque apud ſuam Parochiam confiteatur, qũatenus qui illud præceptum neglexerit, notari poſſit: prouideatúrque, ne, qui non confeſſus eſt, ad Sacramentum Euchariſtiæ accedat Nec moleſtius erit ei, qui apud Regularem confiteri voluerit, licentiam accipere à Parocho, qui ſibi ſubditum, ſi opus ſit, hortari, & delectum ab eo Confeſſarium commonefacere poſſit eorum, quæ ad Parochiani ſui ſpiritalem vtilitatem ſpectant, quàm ſi ſchedulam confeſſionis factæ teſtem dare teneretur.

Addo ego vnum, ſcilicet, & mandata Epiſcoporum, & Parochorum cenſuras contemptui fore, ſi proprium poſſit vnuſquiſque ſibi in Paſchate Confeſſarium eligere. Omnia enim jam ad problema reducuntur à Confeſſariis, præſertim Regularibus. Quare ſi poteſt quiſquis quos indulgentiores credit, eligere, certè quicquid ordinabit Epiſcopus, aut Parochus præcipiet, ſubtilitate Confeſſariorum eludetur; nulláque erit lex epiſcopalis, nullum Parochi conſilium, mandatúmque, quod Confeſſarij illi Regulares non detorqueant. Iacobus de Vitriaco hiſtoriæ Hieroſol. cap. 74. corruptos exinde mores Latinorum in Terra ſancta, corruptámque diſciplinam ſcribit: *Adeo*, inquit, *iniquorum* (de Regularibus loquitur) *& deteriùs affectorum præualuit iniquitas, quòd frequenter à Prælatis interdictos, & anathematis vinculo nominatim, & ſpecialiter innodatos, ipſi ad diuina recipere non timebant; & qui cum gaudentibus gaudere, & cum flentibus flere debuerunt, aliis lugentibus, ſoli lætabantur. Et propter hoc Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigore eneruato Seculares, & peſtilentes homines Prælatorum ſuorum ſententias, & ſpiritualis gladij juſtitiam terribilem vilipendentes contemnebant. Abbates enim, Priores, & Monachi eorum mercenarij, & miſerabiles Capellani timore Domini projecto, falcem ſuam in meſſem alienam mittere non formidabant, clandeſtinis matrimoniis perſonas illegiti-*

Digitized by Google

mas, vel legitimas copulantes; infirmos cauſa cupiditatis, non pietatis, viſitantes, & eiſdem, contradicentibus propriis Paſtoribus, Sacramenta miniſtrantes; ligantes & ſoluentes contra Deum, & ſanctorum Canonum ſtatuta animas, quarum cura ad ipſos non pertinebat: cùm tamen dicat Apoſtolus, Tu quis es qui judicas ſeruum alienum? &c.

Tutiùs itaque eſt confugere ad proprios Paſtores, præſertim in Paſchate: ádque id ipſum Regulares, ſi bene ſint cordati, hortari debent fideles quoſque, juxta mentem Synodi diœceſanæ Cremonenſis I. ſub Cæſare Speciano, Tit. Quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent: *Hortamur*, inquit, *omnes, & ſingulos Confeſſarios, vt in tempore paſchatis Reſurrectionis pœnitentes ad proprios Parochos remittant, ab eis abſoluendos: quò propriÿ Paſtoris vocem audientes perfectiùs corrigantur. Etenim plebs, quæ præpoſitos ſuos ſtudet audire, Deum ſequetur, & per Deum hominem peruenict ad ſalutem.*

Quòd ſi quis ob rationes legitimas optet in Paſchate confiteri alij à Parocho, id faciat ex licentia Parochi; & non cuiuis confiteatur, ſed ei qui ſpecialem habebit poteſtatem confitendi intra hoc tempus, juxta Synodum Italicam diœceſis Rauennatis, præſide Cardinali Aldobrandino, Tit. *De pœnit.* num. 24. *Cuicunque verò*, inquit, *per nos licebit pœnitentes omnes (modo in ſuam Parochiam etiam in tranſitu venerint) ab admiſſis peccatis liberare, caueat, ne id efficiat proximo paſchali tempore, quod ab initio Quadrageſimæ incipere declaramus. Tunc enim volumus vnumquemque adire ſuam Parochiam, ſeu alium à nobis delegatum.* Ex quo ſaluberrimo Decreto colligimus generalem audiendarum confeſſionum licentiam non ſufficere; vbi de præcepto annuæ confeſſionis adimplendo agitur, ſed ad Parochum tunc temporis pœnitentem remittendum, vel ad ſpecialiter delegatum: ſimiliter nec generalem à Summo Pontifice conceſſam licentiam Regularibus ad audiendas Secularium confeſſiones ſufficere, ſed ſpecialem licentiam requiri, vt ad eos tunc temporis accedatur, cùm de obſeruatione præcepti annuæ confeſſionis agitur. Attendant autem continuò Paſtores, ſeu parentes ſpiritales

Digitized by Google

quibus nutricibus filios ſuos alendos tradant, vt loquitur Damaſus.

Quiſquis hæc animo bene affecto legerit, dolebit ſanè plebem tantis bonis priuari; nec mirabitur quòd Gallia tota Regularium priuilegiis tam acriter reſtiterit, quòd Vniuerſitas Pariſienſis, Clerúſque omnis Gallicanus reclamarint. Quibus enim cura ſalutis animarum imponitur, ad eos ſpectat ſedulò inuigilare, diligentérque exquirere modos ipſius obtinendæ. Tantùm verò abeſt vt tutiùs per iſta priuilegia ſaluti plebis conſulatur, quin immo præter inſtitutum à Chriſto ordinem, Paſtores, ad quos pertinet regimen animarum, quibus diſtrictè Chriſtus mandauit, vt cognoſcant oues ſuas, impediuntur ne oues curent, & paſcant: neque opus erit circuire aduerſarium tanquam leonem rugientem, quærentem quem deuoret; ſed vndequaque patebit ipſi aditus; ſiquidem ouis priuilegium habet excurrendi, & ſubducendi ſe impune à regimine Paſtoris. Ne itaque Regulares, vt ſolent, aures Summorum Pontificum fatigent, vt priuilegia extorqueant; ſed inter ceteros Leonem vnum audiant, epiſt. 105. ad Iulianum Coenſem Epiſcopum: *Major*, inquit, *apud te ſit vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus ſaluberrima olim & vera ordinatione munitus, quàm vt in cujuſquam gratiam à me velis poſtulare, quæ ſine reatu vtriuſque noſtrûm, nec mihi concedere, nec tibi liceat obtinere.*

§. 10.

Poteſtas Epiſcoporum ad conſtituendam legem Confeſſionis paſchalis Parocho faciendæ.

5°. IIs ſuppoſitis alia ratio adſtruendæ prædictæ obligationis accedit; ſcilicet, non ita videri arctatam Epiſcoporum poteſtatem per Regularium priuilegia, quin iis ſtantibus, & reliquo anni tempore vigentibus, ſtatuere poſſint, vt paſchali imminente Communione, ad ſolos Parochos, vel alios de eorum licentia, accedatur. Nam quemadmodum rectè argumentatur Gloſſa verbo *à jure* prope finem, in Extrauag. *Super Cathedram, de ſepulturis*, inter com-

munes: *Illa, quæ ſunt de bene eſſe, & accidentalia non debent mutare poteſtatem Epiſcoporum, quæ eſt ſubſtantialis, fundamentalis, & ordinaria.* Nota cap. *Per hoc de hæreticis. in 6.* cap. *De priuilegiis patentibus.* cap. *ad audientiam, 1° de Eccleſiis ædificandis vel reparandis: Et aliàs contingeret multa jura vno verbo ſubuerti, quod eſſe non debet.* cap. *Eccleſia veſtra. 2. de electione & Electi poteſtate.* Quòd ſi poſſit Epiſcopus ſibi caſus aliquos ex jure reſeruando (de hoc enim ibi agitur) per accidens priuilegia Regularium reſtringere; quidni & poſſit eadem indirectè coarctare, tempus aliquod ſibi, vel Parochis reſeruando, & Parochianos certa pro iſto tempore obligatione conſtringendo? Nam Epiſcopus auctoritate pollet ea ſtatuendi, quæ ſaluti ſuorum Parochianorum vtilia viſa fuerint; Parochiani tenentur legem Epiſcopi ſeruare, ſi vtilis ſit, & honeſta. Vtile autem & honeſtum eſſe oſtendimus, quòd ad confeſſionem proprio Parocho faciendam, obligentur. Nec idcirco priuilegia à Summis Pontificibus conceſſa exinde euacuantur omnino, aut inutilia redduntur, ſed per accidens tantùm coarctantur, vi auctoritatis illius Epiſcopalis, ad cujus deſtructionem non eſt erecta Papalis poteſtas.

§. II.

Concluſio Articuli.

DENIQVE eò fauorabilior videtur eſſe prædicta Galliæ conſuetudo, quò jam priuilegiorum conceſſorum Regularibus minor in Eccleſia Gallicana videtur eſſe neceſſitas. Si enim ceſſante cauſa priuilegiorum, ipſa quoque vel ceſſare, vel ſaltem infirmari conuenit; quatenus iuri communi, & Parochorum dignitati præjudicium inferunt, ex jure paſſim: jam certè vix obtinere debent hæc priuilegia: nam cauſa priuilegiorum Regularibus conceſſorum, vt fusè explicat ſanctus Bonauentura in tractatu toties citato, & habetur Extrauag. *Sedes Apoſtolica.* §. *Singulorum, de officio delegati* inter communes, hæc fuit, quòd Curati vt plurimùm non eſſent ita docti, vt Religioſi. Quæ certè cauſa in Gallia hocce tempore ceſſare videtur. Nam in Galliæ ciuitatibus,

Digitized by Google

in quibus præſertim Regulares audiunt confeſſiones, docti omnes ferè ſunt Curati, abſit verbo injuria, cùm Regularibus Confeſſariis non ſolùm comparandi, ſed & præferendi. In agris etiam docti apud nos plures; ac ſi qui indocti, eorum ibi labores ſupplere non ambiunt Regulares, vt experimento conſtat.

Quòd ſi quæ in contrarium Eminentiſſimorum Romanæ Eccleſiæ Cardinalium declarationes proferantur: ex conſuetudine minùs laudabili Italiæ profectæ ſunt; ex qua factum eſt, vt in Italia Parochiæ deſertæ ferè, & abolitæ videantur, nec eum, quem in Gallia habent, ſplendorem retinuerint. Illæ proinde declarationes, neque pacta, & conuentiones, quas ignorarunt purpurati Patres; neque conſuetudinem Galliarum, quam perſpectam non habuerunt; neque jura, quæ in perpetuo vſu apud nos fuerunt, vllatenus perimere poſſunt. Satagendum itaque ſupereſt Cardinalibus illis non vigentem in Gallia Parochiarum ſplendorem extinguere, ſed potiùs in Italia extinctum ſuſcitare.

ARTICVLVS VI.

CVM Pœnitentiæ Sacramentum vnum ſit ex præcipuis, quæ in Eccleſia inſtituta ſunt: delectus eorum qui huic miniſterio operam dabunt, ad Epiſcopos præſertim ſpectare debet, qui immediatè à Deo ligandi, & ſoluendi poteſtatem acceperunt. Quapropter nemo temerè præſumat hoc defungi munere, niſi ex licentia ſcripta, data ab Epiſcopo diœceſano, vel generali ejus Vicario. Nec Religioſi, quocunque allato prætextu, confeſſiones excipere poterunt, niſi examen ſubierint, & ab ipſo, ejúſve Vicario generali fuerint approbati; ex quorum voluntate pendebit ipſis permittere,

Digitized by Google

vel ad tempus confeſſiones audire, vel in perpetuum, vel adhibita quacunque reſtrictione, quam idoneam judicabunt. Talis autem approbatio gratis concedetur.

Commentarius ad Articulum ſextum.

HOc articulo probaturi ſumus Regulares, vt in confeſſione abſoluere poſſint, ab Epiſcopo debere approbari: ita vt abſque Epiſcopi approbatione, irrita ſit præſumpta ab iis, ſeu tentata abſolutio.

§. I.

Presbyteris data per Apoſtolos peccatorum remittendorum poteſtas.

CHristvs Dominus abſolutionis ſacramentalis Miniſtros conſtituens Apoſtolos, Ioannis 20. cap. dixit: *Pax vobis: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* In cujus collatione poteſtatis, notandum eſt. 1°, ſolos Apoſtolos deſcribi miſſos, nimirum eadem illa poteſtate, qua Chriſtus miſſus eſt à Patre; ſcilicet, vt quemadmodum Chriſtus Apoſtolos miſit, ita & ipſi 70. Diſcipulos inferioris ordinis mittant. 2°. Per inſufflationem Chriſti Spiritum ſanctum dari Apoſtolis, id eſt gratiam, ſeu chariſma, & vim diuinam remittendi peccata: itémque gratiam excitantem, & adjuuantem ad fungendum laudabiliter hoc diuino officio. Datæ ſunt autem iſtæ gratiæ inſufflationis viſibili ſigno, tum vt adumbraretur Spiritus ſanctus, tum vt monerentur Apoſtoli transfundendum pariter ſibi eundem Spiritum in Preſbyteros, 70. nempe Chriſti Diſcipulos; vt olim transfuſio prudentiæ, atque auctoritatis in ſeniores 72. facta fuerat ab ipſo Moyſe, qui illos ſibi adjutores in regimine ſub ſe conſtituerat. Dicitur enim Deus num. 11. auferens de Spiritu, qui erat in Moyſe, illis 70. viris tradidiſſe: quæ certè figura erat tranſmiſſionis Spi-

Digitized by Google

ritus ab Apoſtolis, ſeu Epiſcopis, ad 70. Diſcipulos, ſeu Preſbyteros: nam Apoſtolis, Epiſcopi; 70. Diſcipulis, Preſbyteri ſucceſſerunt: maximè verò, & principaliter Parochi; qui ab Antiſtitibus poteſtatem accipiunt ordinariam; à quibus tantùm delegatam ſumunt Regulares, & ad ſubſidium duntaxat. quæ doctrina eſt ipſa doctrina Patrum. Cyprianus ſiquidem epiſt. 73. cap. 2. hanc tradit his verbis: *Et poſt reſurrectionem quoque ad Apoſtolos loquitur Chriſtus dicens: Sicut miſit me Pater & ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet, inſpirauit: & ait illis: Accipite Spiritum ſanctum: Si cujus remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cujus retinueritis, tenebuntur. vnde intelligimus, nonniſi in Eccleſia præpoſitis, & in Euangelica lege, ac Dominica ordinatione fundatis licere baptiſare, & remiſſam peccatorum dare: foris autem nec ligari aliquid poſſe, nec ſolui: vbi non ſit qui ligare poſſit aliquid, aut ſoluere. Nec hoc, Frater chariſſime, ſine Scripturæ diuinæ auctoritate proponimus, vt dicamus certa lege, ac propria ordinatione diuinitùs cuncta eſſe diſpoſita, nec poſſe quemquam contra Epiſcopos, & Sacerdotes vſurpare ſibi aliquid, quod non ſit ſui juris & poteſtatis. Nam & Chore & Dathan & Abiron, contra Moyſem, & Aaron Sacerdotem ſacrificandi ſibi licentiam vſurpare conati ſunt; nec tamen quod illicitè auſi ſunt, impunè fecerunt.* Nota à Cypriano, loco Ioannis citato, ſolis Apoſtolis remittendi peccata, & retinendi poteſtatem datam demonſtrari; inferríque exinde ſolis præpoſitis Eccleſiæ, & in Euangelica lege, ac Dominica ordinatione fundatis licere baptiſare, & remiſſam peccatorum dare. Primi autem ordinis præpoſitos in Euangelica lege, & Dominica ordinatione fundatos nullos eſſe, præter Epiſcopos: & ſecundi ordinis nullos, præter Parochos conſtat. Nec enim Regulares, aut ſubſidiarij vlli vnquam à Chriſto inſtituti ſunt, ſed Paſtores duntaxat. Iis ergo ſolùm abſoluendi poteſtatem conuenire intendebat Cyprianus, cujus tempore nulli erant Preſbyteri, niſi Eccleſiis adſcripti, ſecundùm Canones Apoſtolorum. Et ab Eccleſiæ præpoſitis, id eſt ab Epiſcopis, Clero, & populo præfectis, auctoritatem remittendi peccata deriuari contendit; itaut inſtar Chore, Dathan, & Abiron puniri deceat, qui ſacrorum Officium, ſine

Digitized by Google

ſine eorum auctoritate vſurpant. Confirmat Firmilianus, Capadociæ Epiſcopus epiſt. 75. ad eundem inter Cyprianicas: *Et iterum in Euangelio, quando in ſolos Apoſtolos inſufflauit Chriſtus, dicens: Accipite Spiritum ſanctum: Si cujus remiſeritis peccata, remittentur illi; & ſi cujus tenueritis, tenebuntur. Poteſtas ergo peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſiis, quas illi à Chriſto miſſi conſtituerunt; & Epiſcopis, qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt. Hoſtes autem vnius Catholicæ Eccleſiæ, in qua nos ſumus, & aduerſarij noſtri, qui Apoſtolis ſucceſſimus, ſacerdotia ſibi illicita contra nos vendicantes, & altaria prophana ponentes, quid aliud ſunt quàm Chore, & Dathan, & Abiron, pari ſcelere ſacrilegi, & eaſdem quas & illi pœnas daturi cum his, qui ſibi conſentiunt, ſecundùm quod etiam tunc illorum participes, & fautores pariter cùm eis perierunt?* Circa quem locum obſerua 1° poteſtatem remittendorum peccatorum Apoſtolis datam dici, & Epiſcopis, qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt. 2°. datam Eccleſiis, quas illi à Chriſto miſſi conſtituerunt; non quòd ſingula Eccleſiæ membra hac poteſtate fruantur; ſed quòd ſingularum Eccleſiarum capita, Epiſcopis ſubordinatam poteſtatem habeant remittendorum peccatorum. Vnde, qui Epiſcopis reſiſtunt, & injuſſu Epiſcoporum hanc ſibi poteſtatem arrogant, tanquam Chore, Dathan & Abiron, puniendi declarantur. Ambroſius in cap. 24. Lucæ: *Etiam Lucas*, inquit, *Diſcipulos credidiſſe profitetur: Spiritum autem ſanctum, vel illis vndecim quaſi perfectioribus inſufflauit; & reliquis poſtea tribuendum eſſe promittit; vel iiſdem ibi inſufflauit, hîc ſpondet: nec videtur eſſe contrarium, cùm diuiſiones gratiarum ſint* &c. *Ergo aliam inſufflauit ibi operationem, hîc aliam pollicetur: ibi enim remittendorum gratia tributa eſt peccatorum: quod eſſe videtur anguſtius; & ideo inſufflatur à Chriſto* &c. Ex quibus verbis collige Ambroſium, licèt in omnes, poſt Aſcenſionem Chriſti die feſto Pentecoſtes, etiam inferioris ordinis Diſcipulos, inſufflatum Spiritum ſanctum agnoſcat; non tamen velle ad eandem operationem, ad quam in Apoſtolos vndecim, ante Aſcenſionem per inſufflationem datus eſt Spiritus ſanctus; puta ad peccatorum remiſſionem: quam ſolùm,

Digitized by Google

ideo vndecim Apoſtolis, non 70. Diſcipulis datam eſſe conteſtatur; quia ſolis Apoſtolis, & Epiſcopis, qui ipſis ſucceſſerunt; vtpote perfectioribus, auguſtior, & principalis poteſtas abſoluendi à peccatis data eſt; Preſbyteris autem, non niſi inferior, miniſterialis, & inſtrumentalis: atque adeo ex inſtitutione Chriſti, Preſbyteri ſunt veluti inſtrumenta Epiſcoporum, à quibus, ad abſoluendum à peccatis deſtinantur, deputantur, approbantur. Egregia comparatione id explicat Chryſoſtomus ſermone 50. de vtilitate Scripturæ, tomo 5. vbi de Apoſtolica auctoritate, cui Epiſcopalis ſucceſſit, hæc habet: *Neque verò tantùm principatus eſt ceterarum dignitatum Apoſtolatus, ſed etiam radix, & fundamentum: & quemadmodum caput in ſublimiori loco ſitum, non modò principatus eſt corporis, atque dominatus; ſed etiam radix: ſiquidem nerui, qui corpus regunt, oriuntur ex illo, & ex ejus cerebro nati, ac ſpiritus largitione ditati, deinde totum animal moderantur: ſic Apoſtolatus, non modò tanquam principatus præ ceteris donis eminet; ſed omnium quoque radices apud ſe comprehenſas retinet & amplectitur.* Gregorius quoque homil. 26. in Euangel. de Apoſtolis ita diſſerit: *Illi Diſcipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ ſunt perducti. Ecce non ſolùm de ſemetipſis ſecuri fiunt; ſed etiam alienæ obligationis, poteſtatem relaxationis accipiunt; principatúmque ſuperni judicij ſortiuntur, vt vice Dei, quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent. Sic ſic eos à Deo decebat erigi, qui tantùm pro Deo conſenſerant humiliari. Ecce qui diſtrictum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt: & alios damnant, vel liberant, qui ſemetipſos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent: ligandi, atque ſoluendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor, ſed graue pondus iſtius eſt honoris.*

Digitized by Google

§. 2.

Poteſtas peccatorum remittendorum Epiſcopis præcipuè, Presbyteris dependenter ab ipſis data.

CHRYSOLOGVS ſerm. 84. Apoſtolatus gloriam vocat peccatorum remittendorum poteſtatem: quam tamen omnibus Sacerdotibus à Deo conceſſam aſſerit, vel quòd nomen Sacerdotum pro Epiſcopis ſolis ſumat, vſitata olim acceptione; vel quòd Preſbyteros etiam intelligat omnes, qui Apoſtolorum, ſeu Epiſcoporum judicio, ad ea remittenda probati fuerint: quorum proinde poteſtas Apoſtolorum, ſeu Epiſcoporum ſit gloria.

Plura ex Conſtitutionibus Apoſtolicis argumenta ſuppetunt; quibus demonſtrari poteſt, in exercitio prædictæ poteſtatis Epiſcopum Principem fuiſſe; Presbyteros autem, qui ad eam functionem deſtinarentur, ordinarios Paſtores, ſiue cum Epiſcopo in ciuitatibus, ſiue ſub Epiſcopo in vicis, fuiſſe, deſtinationémque eorum ab Epiſcopo originem habuiſſe. Nam lib. 8. Apoſtoli ita loquentes referuntur: *Epiſcopis quidem aſſignauimus, & attribuimus quæ ad principatum Sacerdotij pertinent: Presbyteris verò, quæ ad Sacerdotium; deinde Diaconis quæ ad miniſtrandum vtriſque; vt purè, & caſtè fiant, quæ ad religionem pertinent. Neque enim fas eſt Diacono ſacrificium offerre, aut baptiſare, aut benedictionem, ſiue paruam, ſiue magnam facere, neque Presbytero ordinationes facere.* Canones Apoſtolorum habentur in fine ejuſdem lib. 8. Ex canone autem eorum 11. & 28. colligitur Epiſcopos omnes, & Presbyteros ordinarios Paſtores fuiſſe, qui Parochiam haberent, à qua migrare eis non liceret, præter voluntatem, & ſententiam Epiſcopi. Nam ſicut Epiſcopus, ita & Presbyter prohibetur fieri niſi miniſterium, & curam populi ſuſcipiat can. 35. apud Heruetum: can. verò 38. in verſione ejuſdem ſancitum eſt, *Vt Presbyteri, aut Diaconi, niſi volente Epiſcopo, nihil efficiant: Ipſe enim eſt cui populus Domini creditus eſt, à quo ratio ipſarum animarum repoſcenda eſt.* In quo canone duo ſunt notanda. Primum, Presbyteros, niſi volente

Digitized by Google

Epiſcopo, nihil tunc temporis efficere ſolitos: quod ſuprà ex Ignatio, Conciliis Arelatenſi 1. Laodiceno, Carthaginenſi, Toletano, & aliis demonſtratum eſt. Quibus adde Clementem Romanum epiſt. 3. Concilium Tribunienſe can. 32. Alterum, ſingulariter de Epiſcopo dici populum Domini ei eſſe commiſſum; & rationem animarum ab eo repoſcendam. Si enim populus ei concreditus eſt ad ſalutem, certè eum poteſt abſoluere; & ſi ſingulariter eſt concreditus, ſingularem ipſius abſoluendi poteſtatem, & generalem ſollicitudinem habet, quod oſtendit etiam alia ratio, quòd ab Epiſcopo Deus rationem animarum repetat. Accedit 43. c. *Epiſcopus, aut Presbyter, qui reuertentem à peccato non recipit, ſed rejicit, deponendus ſtatuitur.* Compertum igitur eſt Epiſcopi, & Presbyteri eſſe à peccato reuertentes recipere, Deóque & Eccleſiæ reconciliare. Auctoritatis Epiſcopi in abſolutione peccatoris teſtimonia ſunt plurima. Apud Cyprianum epiſt. 9. ad Clerum, ſic habetur: *Quòd* enim *non periculum metuere debemus de offenſa Domini: quando aliqui de Presbyteris, nec Euangelij, nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omnino ſub anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia & contemptu præpoſiti, totum ſibi vendicent: atque vtinam, non proſtrata Fratrum noſtrorum ſalute, ſibi omnia vendicarent, contumeliam Epiſcopatus noſtri diſſimulare, ac ferre poſſem, ſicut diſſimulaui ſemper, & pertuli; ſed diſſimulandi nunc locus non eſt; quando decipiatur Fraternitas noſtra à quibuſdam veſtrûm: qui dum ſine ratione reſtituendæ ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, magis lapſis obſunt.* Et paulò poſt: *Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus communicationis accipiant; nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeuerante, nondum reſtitutâ Eccleſiæ ipſius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur, cùm ſcriptum ſit, qui ederit panem aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Do-*

Digitized by Google

mini. Idem inculcat epiſt.12. *Audio tamen quoſdam de Presbyteris nec Euangelij memores, nec quid ad nos Martyres ſcripſerint cogitantes, nec Epiſcopo honorem Sacerdotij ſui, & Cathedræ reſeruantes, jam cum lapſis communicare cœpiſſe, & offerre pro illis, & Euchariſtiam dare; quando oporteat, ad hæc per ordinem peruenire. Nam cùm in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur juſto tempore, & exomologeſis fiat, inſpectâ vitâ ejus, qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi priùs illi ab Epiſcopo, & Clero manus fuerit impoſita: quando magis in his grauiſſimis, & extremis delictis cautè omnia, & moderatè ſecundùm diſciplinam Domini obſeruari oportet: quod quidem noſtros Presbyteri & Diaconi monere debuerant, vt commendatas ſibi oues fouerent, & diuino Magiſterio ad viam deprecandæ ſalutis inſtruerent.* Denique, ne plura alia, quæ ab eo alibi conſignata ſunt, referam; idem ſanctus Doctor epiſt. 28. ad Clerum, Gaium Diddenſem Presbyterum, ſcilicet Diddæ oppidi Parochum excommunicauit, quòd lapſos, inconſulto Epiſcopo, reconciliaſſet, necnon ipſius Diaconum, quòd lapſis communicaſſet, & obtuliſſet oblationes eorum, ita reconciliatorum. Ex quo proinde liquidò conſtat, abſque ſententia Epiſcopi lapſos ad pœnitentiam, & reconciliationem non fuiſſe admiſſos. Fundamentum autem iſtius auctoritatis, idem Cyprianus, epiſtola præcedenti ad lapſos nobis exhibet: *Dominus noſter, cujus præcepta metuere, & obſeruare debemus, Epiſcopi honorem, & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens, in Euangelio loquitur, & dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: & tibi dabo claues regni Cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque ſolueris ſuper terram erunt ſoluta & in cælis. Inde per temporum, & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, vt Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur.*

Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, vbi Epiſcopatus dignitatem ex profeſſo extollit, vt patet ex lib. 1. cap. 3. & ſequentibus; Epiſcopis officium purgandi animæ ſordes,

Digitized by Google

hominéſque cum Deo reconciliandi, & ex infenſo nobis beneuolum, ac facilem reddendi, attribuit, eóque titulo inter ceteros, promotionem ad Epiſcopatum ſe fugiſſe, narrat: eo vt opinor tempore, quo jam Presbyter Antiochenus erat: vt exinde animaduertas officium iſtud abſoluendi à peccatis, Epiſcopis ſingulariter fuiſſe commiſſum. Plura alia ex Patribus erui ſimiliter poſſunt, quæ omnia proſequi, immenſum eſt. Mittimus quoque ea omnia quæ de pœnitentiis publicis dici poſſunt: quarum imponendarum curam, & officium ad Epiſcopum pertinere, & publicæ reconciliationis peragendæ munus, totámque Sacramenti ſummam ad Epiſcopos ſpectare, vt vel per ſeipſos adminiſtrent omnia, vel per Presbyteros à ſe delectos, certiſſimum eſt ex Concilio Eliberitano vetuſtiſſimo, inferiùs citando; Gregorio Nyſſeno epiſt. canonica ad Letoium, Innocentio I. epiſt. 1. ad Decentium cap. 7. Carthaginenſi 2. c. 3. Carthaginenſi 3. c. 31. inferiùs explicandis, Damaſo epiſt. 5. de Chorepiſcopis, Auguſtino lib. 50. Homiliarum, hom. 27. cap. 3. homil. 41. & apertiùs 50. cap. 3. Agathenſi Concilio c. 44. Leone magno epiſt. 88. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, Hiſpalenſi 2. Concilio c. 7. libro 5. Capitular. c. 3. lib. 7. cap. 3. cap. 18. cap. 143. & in additione Ludouici cap. 50. Concilio Regiaticino ſub Leone IV. Iſaaco Lingonenſi, tit. 1. c. 7. & alibi paſſim. Quia tamen reis omnibus audiendis Epiſcopi non ſufficiebant; ideo & Presbyteros pœnitentiarios leguntur conſtituiſſe ſub Decio, qui pœnitentiis publicis præſcribendis præeſſent: qui cùm ſublati fuiſſent, regnante Theodoſio Imperatore, & Nectario Patriarcha Conſtantinopolit. ſedente, demùm reſtitutos tradit Balſamon in canonem 103. Concilij Trullani.

Ex iis aliqua tantùm ſeligo, quibus patebit ad Epiſcopos pertinuiſſe abſoluere à peccatis grauioribus in reconciliatione publica.

Digitized by Google

§. 3.

Grauiorum peccatorum remittendorum poteſtas penes Epiſcopos.

CONCILIVM Eliberitanum c. 32. plurima ad præſentem quæſtionem illuſtrandam valde neceſſaria paucis verbis complectitur: *Si quis graui lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pænitentiam non debere ſine Epiſcopi conſultu; ſed potiùs apud Epiſcopum agat: cogente tamen infirmitate non eſt Presbyterorum, aut Diaconorum communionem talibus præſtare debere, niſi eis juſſerit Epiſcopus.* In quo canone, ſecundùm editionem veterem mendum eſſe ſuſpicor, quòd verba iſta cum præcedentibus verbis connectat, quo pacto nullum legitimum ſenſum faciunt, ac proinde cum ſequentibus conjungi debent, quemadmodum habetur in altera editione noua, quam Garſias Loayſa primus in lucem edidit; cujus canonis ita reſtituti, ſenſus erit; abſque neceſſitatis articulo, ad Epiſcopos pro obtinenda Eccleſiaſtica communione lapſis duntaxat eſſe accedendum: infirmitate verò vrgente, ad Sacerdotes, vel Diaconos; Sacerdotes quidem, qui abſoluendo à peccatis, eorum maculam extergunt; Diaconos verò, qui licèt à peccatis abſoluere nequeant, duo tamen poſſunt: vnum cenſuras Eccleſiaſticas relaxare, & Eccleſiaſticæ communioni reſtituere pœnitentes; alterum, vbi non adeſt copia Confeſſarij Presbyteri, obſeruatis quibuſdam ſignis contritionis, poſtquam ad perfectam contritionem excitauerint peccatorem, ſi tempus adfuerit, & occaſio, ſacram Euchariſtiam, (quæ communionis Eccleſiaſticæ complementum eſt, & perfectio) in eo caſu tribuere poſſunt: qui ſenſus per verba iſta editionis nouæ allati canonis eruitur: *Si quis graui lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pænitentiam non debere ſine Epiſcopi conſultu; ſed potiùs apud Epiſcopum agat: cogente tamen infirmitate, non eſt Presbyterorum, aut Diaconorum communionem talibus præſtare debere, niſi eis juſſerit Epiſcopus.* Diſciplinæ autem accurata & ſeuera obſeruatio in eo canone apparet, quòd ſecundùm

Digitized by Google

vtramque earum editionum, Epiſcopi juſſio, mandatum, approbatio, ſiue in genere, ſiue in ſpecie requiſita ſint, vt etiam cogente infirmitate, vrgente ſcilicet mortis periculo, ægroto conſuleretur: tantùm abeſt, vt nulla neceſſitate vrgente æquum Patribus Concilij videretur, quòd abſolutio à peccatis, per non approbatum Presbyterum tribueretur.

Concilium Carthaginenſe nomine ſecundum, circa tempora Celeſtini Papæ, c. 3. *Fortunatus Epiſcopus dixit, ſi jubet ſanctitas veſtra, ſuggero. Nam memini præterito Concilio fuiſſe ſtatutum, vt chriſma vel reconciliatio pænitentium à Presbyteris non fiat* &c. *Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt; chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio à Presbyteris non fiant; vel reconciliare quemquam in publica Miſſa, Presbytero non licere, hoc omnibus placet.* Ex quo canone infert Balſamon ſcholiis in eum canonem malè facere ſacratos Monachos; multò magis autem Seculares, qui ſine Epiſcopali permiſſione, hominum confeſſiones excipiunt. Quod confirmat Zonaras, quia Epiſcopis ligandi & ſoluendi poteſtas à Chriſto permiſſa eſt: quod vtique recta ratione infertur, ſaltem de pœnitentiis publicis, quibus obnoxij, in publica Miſſa reconciliabantur: atque ideo reconciliatio Presbyteris denegabatur, quibus ſolennis Epiſcopi functio nequaquam erat conceſſa, ſed tantùm priuata abſque ſolennitate, idque conſultu Epiſcopi. Atque ita conciliantur Zonaras, & Balſamon, quorum primus ex prædicto canone, licèt ſubdubitanter, negat Presbyteris licere in Miſſa, ſcilicet ſolenniter, reconciliare pœnitentem: alter negat licere confeſſiones peccatorum etiam priuatas audire, ſcilicet abſque Epiſcopi licentia. Canone verò 4. Aurelius Epiſcopus dixit: *Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari diuinis Altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet vtique Presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare: quam rem debemus ſalubri conſilio corroborare. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: placet quòd Sanctitas veſtra neceſſariò nos inſtruere dignata eſt.* Quo vtique canone etiam periclitantem abſoluturus Presbyter Epiſcopum conſulere jubetur:

Digitized by Google

betur, vt quanta ſit Epiſcopi ad abſoluendum pœnitentem neceſſitas, oſtendatur. Vnde Balſamon: *Ex præſenti,* inquit, *canone euidenter oſtenditur, non licere Sacerdotibus hominum confeſſiones audire, & peccata remittere ſine epiſcopali permiſſione* &c. *Quia,* addit paulò poſt Balſamon, *Epiſcopus obtinet locum Apoſtoli, & accepit à Deo poteſtatem ligandi & ſoluendi.* Idem antea Zonaras docuerat, *Monachos quoque, qui hoc;* id eſt ſuo, *tempore confeſſiones excipiunt, niſi Epiſcopo concedente faciant; neque ligandi, neque ſoluendi vllam facultatem habere. Sacris enim Apoſtolis ea poteſtas à Chriſto data: In Apoſtolorum porrò locum ſummi Sacerdotes ſubſtituti atque ſuffecti ſunt.* Rectiſſimè verò prædictus Balſamon inferebat, ſi nec præſenti periculo, pœnitentis reconciliationem (quam malè extremam vocat) dat Sacerdos, abſque epiſcopali permiſſione; multò magis, nec ſani confeſſionem eum recipere debere. Dixi extremam malè nominari eam reconciliationem, quam Presbyteris denegari interpretatur. Nam ipſe fatetur imminente morte, etiam abſque interrogatione Epiſcopi, dandam eſſe reconciliationem à Sacerdote, ſecundùm canonem 46. Synodi Carthaginenſis; quo Presbyteris conceditur, vt impellente neceſſitate, ſumma videlicet & extrema, quando vrget mors, pœnitentem liceat reconciliare & Deo & Eccleſiæ. Quamobrem conſentientibus tam Zonara, quàm Balſamone, (quantumuis apud vtrumque non eadem ſit lectio vltimorum verborum canonis) neceſſitate, quæ non ſit extrema, vrgente, etiamſi ſit periculum mortis, interrogandus eſt Epiſcopus præſens, an ægrotantem, & periclitantem publico peccato irretitum, ad reconciliationem à Presbytero velit abſolui. Si verò vel mors immineat ante reſponſionem Epiſcopi, vel abſens ſit Epiſcopus, vt reſponſio ejus ſperari non poſſit, debeat Presbyter, quemadmodum habetur in Concilio Africano c. 10. & in codice canonum Carthaginenſium can. 43. apud Binium (qui apud citatos auctores eſt 46. Synodi Carthaginenſis) *abſentiæ Epiſcopi neceſſitate cogente,* etiam de peccato damnatum pœnitentem abſoluere. Addit verò Balſamon in c. 7. Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum cenſuiſſe, non concurrentibus

Digitized by Google

officia presbyteralia, quæ tamen de licentia fieri debent Epiſcopi, numerat *pœnitentem reconciliare*, quod ſine præceptione Epiſcopi fieri negat: quæ reconciliatio pœnitentis, intelligitur de reconciliatione ſacramentali & priuata, vt à reconciliatione publica diſtinguatur, quæ eſt epiſcopalis. Conficere verò Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, plebem exhortari *&c.* Inter ea numerat, quæ *præſente Epiſcopo, niſi illo jubente*, fieri non debent. Vnde colligitur publicam & ſolennem abſolutionem, vt pontificalem Epiſcopo reſeruatam fuiſſe; priuatam autem reconciliationem nonniſi de licentia Epiſcopi, & præceptione ipſius fieri debuiſſe.

Hanc officiorum diſtinctionem explicat clariùs & dilucidiùs ſanctus Leo epiſt. 88. ad Epiſcopos Germaniarum, & Galliarum; ex quo canonem 7. Concilij Hiſpalenſis ſecundi Patres ad verbum excerpſerunt, eáque de Chorepiſcopis ſtatuerunt: *Quamuis cum Epiſcopis plurima illis myſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam nouellis & eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita nouerint, ſicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac Virginum conſecratio: ſicut conſtitutio altaris, benedictio, vel vnctio. Siquidem nec licere eis Eccleſiam, vel altaria conſecrare, nec per impoſitionem manus fidelibus baptiſandis, vel conuerſis ex hæreſi paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptiſatorum frontem ſignare; ſed nec publicè quidem in Miſſa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere: hæc omnia illicita eſſe Presbyteris, vel Chorepiſcopis, quia Pontificatus apicem non habent, quod ſolis debere Epiſcopis, auctoritate canonum præcipitur, vt per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium Summi Pontificis demonſtretur. Sed neque coram Epiſcopo licere Presbyteris in baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite infantem tingere aut ſignare, nec pœnitentes ſine præcepto Epiſcopi ſui reconciliare: nec eo præſente Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere, nec eo coram poſito, populum docere vel benedicere, aut ſalutare, nec plebem vtique exhortari, quæ omnia eis à Sede Apoſtolica prohibita eſſe noſcuntur.*

Patet ergo tempore Damaſi, Leonis, & Concilij Hiſpalenſis 2. vſu fuiſſe jam tum receptum ab Eccleſia, vt ad admi-

Digitized by Google

niſtrandum pœnitentiæ Sacramentum, etiam cùm priuatim & ſecretè confeſſio fieret, Epiſcopi licentia, & approbatio requireretur.

Sanctus Gregorius lib. 2. in Ezechielem hom. 22. præter Superiores Sacerdotes: *Qui templum Dei cuſtodiunt, id eſt, qui orando, prædicando, ſpiritualibus actibus vigilando, ſanctam Eccleſiam à malignorum ſpirituum immiſſionibus, à prauorum ſuaſionibus, ab hæreticorum erroribus defendunt*, alios ſtatuit, *minoris ordinis Sacerdotes, qui ad miniſterium altaris excubant, qui videlicet in adjutorio majorum, peccata delinquentium ſubtiliter inueſtigant, & vitam carnalium corrigunt, atque ad hoc vſque perducunt, vt per lamenta pœnitentiæ quaſi incendant carnem in ſacrificio, quam priùs viuere permiſerant in peccato. Non enim hi qui ſanctis Eccleſiis præſunt per ſemetipſos cuncta agere præualent; ſed dum ipſi cauſis ſpiritalibus occupantur, ſi qua praua, aut carnalia perpetrantur, hæc aliis diſcutienda, atque corrigenda committunt: per quos dum carnalis vita corrigitur & vſque ad abſtinentiæ, atque orationis ſtudium à proficientibus peruenitur, quaſi in altari jam caro incenditur, vt in conſpectu omnipotentis Domini inde ſacrificium redoleat, vnde priùs culpa diſplicebat.* In qua comparatione perſiſtens paulò poſt hæc habet, *quia Sacerdotes majoris ordinis, qui excubant in cuſtodiis templi, ſolam meridianam viam reſpiciunt, quoniam ſolis ſtudiis ſpiritalibus occupati, ſemper his, quæ amoris Dei ſunt, ſollicitè intendunt: Sacerdotes autem minoris ordinis, qui diſcutiendis peccatis delinquentium præſunt, etiam ad Aquilonis viam oculos reducunt.*

Circa quem locum Gregorij duo nota: 1^m^ cùm jam iſtius Summi Pontificis tempore confeſſio priuata frequentior eſſe cœpiſſet, quæ antea publica ſæpius erat, quamuis non ſolennis; ideo tunc ſecundi ordinis Sacerdotes ad confeſſiones audiendas committi ſolitos fuiſſe. Committi, inquam, conſueuiſſe ab his, *qui ſanctis Eccleſiis præſunt*, quia, *per ſemetipſos cuncta agere non præualent, & ideo dum ipſi cauſis ſpiritualibus occupantur, ſi qua praua, aut carnalia perpetrantur, hæc aliis diſcutienda, atque corrigenda committunt.* Alterum, primi ordinis Sacerdotes ſtudiis ſpiritualibus, & ſollicitudine Ec-

Digitized by Google

cleſiarum quotidiana occupatos fuiſſe. Carnalia autem peccata vocantur, quibus examinandis & corrigendis Preſbyteri committebantur, quia fiunt ad ſuaſionem carnis contra normam ſpiritus.

Concilium Regiaticinum, ſub Leone IV. cap. 6. duo Epiſcopis circa confeſſiones priuatas tribuit: puta delectum Confeſſariorum; & ſollicitudinem, atque intendentiam ſupra ſingulos ipſorum: *Sollicitè*, inquit, *procurent Epiſcopi, quam diligentiam erga plebem ſibi commiſſam, vnuſquiſque Preſbyterorum gerat: Oportet enim vt plebium Archipresbyteri, per ſingulos vnumquemque Patrem familias conueniant, quatenus tam ipſi, quàm omnes in eorum domibus commorantes, qui publicè crimina perpetrarunt, publicè pœniteant; qui verò occultè deliquerunt, illis confiteantur, quos Epiſcopi, & plebium Archipresbyteri idoneos ad ſecretiora vulnera mentium medicos elegerint; qui ſi forſan in aliquo dubitauerint, Epiſcoporum ſuorum non diſſimulent implorare ſententiam* &c. Nihil his verbis clarius: nam diſertè habent non liberum fuiſſe vnicuique, etiam ſecretè, pro libito cui vellet confiteri; ſed illis tantùm, quos Epiſcopi, & plebium Archipreſbyteri, id eſt Curati, idoneos miniſtros delegiſſent. Quibus verbis approbatio Epiſcopi, ſeu judicium de idoneitate, &, vt ita loquar, de captu Confeſſariorum, & delectus, ſeu electio eorundem expreſsè ſignificantur: quibus quidem duobus integra approbatio continetur. Epiſcopali autem approbationi conjungitur approbatio Archipreſbyteri, ſeu Curati: quia non ſolebat Epiſcopus approbare quemquam ad confeſſiones Secularium audiendas, niſi in aliqua Parochia, & cum conſenſu ejuſdem Parochi. qui mos etiamnum hodie ſeruatur.

Concilium Meldenſe ſub Carolo Caluo c. 44. eidem conſuetudini patrocinatur: nam de Chorepiſcopo ſtatuit: *Impoſitioni autem pœnitentiæ, aut pœnitentium reconciliationi per Parochiam, ſecundùm mandatum Epiſcopi ſui inſeruiat.* Si Chorepiſcopo majoris inter Preſbyteros, vel ſupra Preſbyteros dignitatis, mandatum Epiſcopi, ſeu approbationem, & licentiam neceſſariam cenſuit Concilium Meldenſe; quantò magis Preſbytero paſtoralem curam minimè gerenti? Accedit

Vrbanus II. apud Gratianum diſt. 6. de pœnitentia: *Placuit*, inquit, *vt deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti ad pænitentiam ſuſcipere, ſine ejus conſenſu, cui priùs ſe commiſit; niſi pro ignorantia illius, cui pænitens priùs confeſſus eſt: qui verò contra hac ſtatuta facere tentauerit, gradus ſui periculo ſubjacebit.* Nec verbum *deinceps* moleſtiam nobis faceſſit: quamuis imprudenter aliqui ex eo inferant ante Vrbanum II. licuiſſe vnicuique, pro libito & arbitrio ſuo, Confeſſarium eligere; ſed præcedentes canones eam interpretationem non ferunt. Quod enim ſtatuiſſe dicitur Vrbanus II. vt deinceps nullus Parochianum alterius abſolueret, dici poteſt renouatio eſſe veteris moris in aliqua regione debilitati, & renouatio præcedentium legum, non initium nouæ conſuetudinis aut legis: quaſi primùm ab eo ſtatutum ſit, vt ſuo Sacerdoti vnuſquiſque ſua peccata confiteretur. Nam præterquam quòd contrarium obſeruatum fuiſſe ex præcedentibus innoteſcit, reperio idipſum, quod Vrbanus II. decreuit, iiſdem verbis in Synodo Hybernenſi ſub Leone III. antea ſtatutum fuiſſe. Similiter Capitularium Caroli Magni lib. 7. c. 49. illud ipſum, licèt aliis verbis, jubetur: *Nullus Sacerdos in alterius ciuitate, vel diæceſi pænitentem, vel ſub manu poſitum Sacerdotis, vel qui reconciliatum ſe eſſe dixerit, ſine conſenſu & litteris Epiſcopi, vel Presbyteri, in Parochia Presbyter, aut Epiſcopus in ciuitate ſuſcipiat.* Quibus verbis habetur mentio duplicis conſenſus: Epiſcopi per litteras; qui quidem eſt approbatio ad confeſſiones audiendas: & conſenſus Parochi; qui, niſi licentiam dederit Epiſcopus, expreſsâ perſonæ mentione factâ, quæ abſoluenda ſit, aut Parochiæ in qua abſoluendi poteſtatem tradat, approbationi Epiſcopi conjungendus erit. Iſaac quoque Lingonenſis anterior Vrbano II. qui nempe ſedit ſub Carolo Caluo, & memoratur à Lupo Ferrarienſi epiſt. 81. *ad Amulonem Archiepiſcopum Lugdunenſem*; de cujus ordinatione verba facit Hincmarus Rhemenſis, alloquens Remigium Archiepiſcopum Lugdunenſem, qui pariter interfuit Synodo Sueſſionenſi ann. 866. Pontigonenſi ann. 876. Trecenſi ann. 878. Ille, inquam, citatum canonem ex Capitularibus Caroli,

Digitized by Google

Tit. 1. *de pœnitentibus*, cap. 33. exſcripſit, & inter ſuos ſtatuit. Gregorius etiam VII. anterior Vrbano II. in Concilio Romano can. 7. *Nullus Presbyter*, inquit, *Parochianum alterius recipiat, niſi per neceſſitatem in Baptiſmo, & in abſolutione. Et ſi quid charitatiuè ſibi oblatum fuerit, ex conſenſu illius, cujus Parochianus fuerat, habeat, vel reddat.* Nota Gregorium VII. ſupponere tanquam morem, vt nullus Presbyter alterius Parochianum abſoluat; ſupponere quoque vt veterem conſuetudinem, *oblationes Confeſſariis* factas in Eccleſia, in qua quis confiteri debebat: pro quibus quidem colligendis lis à Monachis olim Eccleſiarum Patronis intentata fuit, circa tempora Vrbani II. vel Paſchalis II. teſte Gaufrido Vindocinenſi libro 3. epiſt. 40. quam litem compoſitam poſtea fuiſſe arbitrio, & auctoritate Innocentij, conſtat epiſtola ad Fromundum Gaufridi ſucceſſorem, pridie Idus Ianuar. ann. 1136. relatâ à Sirmondo in Notis ad epiſt. citatam Gaufridi. Fundamentum etiam, quo ipſi nituntur, canon ſcilicet primus relatus à Gratiano *de pœnitentia*, diſtinct. 6. ſumptus ex Auguſtino libro *de vera & falſa pœnitentia*, cap. 10. nullius videtur eſſe momenti: Primò quia non eſt ſancti Auguſtini, vt ex eo videre eſt, quod auctor cap. 17. ejuſdem referat ſententiam Auguſtini ex homilia 41. inter 50. & ab ea diſſentiat. Secundò, quia licèt eſſet ſancti Auguſtini, non tamen laxam iſtam electionem Confeſſarij probaret, aut vnicuique poteſtatem faceret, etiam ex non approbatis Preſbyteris, aut de approbatis in aliena Parochia, pro ſuo eligendi arbitrio; ſed tantùm ex approbatis aliquem, qui vel ab Epiſcopo, vel à Parocho ſufficientem licentiam habeat, accedentes audiendi, vel generalem in toto Epiſcopatu poteſtatem; qualis Epiſcopus ipſe, Vicarius generalis, aut aliquis alius expreſsè deſtinatus. Nec ampliùs probant verba iſta, quæ ex eo proferuntur: *Qui vult confiteri peccata vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem ſcientem ligare, & ſoluere; ne cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam ſtultus euitare noluit.* Rectè Gloſſa in eum canonem; *quærenti cui ſit confeſſio facienda & quali; Facienda*, inquit, *eſt Sacer-*

Digitized by Google

doti, ſi fieri poteſt, & ſuo, ſi tamen fuerit intra Eccleſiam, qui ſciat ſoluere, & ligare. Aliàs enim ex juſta cauſa cuicunque eſt facienda, & etiam laico, ſi vrgeat neceſſitas, eodem titiulo c. 1. & c. *Placuit eadem diſtinctione*, & c. *Quem pænitet, diſtinctione 1.* Extra neceſſitatem itaque quærendus Presbyter proprius, qui habeat poteſtatem ligandi, & ſoluendi : quam quidem poteſtatem Presbyter nullus habet, niſi approbatus à præpoſitis. Vide Gloſſam in eundem canonem verbo *quærat:* Audiamus autem verum Auguſtinum epiſt. 168. *Quaſi*, inquit, *ad me pertineat cura propria, niſi Hipponenſis Eccleſiæ : in aliis enim ciuitatibus tantum agimus, quoad Eccleſiam Dei pertinet, quantum vel permittunt, vel nobis imponunt earumdem ciuitatum Epiſcopi fratres, vt conſacerdotes noſtri.* Si non licet ex ſententia Auguſtini, Epiſcopo quidquam agere in alterius diœceſis Eccleſia, ſine licentia proprij Epiſcopi; certè nemo dicat ſine licentia ejuſdem cuiuis Presbytero licere confeſſiones audire, & abſoluere.

§. 5.

Neceſſitas approbationis ad Confeſſiones audiendas demonſtratur ad tempora vſque Mendicantium, & ſequentia.

APPROBATIONIS neceſſitatem ſtatuit jamdiù Herardus Turonenſis, ſub Carolo Caluo inter Capitula edita ann. 858. cap. 59. *Presbyteri*, inquit, *de occultis viſione Epiſcopi pænitentes reconcilient : &, ſicut ſuprà præmiſimus, infirmantes abſoluant, & communicent.* Concilium Placentinum ſub Vrbano II. c. 2. *Item, vt nullus Presbyter aliquem ad pænitentiam reciperet, niſi cui proprius Epiſcopus hanc curam commiſiſſet.* Iuo Carnotenſis Antiſtes, Gualterio reſpondens ad relationem ſibi factam de Epiſcopo Lemouicenſi, qui in Synodo agens interdixerat omnibus Regularibus Clericis & regimen Parochiarum, & confeſſionem pœnitentium; vbi ſe hanc prohibitionem minimè probaſſe ſignificauit, vtpote aliquo forſitan liuore Canonici ordinis factam : attamen ei obediendum cenſet, & quid ſuo tempore vſitatum, quid ſecundùm Canones obſeruandum eſſet, declarat his verbis: *Si*

Si qui ergo ſunt in collegio veſtro viri prudentes, & maturi, & igne tentationum examinati, quibus hoc onus imponi velitis, eos deducite ante præſentiam Epiſcopi, vt ab eo curas animarum ſuſcipiant; ſine cujus arbitrio, ſi meminiſtis, ſecundùm canonicas Sanctiones, nec criminales pœnitentias quilibet Presbyter poteſt injungere, nec peractâ pœnitentiâ, pœnitentes ſacris altaribus reconciliare. Sic enim facientes, & epiſcopali reuerentiæ quod ſuum eſt deferetis, & Canonicæ inſtitutionis nulla diſpendia facietis; qui ideo Canonici appellati eſtis, quòd canonicas regulas vos velle obſeruare ceteris arctiùs deuouiſtis. Clara ſunt hæc verba, *ſine Epiſcopi arbitrio, ſecundùm canonicas Sanctiones, nec criminales pœnitentias quemlibet Presbyterum poſſe injungere; nec, peracta pœnitentia, pœnitentes ſacris altaribus reconciliare.* Cenſuit igitur Iuo Carnotenſis, vir Iuris Canonici peritiſſimus, ſecundùm canonicas Sanctiones requiri ad audiendas confeſſiones, & abſolutionem dandam, Epiſcopi arbitrium, judicium, approbationem. Notandum etiam Iuonem Carnotenſem ibidem cenſuiſſe, *Clericos regulares ab hoc officio nec penitus eſſe remouendos, nec indiſcretè admouendos.* Diſcretionem proinde neceſſariam judicauit in Epiſcopo, ac delectum, vt quoſdam probet, alios improbet. Item conjunxiſſe eadem in epiſtola regimen animarum cum approbatione ad confeſſiones audiendas: quia tunc vix facultas audiendi confeſſiones, & abſoluendi, concedebatur Regularibus, niſi his qui ad regimen parochiale aſſumerentur. Concilium Pictauienſe primum ſub Paſchali II. c.5. decreuit, *Vt nullus Abbas, vel Monachus, vel quilibet alius pœnitentias injungat, niſi quibus proprius Epiſcopus hanc curam dederit.* Similiter Synodus Andegauenſis ann.1291. habita ab Epiſcopo Guillelmo Majore, regnante Philippo Pulchro, apud Bochellum lib.2. Decret. tit.7. cap.151. *Statuimus, & ordinamus, ne quis Monachus aliquam Eccleſiam, vel Capellaniam deſeruiendam aſſumat, & ne confeſſiones cujuſquam Parochianorum, etiam de conſenſu Rectoris, abſque neceſſitatis articulo audiat, niſi de licentia Epiſcopi, & conſenſu.* Eadem mens Saliſburgenſis Concilij ſub Eurardo tempore Martini Papæ V. Titulo de Parochiis: *Vniuerſis*, inquit, *Sacerdotibus, tam religioſis, quam ſecularibus,*

cujuſcunque Ordinis, conditionis, ſiue ſtatus exiſtant, in ciuitate diœceſis, vel prouinciæ Salisburgenſis degentibus ſub debito juramenti, quod Epiſcopo in receptione Sacerdotij præſtiterunt, ſub interminatione diuini Iudicij firmiter inhibemus; ne quis alienum Parochianum, cujus cura per Epiſcopum, vel loci Archidiaconum, ſeu ejus Vicarium, alij eſt conceſſa (exceptâ neceſſitatis causâ, quæ legem non habet) ad confeſſionem recipere, aut ei aliquod Eccleſiæ Sacramentum porrigere præſumat, non petita deſuper, & obtenta licentia proprij Sacerdotis: cùm minimè incerti, & indubitati juris exiſtat, talem à tali crimine ſolui non poſſe aliquatenus, vel ligari; & ex hoc ordinem Eccleſiæ per majores, & ſanctos Patres diuina Prouidentia inſtitutum confundi, & perturbari. Et hoc præſens ſtatutum per vniuerſos Plebanos, ſingulis quatuor temporibus, & in præcipuis feſtiuitatibus, coram ſuis Parochianis præcipimus publicari. Concilium Florentinum in Decreto vnionis Armenorum, approbationem Confeſſarij ad audiendas confeſſiones, ſeu licentiam à Superiore obtentam manifeſtè neceſſariam, & miniſterio connaturalem oſtendit iis verbis: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos habens auctoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris.* Nam Superior intelligitur maximè Epiſcopus. Concilium Dertuſenſe in Hiſpania ex variis Prouinciis collectum præſide Cardinale Sedis Apoſtolicæ Legato à Martino V. miſſo can. 17. ſeruari jubet à Religioſis Clementinam *Dudum*; præcipitque, vt non ſolùm vetentur Regulares confeſſiones audire, niſi præſentati Epiſcopo; verùm etiam, niſi per litteras admiſſi fuerint. Concilium prouinciæ Senonenſis Pariſiis habitum ann. 1528. tempore Clementis VII. in Decretis morum cap. 37. decernit, quòd illi ſoli Mendicantes habent poteſtatem abſoluendi, qui *primùm per ſuos Prouinciales, Cuſtodes, Miniſtros, Priores, Guardianos, alióſve eorundem Mendicantium Prælatos, electi fuerint tanquam ſufficientes, & idonei, vita probati, diſcreti, modeſti, atque periti: deinde Suffraganeis noſtris in ſuis diœceſibus, per præfatos Mendicantium Prælatos præſentati, qui ab eiſdem Epiſcopis ad audiendas confeſſiones ſint commiſſi.* Concilium Prouinciale Moguntinum ſub Archiepiſcopo Seba-

Digitized by Google

ſtiano ann. 1549. cap. 25. ex altera Synodo Mogunt. celebrata ſub Cardinale Nicolao Tit. ſancti Petri ad vincula, & Theodorico Archiepiſcopo, ita ſtatuit: *Epiſcopis, qui curam animarum ſuſceperunt, hac præſertim tempeſtate, qua variis, & pernicioſis opinionibus ſimplicium animi miſerandum in modum deprauantur, ſummo ſtudio enitendum eſt, vt audiendis confeſſionibus, quæ ad formandas conſcientias opportunè ſeruiunt, Sacerdotes viri integri, & periti præficiantur. Vnde omnes Superiores Fratrum Mendicantium (qui in hac parte Parochis in adjutorium accedunt) inducendos cenſemus, & ſeriò monemus, vt Fratres ſuos, quos ad audiendas confeſſiones admittere deſtinauerint, priùs Commiſſariis noſtris exhibeant, qui eos aut per examen, aut fide digno ſuorum Superiorum teſtimonio dijudicent num idonei ſint, quibus ouium Chriſti ſalus tutò committi queat.*

His addo Concilium Tridentinum, quod ineptè aliqui primum legem de approbatione Epiſcopi neceſſaria Presbyteris regularibus ad confeſſiones audiendas tuliſſe dicunt, prædictarum Conſtitutionum multitudinem, vel ignorantes, vel diſſimulantes; & antiqui circa iſtam approbationem moris teſtimonia innumera, vel callidè occultantes, vel impiè impugnantes, vel ſupinâ ignorantiâ neſcientes. Addo, inquam, Concilium Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. de reformatione, his verbis præcedentia confirmans, & Eccleſiæ naſcenti coæuam conſuetudinem auctoritate ſua ratam eſſe decernens: *Quamuis*, inquit, *Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſancta Synodus nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones Secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari; niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; priuilegiis, & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Quam Conſtitutionem probauit, reuocatis auctoritate ſua priuilegiis, & circa Doctores etiam, locum habere declarauit Pius IV. Bulla ann. 1571. edita. Gregorius XIII. eandem à Pio V. in gratiam Religioſorum aliquantùm emollitam, & temeratam

aſſeruit, ac conſtanter defendit. Et juxta hanc ſolùm limitationem Sixtus V. Bulla *Etſi Mendicantium*, & ſequentes ceteri Pontifices priuilegia Mendicantium confirmarunt. Eandem denique Conſtitutionem innumera Concilia tam prouincialia, quàm diœceſana, amplexa ſunt, & tanquam certam regulam admiſerunt.

Circa hanc autem quædam obſeruanda ſunt. Primùm, duplicem à peccatis abſoluendi poteſtatem, non aliam vllam, Concilium agnoſcere. Priorem habitualem, & ordinis poteſtatem; quam omnes Sacerdotes in ſua ordinatione habere definit: Alteram juriſdictionis, & actualem; quam duplicem iterum ſtatuit Concilium. Vnam ordinariam, fixam, ſtabilem, fundatam in titulo; cui regimen animarum commiſſum ſit, verbi gratia in parochiali beneficio: Alteram delegatam; cujuſmodi datur Regularibus ab Epiſcopo, probatis ab eo, vel per examen, vel per publicam famam, aut alia ratione. Secundò, Concilium non requirere tantùm in Regularibus approbationem, quam ipſi petant; ſed approbationem, quæ detur ab Epiſcopo, & ab iis obtineatur; ſine-qua nec idoneos eos judicat, nec confeſſiones audire poſſe Secularium, etiam Sacerdotum, decernit. Nam ad audiendas confeſſiones Regularium ſui Monaſterij nullam approbationem requirit; niſi quæ à Superioribus ſui Ordinis, vel Monaſterij conceditur. Tertiò, Concilium derogare priuilegiis, ſi quæ in contrarium conceſſa fuiſſent in fauorem Regularium, vt certè conceſſa ſunt aliqua, vt mox dicemus. Illis inquam derogat Concilium, ac proinde non poſſunt ea à regularibus jure merito allegari, quandoquidem irrita facta ſunt. Nec valet iſta Regularium exceptio, quòd aliqua ex iis priuilegiis à Conciliis generalibus confirmata ſint; quorum ſpecialis mentio non fit à Concilio Trident. quippe generatim loquitur Concilium; neque alibi talem diſtinctionem adhibet quoties priuilegiis antè conceſſis derogat. Quare mira planè hominum temeritas, qui legem ab Apoſtolis fixam, tot ſeculorum continua praxi probatam, tot Conciliorum Conſtitutionibus confirmatam volunt vnius, aut alterius Concilij generalis priuilegio, vel impor-

Digitized by Google

tunitate partium, vel neceſſitate temporum extorto, aboleri; eam autem reuiuiſcere nolunt Concilij generalis Decreto, tam ſancto, támque ſalubri. Summa verò eorundem iniquitas, qui generali Concilio Tridentino, per nudum priuilegium abſque expreſsâ mentione, ſi ipſis fauorabile illud ſit, derogari volunt: exprimi verò Concilia generalia neceſſum eſſe cenſent, quandocunque ipſis fauere videntur, vt eis derogari poſſit. *Væ vobis, qui judicatis in trutina, & trutina.*

Confirmatur mos iſte Eccleſiæ ex Græcorum more, etiam poſt ſchiſma ab iis inchoatum. Nam quod ipſi nobiſcum commune retinent, ab Eccleſia vniuerſa accepiſſe videntur. Certum eſt autem apud Græcos, quantumcunque in Regulares valde propenſos, apud quos nimirum confeſſionum audiendarum poteſtas, vel præcipuè, vel vnicè Regularibus tribuitur: quia nempe Seculares ipſis viles ſunt, minúſque acceptabiles, eo quòd cœlibatum non ſeruent, quemadmodum Regulares ſolent. Certum eſt, inquam, apud eos, ſine approbatione Epiſcopi, ne quidem Regulares, ſeu Monachos idoneos haberi ad confeſſiones audiendas. Teſtis hujus moris Nicephorus Cartophylax, de cujus ætate nihil certi reperio; quamuis à quibuſdam in 7. ſeculum rejiciatur, ac proinde collocandus ſit ante ſchiſma Græcorum. Hic ergo epiſtola quadam ad Theodoſium Monachum incluſum Corinthi; *Æquum*, inquit, *& juſtum eſt, vt Præſulem tuum Corinthiacæ Eccleſiæ Pontificem interroges, & ab eo diſcas, nihílque ſine ejus ſententia circa ſalutem animarum facias; ſed nec ratiocinia* (id eſt confeſſiones) *ſuſcipias, aut gratiam concilies pœnitentibus, niſi accepta ab eo licentia, ſeu gratia. hoc enim vult Apoſtolica & Paterna Eccleſiæ traditio.* Nota approbationem, ſeu licentiam Epiſcopi ad audiendas confeſſiones ex mente Nicephori ab Apoſtolica, & paterna traditione deſcendere. Zonaras qui floruit ſub Alexio Comneno Imperatore ſub finem vndecimi, & initium duodecimi ſeculi, vigente in Oriente ſchiſmate, à Photio primùm, deindè à Michaele excitato in canonem 7. Concilij Carthaginenſis: *Meritò autem*, inquit, *à pœnis liberandi poteſtas Epiſcopis adjudicata fuit, cum*

Digitized by Google

ob explicatam rationem, tum quia ſummis Sacerdotibus, quos penes ligandi, ac ſoluendi auctoritas eſt, propriè verborum illa prolatio conuenit: quin immo Monachi quoque, qui hoc tempore confeſſiones excipiunt, niſi Epiſcopo concedente id faciant, neque ligandi, neque ſoluendi vllam facultatem habent. ſacris enim Apoſtolis ea poteſtas à Chriſto data: in Apoſtolorum porrò locum ſummi Sacerdotes ſubſtituti, atque ſuffecti ſunt. Quod argumentum Zonaræ nos ſuprà proſequuti fuimus, docentes ex Scripturis, & Patrum teſtimoniis, ſolis Epiſcopis in ſuo genere ſummam poteſtatem datam fuiſſe abſoluendi à peccatis, eámque inferioribus ſecundi ordinis Sacerdotibus communicandi.

Plura hujuſmodi ex Balſamone ſuperiùs protulimus, qui ſub finem ejuſdem ſeculi vndecimi imperante Emanuele Comneno Commentarium ſuper canones edidit: quæ quidem omnia repetere neceſſum non eſt.

His adde tantùm formam mandati pro eo, qui Pater ſpiritualis fieri debet, id eſt, qui ad confeſſiones audiendas committitur, quæ habetur lib. 6. juris Græco-Romani: nam hæc te docebit à Patriarchis, (ſimilitérque ab Epiſcopis, & Metropolitanis) ſub Patriarchis conſtitutis, litteras approbationis dari ſolitas. Quamobrem ex iis omnibus colligere licet, approbationem ad audiendas confeſſiones ab Epiſcopis, eſſe ex jure antiquiſſimo, Apoſtolico, Diuino, Eccleſiæ Chriſti coæuo, toto demum orbe, & ab omnibus Eccleſiis recepto.

§. 6.

De priuilegiis Regularium circa confeſſiones Secularium audiendas, ex antiquo more.

VERVM, inquies, valent iſta omnia, vt probetur ſeclusis priuilegiis, Epiſcopi approbationem neceſſariam quidem eſſe Preſbytero ad audiendas confeſſiones, & ad impertiendam pœnitentibus abſolutionem. Aliter verò ſentiendum de Regularibus, qui poteſtatem à Summo Pontifice ex priuilegio obtinent confeſſiones audiendi, & abſoluendi; etiam injuſſu Epiſcoporum inferiorum. Supplet

Digitized by Google

enim ſuprema poteſtas Summi Pontificis, quod ordinariæ inferiorum Epiſcoporum poteſtati commiſſum fuiſſe docuimus.

Ad hæc multiplex eſt reſponſio. Prima erit Bernardi lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium cap. 4. *Subtrahuntur*, inquit, *Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis, ſiue Primatibus. Bonane ſpecies hæc? Mirum, ſi excuſari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitia fortè non ita. Facitis hoc, quia poſtis, ſed vtrum & debeatis, quæſtio eſt. Honorum, ac dignitatum gradus, & ordines quibuſque ſuos ſeruare poſiti eſtis, non inuidere; vt quidam veſtrorum ait* (ad Romanos 13.) *cui honorem, honorem. Spiritualis homo, qui omnia dijudicat, vt ipſe à nemine dijudicetur; omne opus ſuum trina quadam conſideratione præueniet: primùm quidem an liceat: deinde an deceat: poſtremò an expediat. Nam etſi conſtet in Chriſtiana vtique Philoſophia non decere, niſi quod licet; non expedire, niſi quod decet, & licet: non continuò tamen omne, quod licet, decere & expedire conſequens erit* &c. Quæ fusè explicata leges apud eundem. Et ſanè conſuetudinem, quæ originem habet à Chriſto, & ab Apoſtolis, & tot ſeculis cuſtodita viguit toto orbe Chriſtiano, non facilè immutari debuiſſe certum eſt; ſubreptioniſque nomine ſuſpecta ſunt, quæ contra Patrum ſtatuta, & Majorum obſeruationem videntur indulta. Hac de re vide Gratianum integra 25. cauſa quæſt. 1. & 2. agentem de priuilegiis præſumptis à Monachis aduersùs Eccleſias baptiſmales.

Verùm iſta prima reſponſio jam in præſenti caſu videtur eſſe minùs neceſſaria; quandoquidem aſſeramus nullum præſenti tempore priuilegium prætendi poſſe à Regularibus aduersùs approbationis epiſcopalis neceſſitatem. quod vtique fuſiori explicatione patebit.

Ante Mendicantium Ordinum inſtitutionem, ſi Monacho alicui committeretur poteſtas audiendi confeſſiones, nulli vtique committebatur, niſi qui plebis electione, aut Pontificis voluntate regimen animarum ſuſcepiſſet. Preſbyteris Monachis in ſuos tantùm, id eſt, Monaſterij ſui Monachos

poteſtas concedebatur: extraordinaria omnino erant priuilegia, ſeu diſpenſationes, quæ inconſulto Epiſcopo, vni tantùm, aut alteri Monacho regularem vitam in Monaſterio agenti, ad audiendas confeſſiones Regularium tribuerentur, vt patet ex canone *Placuit*, qui à Gratiano refertur 16. quæſt. 1. canone *Peruenit*, qui tribuitur Paſchali II. epiſt. ad Victorem Bononienſem Epiſcopum, & canone *Interdicimus*, qui Calixto II. ab eodem Gratiano ibidem tribuitur.

Quibus conſentiunt 1°. Concilium Pariſienſe 6. ſub Ludouico Pio lib. 1. cap. 46. *Nullo modo videtur nobis conuenire, vt Monachus relicto Monaſterio ſuo, idcirco Sanctimonialium Monaſteria adeat, vt confitentibus peccata ſua modum pœnitentiæ imponat. Nec etiam illud videtur nobis congruum, vt Clerici, & Laici, Epiſcoporum, & Presbyterorum Canonicorum judicia declinantes, Monaſteria Monachorum petant, vt ibi Monachis Sacerdotibus confeſſionem peccatorum ſuorum faciant. Præſertim cùm eiſdem Sacerdotibus Monachis id facere fas non ſit, exceptis his duntaxat, qui ſub monaſtico ordine ſecum in Monaſteriis degunt: illis namque eſt confeſſio peccatorum facienda, à quibus ſubinde & modus pœnitentiæ, & conſilium ſalutis capiatur, vt à quibus pœnitentiâ peractâ ſecundùm canonicam inſtitutionem, ſi Epiſcopus juſſerit reconciliatio mereatur.*

Conſentit Ambroſius laudatus à Gratiano 16. quæſt. 1. c. 21. qui tamen alius videtur eſſe auctor recentior, vt notant ibidem Correctores Romani: *Doctos, ac probos Monachos*, inquit, *Presbyterij honore dedicatos baptiſare, prædicare, pœnitentiam dare, debita miſeris laxare, & decimarum, primitiarum, oblationum viuorum, & mortuorum juſta portione perfrui debere, moderata diſpenſatione commendamus, vt juxta Apoſtolum de altario, cui ſeruiunt, viuentes, per obſequium Dominicæ plebis panem, & vinum immaculata benedictione transforment in corpus, & ſanguinem Domini noſtri* IESV CHRISTI.

Innocentius Papa ab eodem Gratiano citatus ibidem c. 22. abſque expreſſione numeri: quem tamen primum, vel ſecundum eſſe neceſſum eſt: nam Innocentius III. Gratiano poſterior eſt: quotus ergo ſit, nihil refert: ita verò cenſuit, *Si Monachus ad Clericatum promoueatur, beneficia ei pleniter*,

niter, & annonæ, & decimæ donentur, abſque vlla minoratione & dilatione; vt quantò meliùs poſſit, juxta poſſibilitatem ſuam, quando neceſſitas extiterit, ad opera Eccleſiaſtica, & ipſam reſtaurandam Eccleſiam adjutorium faciat.

Gregorius ibidem c. 23. qui ſimiliter neſcitur quotus fuerit, hoc ſanxiſſe refertur: *Moderamine Apoſtolicæ auctoritatis decernimus, vt Monachi, ſi Presbyterij honore dedicati ſunt cum ligandi, ſoluendíque poteſtate, decimarum, primitiarum, oblationum, donationum, quæ fiunt pro viuis, & pro defunctis, portionem, juxta Canonem, ad ſuam, proximorúmque vtilitatem merito perfectioris juſtitiæ, non minùs quàm cæteri Sacerdotes, laudabiliter ſibi vendicent.*

Patet iſtis Canonibus, Eccleſiaſtica officia circa plebem, & nominatim pœnitentiæ reconciliationem his tantùm Monachis concedi, qui beneficiis Eccleſiaſticis ornati eſſent; quibus decimæ, primitiæ, oblationes deberentur; vno verbo, Parochis, quibus regimen animarum commiſſum eſſet, vt notat Gratianus paragrapho *His Superioribus.*

Addit ille can. 24. ibidem ex citato Gregorio in hæc verba: *Ex auctoritate hujus Decreti (quod Apoſtolico moderamine, & pietatis officio à nobis eſt conſtitutum) Sacerdotibus Monachis, Apoſtolorum figuram tenentibus, liceat prædicare, baptiſare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata ſoluere.* Circa quem Canonem obſeruo Sacerdotes Monachos Apoſtolorum figuram tenentes, quibus baptiſare, & pœnitentiam imponere, atque peccata ſoluere permittitur, intelligi eos, qui Paſtores conſtituti, Apoſtolorum exemplo, officia hæc paſtoralia fidelibus exhibebant. De his ſolùm Gratianus pariter intelligit quæ ipſe refert de Bonifacio Papa c. 25. non exprimendo quotus fuerit.

Euidentiùs etiam id teſtantur Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum: *Sic viue in Monaſterio, vt Clericus eſſe merearis.* Et infrà: *Cùm ad perfectam ætatem perueneris, & te, vel populus, vel Pontifex ciuitatis in Clerum elegerit, agito quæ Clerici ſunt, & inter ipſos ſectare meliores.* Senſus illius textus eſſe non poteſt, niſi de Monacho electo Parocho. Parochi enim poſtulante populo eligi ſolebant, & poſtulari à Pontificibus,

teſtibus Tertulliano Apologetici cap. 39. Cypriano epiſt. 35. Synodo Romana centum quadraginta quatuor Epiſcoporum ſub Syluestro cap. 11. Concilio Nicæno ex Arabico tranſlato c. 73. & 75. & longè plurimis aliis, tum Conciliis, tum Patribus, omnis ferè ætatis.

Quibus accedit Iuo Carnotenſis epiſt. 69. ſuperiùs citata, in qua, vt notauimus, euidenter innuit Monachos, ea tantùm ratione, confeſſiones extra Monaſterium degentium audire potuiſſe, ſi ad curam animarum promouerentur. Egregiè item Hugo Pontiniacenſis Abbas, & ſanctus Bernardus Clareuallenſis epiſt. ad Abbatem majoris Monaſterij, ſanctóque Conuentui. *Qua audacia*, inquiunt, *ô Monachi, præſumitis, ſeu vinum de vinea quam non plantaſtis, ſeu lac de grege quem non paſcitis? Certè ſi ita vultis, baptiſate naſcentes, ſepelite morientes, viſitate jacentes, copulate nubentes, inſtruite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentes, abſoluite reſipiſcentes, reconciliate pœnitentes, & in medio denique Eccleſiæ aperiat os ſuum Monachus, cujus officium eſt ſedere, & tacere.* Habetur in limine Notarum Iureti ad epiſt. Iuonis Carnotenſis. Petrus Bleſenſis idem docet ſerm. 36. in dedicatione Eccleſiæ ad Clauſtrales: *Alij enim Cœnobitæ, quos Monachos appellamus, ne alter alterius onere præmeretur, ſingularem quiſque ſui cuſtodiam elegerunt; inde eſt quòd nec baptiſare, nec aliis prædicare, nec pœnitentiam injungere eis licet.* Quare toto iſto tempore Ordines Mendicantium præcedenti, ſi qui Monachi confeſſionibus Secularium audiendis vacarent, ij extra Monaſterium degebant, & officio clericali, ſeu beneficio mancipati erant. Nam, vt ait Gregorius Magnus Ioanni Rauennati epiſt. 1. lib. 4. *Monachus in Monaſterio degens non debet officio clericali vacare, neque Clericus in Eccleſiis officio monachali. Nemo poteſt & Eccleſiaſticis obſequiis deſeruire, & in monachica Regula ordinatè perſiſtere; vt ipſe Monaſterij diſtrictionem teneat, qui quotidie in miniſterio Eccleſiaſtico cogitur permanere. Proinde Fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum ſit, emendare feſtinet; quia ego nullo modo patiar, vt loca ſacra per Clericorum ambitum deſtruantur. Vos itaque ita agite, vt mihi hac de re correctam cauſam cum*

celeritate nuntietis. Quòd ſi Eccleſiaſtica officia, & pœnitentiarum impoſitio, atque abſolutio à peccatis nullis Monachis permittebantur, niſi qui ad regimen animarum aſſumpti fuiſſent, ad quod ſanè nonniſi auctoritate Epiſcopi loci inſtituebantur; Monachos tunc temporis, nec confeſſiones Secularium audiuiſſe, nec eos à peccatis abſoluiſſe conſtat, niſi licentia, & auctoritate Epiſcoporum.

Et certè rariſſima tunc temporis exempla leguntur Monachorum, qui abſque cura animarum, ſacras Confeſſiones audirent eorum, qui extra Monaſterium degerent: quin immo, & hoc ſingulare legimus in vita ſancti Cliberti Monachi Criſpinenſis, & Presbyteri, apud Surium tomo 2. & de vitis Patrum Occidentis libro 2. quòd quamuis à Paſchali Papa II. & ab Innocentio II. ei mandatum eſſet, *vt omnes, confeſſionis gratiâ ad ipſum venientes, alacriter exciperet, & pro criminum quantitate pœnitentiæ eis onus injungeret.* Veritus tamen ipſe, ne auctoritatem Epiſcopi tantillùm delibare videretur, atque vt oſtenderet quantam ei omnes reuerentiam deberent, refertur in dicta vita, quòd *illos qui confeſſionis faciendæ cauſa ad eum accedebant, priùs quaſi juramento obſtringebat, vt ipſius audito conſilio, ad Epiſcopos ſuos irent, eadem flagitia illis quoque confeſſuri; ita tamen, vt, ſi quos vidiſſet obſtinato animo, etiam interpoſito jurejurando decreuiſſe, nulli, niſi ipſi ſua crimina detegere, illorum ſanè tandem improbitati cedens, veritus ne in deſperationis barathrum irent præcipites, ſi eos nollet audire, confeſſionem eorum reciperet quidem, pro ratione facinorum etiam pœnitentiæ mulctam ipſis irrogans, nec tamen ceſſaret perſuadere fortiter, & vehementer etiam adjurare, vt turpia, quæ ei dixiſſent, ſuos Epiſcopos minimè celarent. Quod ſi omnino recuſarent, grauem, & propè intolerabilem eis pœnitentiæ mulctam imponebat. Quod tamen quidam æmuli, ejus facta rodentes, illum minimè facere mentiebantur.* Non potuit tantæ ſanctitatis, & prudentiæ vir æmulorum malignitatem euitare, quòd in audiendis confeſſionibus duorum Summorum Pontificum approbationem emendicare viſus eſſet, & non obtenta fortè ab Epiſcopo licentia ad confeſſiones audiendas. Adeo nimirum inhærebat fidelium

Digitized by Google

animis hæc opinio, ſingulos Confeſſarios Sacramento Pœnitentiæ vacare non debere, niſi proprij Epiſcopi approbatione munitos.

§. 7.

De priuilegiis Fratrum Mendicantium circa confeſſiones Secularium audiendas ad tempora Concilij Tridentini.

ADVENERE tandem Mendicantium Ordines Franciſcanorum ſcilicet, & Dominicanorum, qui ſub Innocentio III. in Concilio Lateranenſi generali, ab Apoſtolica Sede probati ſunt, & ſuffecti in locum duarum Sectarum: quarum prima, Humiliatorum: altera, Pauperum de Lugduno nominabatur; quos quidem Lucius Papa inter hæreticos recenſuerat ob impia dogmata, & obſeruationes ſuperſtitioſas. In locum Pauperum de Lugduno, qui ſe vitam Apoſtolorum agere profitebantur, nolentéſque quicquam poſſidere, nudis pedibus ambulabant, per vicos & caſtella circumeuntes, Innocentius III. confirmauit Pauperes Minores. In locum verò Humiliatorum Fratres Prædicatores. *Humiliati quippe nulla habita auctoritate, aut licentia Prælatorum, mittentéſque falcem in meſſem alienam, populis prædicabant, & vitam eorum plerumque regere ſatagebant, & confeſſiones audire, & miniſteriis Sacerdotum derogare;* vt habet Abbas Vrſpergenſis in Chronico, ad ann. 1212. & ex eo Onufrius pariter in Chronico. Ex quibus patet manifeſtè mentem Innocentij III. approbantis Ordinem Prædicatorum fuiſſe, vt ipſi, tum ad prædicandum, tum ad confeſſiones audiendas licentiam deinceps obtinerent ab Epiſcopis. Siquidem Humiliatos Summus Pontifex rejiciebat, eo quòd ſpretâ Ordinariorum licentiâ, Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrantes, & prædicantes, falcem in meſſem alienam immittere viderentur. Eandem diſciplinam ſuis diligenter commendaſſe videtur ſanctus Franciſcus, qui in ſuo teſtamento, ne quidem volebat in vlla Parochia quemquam prædicare; quantumcunque Sapientiam Salomonis æquaret, ſine voluntate cujuſlibet pauperis Sacerdotis;

Digitized by Google

nec vllum à Romana curia priuilegium Fratribus ſuis, quacunque ſpecie, obtinere permiſit; vt in eodem ſcribitur teſtamento relato tomo 5. Bibliothecæ Patrum.

Poſt exceſſum è viuis Innocentij III. ab Honorio III. Bullam, quæ incipit *Religioſam vitam*, obtinuit ſanctus Dominicus in confirmationem ſui Ordinis ann. 1216. Pontificatus Honorij ann. 3. in qua duo notanda ſunt. Primum, facultatem Dominicanis datam, vt parochiales Eccleſias habeant, iiſque miniſtrent. Nam paragr. 7. hæc habentur: *In parochialibus verò Eccleſiis, quas habetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & diæceſano Epiſcopo præſentare, quibus, ſi idonei fuerint, Epiſcopus curam animarum committat, vt ei de ſpiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant reſpondere.* Deinde §. 13. ſub finem, Eccleſiam eis habere concedit, aliáſque poſſeſſiones, *ſaluâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & diæceſani Epiſcopi canonica juſtitia.* Approbata eſt ab eodem Pontifice ann. 3. ſui Pontificatus, Regula Fratrum Minorum, relata in Bulla *Solet*, ejuſdem Pontificis, in Bullario Laertij tom. 1. in cujus regulæ cap. 9. ſtatuitur; *Vt Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum.* Tantum ergo abeſt, vt tunc temporis Mendicantes exemptionem aliqua in re ab Epiſcoporum poteſtate expetierint, quinimmo nonniſi in iſta ſubjectione manſuri, à Summo Pontifice confirmati fuerint. Hanc autem exemptionem ſummopere abhorrebat ſanctus Franciſcus, vt ex ejus teſtamento ſuprà laudato, patet. Quinetiam refert Bartholomæus Piſanus lib. *de conformitatibus ſancti Franciſci*; cùm nonniſi pauci ad prædicandum Franciſcanos admitterent, rogatum Franciſcum à nonnullis, vt Pontificias litteras obtineret à Summo Pontifice ad Epiſcopos, quibus admitti juberentur. Ipſum verò nequaquam acquieuiſſe; ſed fortiter contradixiſſe, dicendo Epiſcopos oportere bonis exemplis Fratrum ſui Ordinis allici ad eos inuitandos, non verò terreri, vel auctoritate compelli. Ejus ſucceſſoris in Generalatu, Ioannis Parentis Florentini eadem mens fuit.

Electus autem poſtea Frater quidam Elias, vir turbulentus, Ordinis perturbator, per vim intruſus, ac poſthæc apo-

Digitized by Google

ſtata, vt ſcribit ſanctus Antoninus in Chronico, priuilegia à Summis Pontificibus extorquere conatus eſt. Prima priuilegiorum Bulla obtenta eſt à Gregorio, incipítque *Nimis iniqua*. Quæ licèt de falſitate ſuſpecta ob multas rationes oſtendatur, habetur tamen collecta, & inter Decretales relata lib. 5. Tit. *de exceſſibus Prælatorum*; quam ſequitur alia, quæ incipit *Nimis praua*, ad vniuerſos ſimiliter Eccleſiarum Prælatos, eodem titulo. Sed in iis Bullis nulla fit mentio grauaminis vllius in approbatione ad confeſſiones ipſis illati, nec de eo conqueruntur, aut remedium expoſcunt Mendicantes.

Exinde variæ vtique inter Epiſcopos & Parochos, ex vna parte, ac Mendicantes ex alia, enatæ leguntur controuerſiæ, de quibus rogati Summi Pontifices varia ſtatuerunt circa approbationem ab Epiſcopis obtinendam. Bonifacius VIII. Bullam ſcripſit, quæ incipit ab his verbis *Super Cathedram*, habetúrque exſcripta in Clementina *Dudum, de ſepulturis*; ex qua hæc eruimus. *Statuimus etiam, & ordinamus auctoritate prædicta, vt in ſingulis ciuitatibus, & diœceſibus, in quibus loca fratrum ipſorum conſiſtere dignoſcuntur, vel in ciuitatibus, & diœceſibus locis ipſis vicinis, in quibus loca hujuſmodi non habentur, Magiſtri, Priores, Prouinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarij, & Generales, & Prouinciales, Miniſtri, & Cuſtodes Minorum, & Ordinum prædictorum, ad præſentiam Prælatorum eorundem locorum ſe conferant per ſe, vel per Fratres, quos ad hoc idoneos fore putauerint, humiliter petituri, vt Fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum ciuitatibus, & diœceſibus, confeſſiones ſubditorum ſuorum confiteri ſibi volentium, audire liberè valeant, & hujuſmodi confitentibus (prout ſecundùm Deum expedire cognouerint) pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem abſolutionis beneficium impendere de licentia, gratia, & beneplacito eorundem: ac deinde præfati Magiſtri, Priores, Prouinciales, & Miniſtri Ordinum prædictorum, eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vitâ probatas, diſcretas, modeſtas, atque peritas ad tam ſalubre miniſterium, & officium exequendum: quas ſic ab ipſis electas repræſentent, vel faciant præſentari Prælatis, vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito*

Digitized by Google

in ciuitatibus, & diœceſibus eorundem, hujuſmodi perſonæ ſic electæ, confeſſiones confiteri ſibi volentium audiant, imponant pœnitentias ſalutares, & beneficium abſolutionis (in poſterum) impendant, prout ſuperiùs eſt expreſſum: extra ciuitates, & diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volumus, & non per Prouincias deputari, confeſſiones nullatenus audituræ. Numerus autem perſonarum aſſumendarum ad hujuſmodi officium exercendum eſſe debet prout vniuerſitas Cleri, & populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorundem. Et ſi iidem Prælati petitam licentiam confeſſionum hujuſmodi audiendarum conceſſerint; illam præfati Magiſtri, Miniſtri, & alij cum gratiarum recipiant actione, dictæque perſonæ ſic electæ, commiſſum ſibi officium exequantur. Quòd ſi fortè jam dicti Prælati quemquam ex dictis Fratribus præſentatis eiſdem, ad hujuſmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum, eo amoto, vel ſubtracto, loco ipſius ſimiliter eiſdem præſentandus Prælatis poſſit, & debeat alius ſubrogari. Si verò iidem Prælati præfatis Fratribus ad confeſſiones, vt præmittitur, audiendas electis, hujuſmodi exhibere licentiam recuſarint; Nos ex nunc ipſis, vt confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè, licitèque audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem beneficium abſolutionis impertiri, gratioſè concedimus de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis.

Hoc ſanè Decreto agnoſcit Bonifacius Epiſcoporum auctoritatem in approbandis Confeſſariis, ex Ordinibus Mendicantium ab eorum Superioribus, & præfectis præſentandis. Quam approbationem, *licentiam, gratiam, & beneplacitum* appellat. *Licentiam*, vt ſine ea ipſis non licere regulariter confeſſiones audire, pœnitentias injungere, abſolutionem impertiri agnoſceremus. *Gratiam*, & beneplacitum, vt in Epiſcopis non eſſe merum juſtitiæ actum approbationem iſtam, Regulares intelligerent. 2°. Numerum certum Confeſſariorum ex familiis Mendicantium deſignandum ab Epiſcopo decernit: de quo ſi contendat Epiſcopus cum Fratribus conſulit Ioannes Monachus, vt recipiat Epiſcopus numerum à ſe definitum, de reliquis recurrat ad arbitrium boni viri, id eſt Iudicis, lege *continuet*, §. *Cum ita*, ff. de verborum

obligationibus : *Quod cautè*, inquit, *fortè faceret Epiſcopus, ſi in principio, quod non liceret, vt poſt facto.* Lege *in traditionibus*, ff. de pactis. Lege 1. & lege *Perfecta*, codice de donationibus, quæ ſub modo. Et cap. *Verùm*, de conditionibus appoſitis. 3°. *Si quemquam nollent Prælati ex dictis Fratribus admittere, vel non ducerent admittendum*, id eſt, ſi proprio motu abſque cognitione cauſæ aliquem rejicerent. Hoc enim ſignificat verbum *nollent*; aut cum cognitione cauſæ, alium ſubrogandum in ejus locum præſentare iterum jubentur Regulares : qui ſi pariter rejiciatur, tunc Bonifacius VIII. præſumens ex inuidia potiùs iſtos rejectos ab Epiſcopo, volente eorum ad audiendas confeſſiones numerum reſtringere ; liberam concedit ita præſentatis licentiam confeſſiones audiendi, petitam ab Epiſcopis, ab iis non impetratam. Quod ita demum locum habere interpretatur Gloſſa in eo caſu, in quo Epiſcopus non recuſat expreſsè ; ſed non dat, vel negligit dare, poſt trinam monitionem, ſeu requiſitionem, per Decretalem primam de ſupplenda negligentia Prælatorum, pro quo faciunt caput *Ab eo*, de appellationibus ; & caput *Quamuis*, in ſexto. hæc prima violatio approbationis ab Epiſcopis concedendæ.

Illam verò apertiùs infregit Benedictus XI. Bonifacij ſucceſſor, Extrauagante *Inter cunctas*, de priuilegiis, his verbis. *Electi igitur ab eiſdem Fratribus ad audiendas confeſſiones, & pœnitentias injungendas, liberè auctoritate Apoſtolica, abſque licentia Diœceſanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum, exemptorum, & non exemptorum, quibus ſubſunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eis peccata ſua confiteri volentes : non religioſos, qui ſecundùm ſtatuta ſuorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab eis, ne confiteantur aliis prohibentur, abſoluant : ipſíſque pœnitentias ſalutares injungant, intra ſibi deſignatos terminos ad hujuſmodi exercendum officium conſtitutos.* Et paulò poſt: *Super confeſſione autem facta Fratribus memoratis, cùm de confitentis ſolius prajudicio (ſi falſum dicat) agatur in judicio animæ, ſeu pœnitentiæ foro : ſtabitur ſimplici verbo illius, qui Sacramenta petit prædicta, & dicit Fratribus ſe confeſſum. Duos tamen caſus excipimus, ſcilicet ſi Sacerdos aſſerat*

eum

Digitized by Google

eum excommunicatum, aut notoriè peccatorem. Sed videat, ne id dicat mendaciter, aut in dolum, vel in fraudem. Quia ſi hoc egerit, à delicto tali, niſi plenè ſatisfecerit (præterquam in morte) abſolui nequeat, nec de illo ad pœnitentiam aliter admittatur. Vt autem Diœceſanis honor debitus reſeruetur, præcipimus, vt Prouinciales, Priores Prædicatorum, & Miniſtri Minorum Ordinum præfatorum, per ſe, vel alios, verbo, vel ſcripto, eis ſignificent, ſe Fratres ad hujuſmodi confeſſionum audiendarum, & pœnitentiarum injungendarum officium elegiſſe, & non nominando, aut coram ipſis ſiſtendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter à Diœceſanis iiſdem, quòd iidem electi Fratres de ipſorum beneplacito, & licentia, dictum poſſint in eorum ciuitatibus, & diœceſibus, intra eis determinatos fines, officium exercere. Quod ſi denegent, vel intra triduum non concedant, ex tunc iidem Fratres, nihilominus auctoritate eadem, hujuſmodi officium exequantur. Datam verò licentiam per Diœceſanorum mortem nolumus terminari.

Non diù durauit Benedicti citata Conſtitutio. Nam Clemens V. *Quia, vt probauit effectus, nedum pacis ab auctore ipſius ſperatæ fructum attulit; quinimmo diſcordiæ, pro qua ſedanda proceſſerat, fomentum non modicum miniſtrauit:* ideo *ſacro inſtante, & approbante Concilio* Viennenſi, illam abrogauit, vt refertur, Clementina citata, & Bonifacianam renouauit. Quamuis autem in Concilio Viennenſi Bonifacij VIII. Conſtitutio confirmata fuerit, non tamen ea ratione, vt jus antiquum hominum mentibus infixum, planè deletum ſit, & antiqua ab Apoſtolis tradita conſuetudo extincta fuerit. Nam Concilium Saliſburgenſe in Germania tempore Martini V. ann. 420. Tit. de Parochiis, neminem permittebat Secularem, vel Regularem, non obtenta licentia proprij Sacerdotis, quemquam abſoluere; nec petitam ſufficere arbitrabatur. Similiter Concilium Dertuſenſe in Hiſpania ex pluribus Prouinciis collectum, tum ad Eccleſiæ vnitatem reſtaurandam, tum ad diſciplinam reparandam, adnitente Legato Martini V. Cardinale Fuxo, Bonifacianam quidem Conſtitutionem, *Super Cathedram,* confirmatam Clementina *Dudum, de ſepulturis,* in iis in quibus Religioſos contin-

Digitized by Google

gebat, obſeruari ſtatuit cap. 17. Eodem verò cap. §. *Ceterum*, in fauorem Epiſcoporum, tam Bonifacianam, quàm Clementinam Conſtitutionem interpretatur, & obtentam licentiam Epiſcopi exigit his verbis: *Ceterum, quoniam vbi periculum majus ineſt, ſolertior debet adhiberi cautela, ne animarum ſaluti per quemquam Confeſſoris officio abutentem, illudi valeat, aut ipſum officium debitè peragentium fama iniquorum abuſibus maculetur; Statuti hujus tenore ſancimus, quòd nullus Clericus Secularis, ſine Diœceſani, vel Ordinarij Eccleſiaſtici, cui hoc pertineat, vel ipſorum Vicariorum, vel Officialium ad hoc habentium poteſtatem, aut proprij Curati licentia, in Eccleſiis parochialibus ad audiendas confeſſiones, etiam ſuper caſibus Epiſcopalibus, admittatur* &c. *Item ne Religioſi, priuſquam juxta Conſtitutionem Clementis*, Super Cathedram, *per eorum Superiores electi, præſentati, & per Ordinarios ad confeſſiones admiſſi fuerint, confeſſiones Secularium audire præſumant, nec locorum Ordinarij aliquos admittant, niſi, vt præfertur, per eorum Superiores ad hoc priùs electos, & præſentatos. Sícque electi, præſentati, & admiſſi de caſibus ab Epiſcopo reſeruatis nullatenus ſe intromittant* &c. quo Decreto nec Secularibus, nec Regularibus, niſi antè admiſſis ab Ordinario, confeſſiones audire permittit.

Leo X. in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 11. Bulla *Dum intra*, prædictas Conſtitutiones Bonifacij, & Clementis V. renouare viſus eſt, dum ſtatuit, vt prædicti Fratres poſſint *per eoſdem Epiſcopos, & Prælatos ſuper ſufficienti litteratura, & aliqua ſaltem hujuſmodi Sacramenti peritia duntaxat examinari; talibúſque præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis confitentes, Conſtitutioni, quæ incipit* Omnis vtriuſque ſexus, *quoad confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe videantur.* Neque tamen iſta quoque viguit vbique Conſtitutio. Ei enim Concilio tres tantùm ex Gallia adfuerunt Epiſcopi; Cauallicenſis in Comitatu Auenionenſi, ditionis Papæ; Vincienſis, & Dignenſis ex Prouincia; qui omnes Bullæ diſſenſerunt quoad approbationem priuilegiorum Regularium; ſequuti, vt probabile eſt, vniuerſæ Galliæ morem. Deinde ab hoc tempore Concilium Senonenſe anno 1528. ſub Clemente VII. &

Digitized by Google

Moguntinum ann. 1549. quæ ſuperiùs citauimus, Mendicantes non approbatos ab Epiſcopis, nequaquam idoneos ad audiendas confeſſiones cenſuerunt: quare dici nequit Concilium Lateranenſe Galliæ, & Germaniæ morem inuertiſſe; aut per illud minùs neceſſariam Regularibus deinceps Epiſcopi approbationem ad Secularium confeſſiones audiendas judicatam fuiſſe.

§. 8.

De Concilio Tridentino, & vſu poſteriori.

VTVT ſit verò, Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. habita anno 1563. die 15. Iulij approbationem Epiſcopi neceſſariam etiam Regularibus, vt confitentes ipſis peccata, validè abſoluant, hoc Decreto firmauit, de reform. cap. 15. iis verbis: *Quamuis Presbyteri in Ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant; decernit tamen ſancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones Secularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis, & conſuetudine quacunque non obſtantibus.*

Varia circa hoc Decretum quæri poſſunt, quæ poſtea ex quæſtionum, quæ circa hanc approbationem fieri poſſunt, explicatione patebunt. Vſus etiam poſterior ex mox proferendis Conciliis, & Summorum Pontificum Bullis conſtabit.

§. 9.

Approbationem ab Epiſcopo eſſe cum auctoritate, & in vnaquaque diœceſi diſtinctas ab Epiſcopis obtineri debere approbationes.

VT autem ea, quæ de approbatione epiſcopali prædicta in articulo præſenti habentur, confirmari poſſint, ſciendum eſt prædictam approbationem eſſe judicium, & voluntatem ejus, qui habeat in Eccleſia auctoritatem: quâ

Digitized by Google

nempe idoneum cenſet aliquem ad confeſſiones audiendas, gratúmque habet vt eo miniſterio fungatur. Itaque præter judicium, & voluntatem, auctoritas requiritur in Epiſcopo, vt aliquem approbet ad audiendas confeſſiones. Non enim doctrinalis eſt tantùm approbatio Epiſcopi, ſed & auctoritatiua. Quare nec Doctores, nec Vniuerſitates poſſunt hujuſmodi approbationem concedere, quæ ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem ſufficiat. Non enim validitas Sacramenti à judicio virorum Doctorum de capacitate, ſeu idoneitate Confeſſarij, repetitur: licèt ad ſcrupulos tollendos, & conſcientiam dubiam confirmandam judicium ejuſmodi juuare poſſit.

Ex eo patet Epiſcopum, qui in ſua ſolùm diœceſi auctoritatem habet, poſſe tantùm pro ſua diœceſi Confeſſarium approbando inſtituere: quod quidem vlteriùs confirmandum. Non mediocre autem hujus rei argumentum eſt, quòd nouo, & veteri Iure approbatio iſta paſſim vocetur licentia; licentiam enim confeſſiones audiendi, nemo pro aliena diœceſi dare poteſt. Deinde Concilium Tridentinum cap. 15. de reformatione, ante laudato ſeſſ. 25. non ab vno Epiſcopo approbationem requirit, ſed ab Epiſcopis: ſcilicet, vt diuerſarum diœceſium Confeſſarij à diuerſis Epiſcopis approbentur. Idem quoque Concilium Seculares & Regulares beneficium Curatum habentes, & Regulares approbatos, quoad neceſſitatem approbationis æquiparat: at Sacerdotes ſeculares, curam animarum habentes, extra diœceſim, in qua curam animarum habent, confeſſiones audiendi hoc titulo non obtinent. Ergo nec Regularium vllus in vna diœceſi approbatus, extra diœceſim iſtam facultatem nanciſcitur. Tertiò, Pius V. cùm ſtatuiſſet ann. 1567. Bulla *Et ſi Mendicantium*, num. 2. quòd ille, qui ſemel in vna diœceſi habeatur pro admiſſo, ampliùs examinari, vel præſentari in dicta diœceſi non debeat, tam quoad prædicationes faciendas, quàm quoad confeſſiones audiendas; reuocauit, quoad hanc partem, hanc ſuam Conſtitutionem Bulla *Romani Pontificis prouidentia*. §. 2. ann. 1571. voluítque quoſlibet, etiam Lectores Theologiæ, & Doctores, qui ſemel

Digitized by Google

à b Epiſcopo in ciuitate, & diœceſibus ſuis, præuio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari : ab Epiſcopo autem ſucceſſore pro majori conſcientiæ ſuæ quiete, examinari de nouo poſſe. Qua vtraque Bulla ſupponit, non tantùm ab Epiſcopis aliarum diœceſeon examinari poſſe probatum ab alio alterius diœceſis; verùm etiam ab Epiſcopo ſucceſſore ejus, qui approbauit. Quin etiam poſterioris Bullæ §. 3. abſque ſpeciali in poſterum licentia, & approbatione ab Ordinariis obtinenda, Secularium confeſſiones audire præſumere quemquam Regularem prohibuit. Clemens quoque VIII. Bulla edita ann. 1604. quæ incipit *Quæcunque*, §. 9. Confeſſarios, etiam qui vigore priuilegiorum Archiconfraternitatibus, & Congregationibus conceſſorum, confeſſionibus Secularium audiendis eliguntur; ſiue in alma vrbe, à Papæ Vicario; ſiue extra vrbem, à locorum Ordinariis approbari debere decernit, vt abſoluere valeant.

Paſſim etiam Concilia prouincialia, & diœceſana id ſtatuunt. Concilium prouinciale 3. à ſancto Carolo habitum Tit. quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent. *Qui*, inquit, *ad Confeſſarium, etiam Regularem, in aliena diœceſi commorantem, dedita opera ſe conferens, peccata ſua ſit confeſſus, niſi Confeſſarius ille ab Epiſcopo loci, & à confitentis Ordinario ad confeſſiones audiendas probatus erit, ei tanquam inconfeſſo Parochus Euchariſtiæ Sacramentum ne præbeat. Illius præterea Ordinarius, cujus confeſſionem ille Sacerdos Confeſſarius non probatus, audierit, ne eum patiatur in ſua diœceſi confeſſiones per biennium audire, neque ibidem concionari. Quod Decretum Quadrageſimæ initio à Parocho promulgabitur, quibus locis Epiſcopo videbitur.* Id confirmat Prouinciale 4. aliáque paſſim Italica Concilia ſubſequuta, verbi gratia, Petrus Vſimbardius ann. 1597. in ciuitate vel diœceſi Arretina, neminem confeſſiones Secularium, etiam Sacerdotum, audire permittit, *niſi aut parochiale beneficium obtineat, aut ab Epiſcopo, ſeu ejus Vicario generali, præuio examine, ſcripto fuerit approbatus.* Hieronymus de Federicis Epiſcopus Laudenſis, Gregorij XIII. Nuntius cum facultate Legati à latere, & Viſitator Apoſto-

Digitized by Google

licus in toto Dominio Sabaudiæ Ducis: *Regularium quiſque ne confeſsiones audiat, niſi ab Ordinario, aut ab eo deputato ſcriptis probatus fuerit.* Simon Lunadorus in Synodo Nucerina ann. 1608. Tit. in quibus viri, & loca regularia epiſcopali ſubiaceant juriſdictioni: *Regulares ad audiendas confeſsiones Secularium, etiam Sacerdotum, admitti non debent, niſi prævio examine, & niſi approbationem (quæ gratìs concedetur) ab Ordinario priùs obtineant, mortis articulo excepto.*

Omitto plurima Italica; & venio ad Gallicana. Rhemenſe ann. 1583. *Si quis alieno Sacerdoti voluerit ſua confiteri peccata, licentiam poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote: cùm aliter ipſe illum non poſsit abſoluere, vel ligare.* Aquenſe Concilium ann. 1585. ſequutum Mediolanenſe 4. deſcripta nomina Confeſſariorum approbatorum appendi jubet, & ad Epiſcopum bis quotannis, ſemel ſcilicet ineunte Aduentu, iterum Quadrageſimæ initio, ab vnoquoque Monaſteriorum regulari Præfecto deferri præcipit. Quod quidem argumento eſt, ſingulis Epiſcopis Confeſſarios, in ſua diœceſi operam nauaturos, probatos, & bene cognitos eſſe oportere. Quid plura referam? Conuentus Melodunenſis totius Cleri Gallicani ann. 1579. Rothomagenſe Concilium ann. 1581. Bituricenſe ann. 1584. Tolozanum ann. 1590. Narbonenſe ann. 1609. & alia paſſim omnia Concilium Tridentinum, vel iiſdem, vel non abſimilibus verbis exprimunt.

§. 10.

Approbatum ab Epiſcopo, & ejus ſucceſſore iterum examinari poſſe, & ab eodem rejici.

EX prædicta auctoritatis conditione in approbante, ſententia iſta deducitur. Quandoquidem enim Epiſcopo moriente, vel cedente Epiſcopatu, ceſſat ejus auctoritas; poteſt ſucceſſor approbationes datas à prædeceſſore ſuo irritare: & ſemel ab illo approbatos, iterum ad examen reuocare, quemadmodum expreſsè ſtatuit Pius V. Bulla ſuperiùs à nobis citata: exequitur autem Cardinalis Aldobrandinus in Synodo Rauennati anni 1607. Tit. de pœnitentia num. 11.

Digitized by Google

reuocando quamlibet approbationem, ſi qua à prædeceſſoribus ſuis, non præuio examine, facta foret. Atque hæc eſt ratio cujuſlibet poteſtatis delegatæ, vt delegantis morte extinguatur; niſi fortè coram delegato lis commiſſa pendeat cap. *Relatum*, & cap. *Gratum*, de officio, & poteſtate Iudicis delegati, cap. vltimo §. 1. de officio Legati, lege *Et quia*, ff. de juriſdictione omnium Iudicum. At verò approbatus nudè ab Epiſcopo, recipit tantùm poteſtatem delegatam, non ordinariam in titulo fundatam, quæ debeat eſſe perpetua, & ſtabilis. Neque enim dicere debet aliquis, Regulares eſſe delegatos à Summo Pontifice, non ab Epiſcopo: priuilegia ſiquidem nulli Regulari tribuunt poteſtatem, ſed impedimenta remouent. Nam communi jure Preſbyter, qui non erat Eccleſiæ parochiali adſcriptus, ſed ſibi degebat, non aliis, non erat idoneus, qui ad confeſſiones audiendas aſſumeretur, vt ſuperiùs probauimus: ideóque Monachi Secularium confeſſionibus audiendis nequaquam olim apti erant ex prædictis: per priuilegia verò idonei redduntur, vt ab Epiſcopis per approbationem, ſine cura animarum poteſtatem accipiant. Quod explicat Concilium Tridentinum cap. 15. citato: vbi duplicem poteſtatem pro confeſſionibus audiendis diſtinguit. Vnam, quam omnes Preſbyteri in Ordinatione ſua recipiunt; quam habitualem vocare ſolent Theologi. Alteram actualem, quam nullus, etiam Regularis, habet ad confeſſiones Secularium audiendas, nec ad eas idoneus reputatur, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis idoneus judicetur, & approbationem obtineat. Dat igitur approbatio juriſdictionem, & poteſtatem actualem Regulari ad Secularium confeſſiones audiendas: quam etiam habet Sacerdos ſecularis approbatus, cui nihil deeſt ex parte ipſius, vt confeſſiones audiat: quamuis Parochianis Parocho ſuo ſubjectis deſit poteſtas, vt ei ſe ſubjiciant. quæ conditio non requiritur, vt ſe Regularibus approbatis ſubjicere poſſint: quibus nempe legitimè approbatis, virtute priuilegiorum quilibet in diœceſi, in qua approbati ſunt, ſe ſubjicere poſſunt. Regulares itaque à Summo quidem Pontifice accipiunt

Digitized by Google

priuilegia, ſed ab Epiſcopo duntaxat actualem poteſtatem abſoluendi. Neque enim dici poteſt quòd accipiant poteſtatem à Summo Pontifice conditionatam, poſtquam ſcilicet Epiſcopus eos examinauerit, & probauerit, in actum reducendam: quandoquidem *actus legitimi*, vt emancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, tutoris datio *&c.* ſimiliterque datio Confeſſoris, conditionem non recipiant, neque diem: Regulâ actus legitimi 50. de Regulis juris in ſexto lege *actus*, ff. eodem titulo. lege *& ſi conditionatis*, ff. *de auctoritate tutorum*, c. *Biduum* 2. quæſt. 6. cap. *In electionibus*, de electione, & alibi paſſim. Et ſanè abſurdum eſſet alteri tribuere juriſdictionis dationem, quàm ei, cui diſpoſitionis neceſſariæ judicium tribuitur: cujuſmodi eſt Epiſcopus, ſine cujus judicio, & approbatione confeſſio ex Tridentino nulla declaratur: ea verò accedente, rata habetur. Denique cùm aliàs illa approbatio licentia, poteſtáſque dicatur; per eam vtique dari abſoluendi licentiam, & poteſtatem neceſſum eſt. Epiſcopus ergo eſt, qui delegat Regularem, ipſum approbando: quo proinde moriente ſuſpenditur ejus facultas, donec ſucceſſoris, vel expreſſo, vel tacito conſenſu, approbatio reuiuiſcat. Et certè, ſi ſucceſſori reuocare datas à prædeceſſore ſuo approbationes non liceret, negligentiæ ſui prædeceſſoris mederi non poſſet; quod abſurdum eſt: ergo, vt poteſt Epiſcopus reuocare Officiales à prædeceſſore ſuo conſtitutos, ita & Regulares ab eo ad confeſſiones approbatos. Fauet declaratio Congregationis Cardinalium, inſtitutæ ad ſoluendas quæſtiones ex Concilio Tridentino enatas. Nam iſta Congregatio Ioanni Ribero Archiepiſcopo Valentino quærenti reſpondit, approbatum ab alio, quàm à Valentino Archiepiſcopo, in diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum ab Ordinario: teſte Emanuele Roderico in explicatione Bullæ Cruciatæ §.9. num.5. Quod confirmat Clemens VIII. Bulla data 23. Nouemb. ann. 1597. apud Stephanum Quarantam in ſumma Bullarij, verbo *Confeſſor*.

Circa judicium Epiſcopi, quod approbationem ipſius præcedit, & circa voluntatem ejuſdem aliquem in Confeſ-

ſarium

Digitized by Google

ſarium approbantis, duæ difficultates exurgunt. Prima, an poſſit Epiſcopus judicare aliquem idoneum tantùm eſſe ad certarum perſonarum, certi loci, & ad certum tempus, confeſſiones audiendas. Secunda, an approbationem ſemel abſque vlla reſtrictione datam, Epiſcopus reuocare poſſit, ingratum habendo, quod gratum habuit, & negatam deinceps habendo licentiam, quam conceſſit.

§. II.

Approbationem Regularium ab Epiſcopo reſtrictam dari poſſe.

AD primam quæſtionem reſpondendum erit, Epiſcopis licere approbationem Regularium ad confeſſiones audiendas, prædictis omnibus modis reſtringere. Primò, quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 15. citato, intelligendum eſt de judicio rationabiliter ferendo ab Epiſcopis: At certum eſt judicem conſtitutum ad explorandam capacitatem Regularium in confeſſionibus audiendis, ſi rationabiliter agat, poſſe judicare eorum aliquem idoneum duntaxat eſſe ad audiendas confeſſiones virorum, non feminarum, propter juuentutem ſcilicet, aut caſtitatem nondum probatam, aut nondum perſpectam prudentiam; Monialium autem, præſertim, quia Moniales de perfectione vitæ Chriſtianæ, Regulæ ſuæ, & ſtatus conditionibus inſtruendæ ſunt, & cum iis conuerſatio periculoſior eſt; nec habent ipſæ alios, quàm Confeſſarios ſuos, quibus arcana ſuæ mentis reuelare poſſint. Poteſt quoque judicare idoneum eſſe aliquem difficultatibus reſoluendis, quæ in ruſticorum, ſcholaſticorum, & ciuium ex ſuo viuentium examine occurrunt, quem imperitum judicabit ſoluendarum difficultatum quæ paſſim in confeſſionibus judicum, mercatorum, Clericorum, præſertimque Beneficiatorum ſeſe offerent. Præterea quædam ciuitates vt plurimùm iis perſonis abundant, in quibus audiendis in confeſſione majori examine opus eſt: oppida autem, & vici reperiuntur, in quibus tanta peritia non videtur, vt plurimum, eſſe neceſſaria. Ideo poſſunt judicare Epiſcopi aliquos ad certas perſonas in certis locis audiendas

in confeſſione habiles, qui minùs forent idonei ad alias in aliis locis audiendas. Poteſt quoque Epiſcopus rationabiliter aliquando dubitare de capacitate Regularis præſentati ſibi ad audiendas confeſſiones: in quo quidem dubio judicat non eſſe illum ſimpliciter approbandum, ſed ad tempus tantùm, vt aduertat vtrum aliquos profectus in ſtudiis, & prudentia facturus ſit is, qui omnino mediocris litteraturæ, & prudentiæ videtur. Neceſſitas etiam præſens Confeſſariorum talis eſſe poteſt, vt minùs malos, minùſque peritos habendos ſatius eſſe judicetur, quàm nullos: ideóque tunc temporis conueniens eſt, vt ad tempus iſti probentur; donec vel meliores fiant, vel alij meliores reperiantur, qui prædictorum locum occupent. Quis ergo reprehendere poſſit id ab Epiſcopis fieri, quod Eccleſiæ vtile, quod rationi conſentaneum, quod honeſtum, quod neceſſarium fuerit.

Secundò, poſteriora Concilia id apertè docent. Concilium Mediolanenſe primum, ſub ſancto Carolo, Conſtitutionum parte 2. de iis, quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem: *Prouectâ ætate Confeſſarios eſſe vult, præſertim illos, quibus confeſſiones mulierum erunt audiendæ.* Synodus diœceſana Veneta à Laurentio Priolo Patriarcha ann. 1592. parte 1. cap. 45. *Hactenus*, inquit, *ſtatutum, & obſeruatum eſt in noſtra ciuitate, ne Regulares, qui trigeſimum ſextum ætatis annum non habuerint, mulierum confeſſiones audiant: nos verò hoc idem decernimus, & ſub prædicta ſuſpenſionis pœna inhibemus omnibus Regularibus, 36. annnm non excedentibus, vt à mulierum confeſſionibus penitus abſtineant. Numeroſus ciuitatis populus nos cogit, vt aliquos quandoque Confeſſarios minùs doctos ad certum tempus admittamus, ſperantes, vt coram nobis tranſacto tempore doctiores compareant: eoſdémque nunc admonemus, vt poſt terminum eiſdem præfixum in confeſſionibus audiendis, ſine noſtra licentia ſe non immiſceant: aliàs cenſuras inflictas non effugient. Declaramus præterea per quamcunque Regularium, & Secularium Sacerdotum approbationem pro audiendis confeſſionibus per nos factam, nullam alicui tribuere facultatem Monialium nobis ſubjectarum confeſſiones audiendi, nec vigore quorumcunque priuilegiorum id munus, quoad Moniales*

Digitized by Google

explere poſſe, niſi à nobis ſpecialem licentiam obtinuerit. Quod etiam tempore ampliſſimi Iubilæi obſeruandum eſt, prout à ſacra Cardinalium Congregatione ſuper Regularibus fuit demandatum, pœnâ carceris, & aliis arbitrariis propoſitis. Synodus Nucerina diœceſana habita à Simone Lunadoro anno 1608. de Regularibus: *Regulares*, inquit, *qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipſos cum limitata facultate, prout iiſdem Ordinariis videbitur, probare, & admittere.* Idem variis aliis Conciliis præſcriptum leges.

Tertiò, vſus totius Eccleſiæ Catholicæ huic reſponſioni fauet, quemadmodum fatetur Suares tomo 3. in 3. partem, diſputatione 28. ſeſſ. 7. dubitatione 6. cujus conſuetudinis exemplum habemus in Actis Mediolanenſibus parte 4. tractatu qui inſcribitur *Auertenze al Confeſſori della cita, e dieceſe ſua*, & tractatu alio qui inſcribitur *Auertimenti particolari alli Confeſſarij* &c. *per il Iubileo;* quibus tractatibus monentur Confeſſarij, qui facultatem audiendi confeſſiones ad certum tempus, locum, vel perſonas reſtrictam habent, ne facultatis ſuæ limites excedant. Actorum quoque parte 8. vbi variæ formulæ proponuntur approbandorum Confeſſariorum: notatur ſiquidem eo loci, vt nonniſi Confeſſariis Regularibus primæ claſſis, indefinita quoad locum, confeſſiones audiendi licentia concedatur.

Quartò, idipſum judicatum fuit à ſacra Congregatione Cardinalium in Concilium Tridentinum declaratione data ann. 1587. citata ad marginem in Synodo Nucerina, relata per Confeſſium in Summa tit. 17. cap. 4. in hæc verba: *Regulares, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorúmve Examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporis, certorúmve locorum, aut generis perſonarum admittantur in diœceſi propria. De ceteris verò, qui non adeo idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Qui autem in domibus laicorum confeſſiones ex cauſa audierint, ſtatim Parochum ad-*

Digitized by Google

monere teneantur. Alias infrà declarationes, etiam à Summis Pontificibus probatas vide infrà §. ſequenti.

§. 12.

Approbationem Regularium ab Epiſcopo ex juſta cauſa reuocari poſſe.

QVOD verò ſpectat ad ſecundam quæſtionem; ex juſta cauſa ab eodem qui dedit, reuocari poſſe approbationem, certiſſimum eſt. Primò enim id Summi Pontifices ita definierunt. Vrbanus VIII. apertiſſimè duobus Breuibus, in cauſa controuerſa inter Cardinalem Sandoual Epiſcopum Giennenſem, & Regulares ciuitatis, & diœceſis ipſius. Primum datum eſt Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die 13. Octobris 1627. pontificatus ipſius ann. 5. quo poſt relatam totam controuerſiam: *Nos*, inquit, *inconuenientibus hujuſmodi, juxta creditum nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officium, quantum cum Domino poſſumus, obuiare, téque ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes, ſupplicationibus tuo nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum, conſilio, tibi Religioſis prædictis, ne abſque expreſſa tua licentia, ſacras Confeſſiones de cetero audire, minùſque verbum Dei prædicare audeant & præſumant, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, auctoritate noſtra, inhibendi: eoſdémque ad exhibendum tibi licentias, quas illi deſuper à te, ſiue à prædeceſſoribus tuis Eccleſiæ Giennenſis Præſulibus, vel Adminiſtratoribus obtinuerint, ad hoc vt eas vel confirmes, vel reuoces, prout ad diuini cultus augmentum, & animarum ciuitatis, & diœceſis prædictarum ſalutem, & confirmationem in Domino, expedire judicaueris, cogendi & compellendi facultatem dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur: non obſtantibus quibuſcunque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon prædicti Clementis prædeceſſoris, & quibuſvis aliis priuilegiis in vim Cruciatæ ſanctæ eis quomodolibet competentibus indultis, & litte-*

ris Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſcunque derogatoriarum derogatoriis, aliíſque efficacioribus & inſolitis clauſulis irritantibúſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis &c.

Alterum Breue ab eodem Pontifice datum fuit die 30. Ianuarij ann. 1629. pontificatus ipſius ann. 6. in quo primùm ſtatuit, vt juxta Conſtitutionem Pij V. ſuperiùs citatam poſſint Epiſcopi approbatos à prædeceſſoribus ſuis, iterum præmiſſo etiam nouo examine, approbare. Item, *vt illi quos ipſemet Epiſcopus ad confeſſiones audiendas ſemel admiſit ſimpliciter, ac ſine vlla temporis præfinitione, nullatenus poſſint ab eodem reprobari, ſine noua cauſa, eáque confeſſiones ipſas concernente.* Prætetea, *Quod ſi Regulares, ſiue in confeſſionibus audiendis, ſiue in prædicando aduersùs ea, quæ ſuperiùs declarauit, quoquo modo deliquerint, in vim earumdem præinſertarum litterarum ab Epiſcopo Giennenſi coërceri, & puniri poſſint, etiam cenſuris Eccleſiaſticis* &c. Refert vtrumque breue Auguſtinus Barboſa Iuris Eccleſiaſtici vniuerſi libri 1. cap. 45.

Innocentius quoque X. in cauſa Ioannis Epiſcopi Angelopolitani in Indiis ad iſtam quæſtionem, *An Epiſcopus Regularem pro Confeſſionibus ſemel approbatum, ſine noua cauſa ſuſpendere poſſit ab ipſis confeſſionibus audiendis?* Reſpondit, *Regulares aliàs liberè ab Epiſcopo, præuio examine, approbatos ad audiendas confeſſiones perſonarum ſecularium, ab eodem Epiſcopo ſuſpendi non poſſe, ſine noua cauſa, eâque ad confeſſiones pertinente.* Singula verba hujus Bullæ penſanda ſunt: juxta quæ licet Epiſcopo reuocare approbationem, ſaltem cùm data fuerit abſque præuio examine ſufficienti: cùm non liberè, puta, cum vrgente aliqua neceſſitate, aut meliorum inopiâ: & cùm aliqua cauſa ſuperuenerit, quæ confeſſionem ſpectet, ejuſque adminiſtrationem, puta, ſi qui approbatus fuerit, depræhendatur eſſe imperitus, iners, in inquiſitionibus in iſto Sacramento faciendis imprudens, negligens in inſtructione rudium, ſollicitator ad impudica: item ſi fuerit excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus; ſi reuelator ſecreti. Ob hæc enim, & ſimilia dubioprocul reuocari poteſt approbatio conceſſa.

Digitized by Google

Secundò, juxta regulas ejuſmodi ſeruari debent Declarationes Dominorum Cardinalium præfectorum negotiis Epiſcoporum, & Regularium, quæ & multæ ſunt, & diuerſæ, relatæ ab Auguſtino Barboſa cap. 43. lib. 1. Iuris Eccleſiaſtici. Prima, quæ data refertur 20. Nouemb. ann. 1615. ſtatuit, *Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, ad quos approbandi jus ſpectat, Confeſſarios Regulares aliàs ab ipſis liberè approbatos ab audiendis confeſſionibus ſuſpendere poſthac minimè licere, niſi ex noua cauſa, eâque ad confeſſiones pertinente.* Quæ omnia Innocentius X. ex ea Declaratione deſumpſit. Addit verò, *aut ob non ſeruatum interdictum ab ipſis Ordinariis poſitum:* quæ cauſa generalis eſt, propter quam poſſunt omnes alicujus Monaſterij à confeſſionibus ſuſpendi: qua de re conquerebantur Regulares apud ſacram Congregationem. Circa eandem inſuper querimoniam decernit, *Eoſdem Archiepiſcopos, Epiſcopos, locorúmque Ordinarios confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus Regularibus Confeſſariis, eadem ſancta Congregatione inconſulta, nullo pacto adimere poſſe* (citra nempe caſum interdicti.) Verùm hæc cautela non pertinet vſque ad Gallias, vbi tales Congregationes non habent quicquam auctoritatis.

Altera Declaratio refertur data 19. Martij ann. 1619. in vna Papienſi cauſa. Congregatio autem reſpondit: *Quod conceſſio ad beneplacitum facta quandocunque reuocari poteſt.* Quæ Declaratio Epiſcoporum ampliat poteſtatem: quam nolim inficiari ab Innocentio X. juſtè eſſe reſtrictam, ne vel leuitatis animi Epiſcopi condemnari poſſint, (cùm Principis beneficium deceat eſſe manſurum) vel de infamia notentur Regulares à confeſſionibus amoti, vel denique ex ea mutatione adeo facili confitentium animi ſcrupulis vexentur, & inquietentur.

Per tertiam reſpondit Congregatio ad ſupplicationem Epiſcopi Auriolenſis ann. 1630. die 30. Auguſti: *Epiſcopum, quamuis ſimpliciter, & abſque vlla temporis præfinitione approbauerit Regulares ad confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas; poſſe tamen eoſdem, ſi noua cauſa ſuperueniat, vt ſuprà, ſuſpendere, ac licentias illis conceſſas reuocare: dummodo cauſa hu-*

Digitized by Google

juſmodi confeſsiones ipſas concernat. Ceterùm ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè viuant, vel aliquod delictum committant, propter quod rationabili Epiſcopi judicio videantur à confeſsionibus ſuſpendendi, cùm pracipua Miniſtri qualitas ſit integritas vita, ac morum honeſtas, vtique eam cauſam ad Miniſtrum confeſsionis pertinere, ac proinde nihil obſtare quominus ob eam poſsit Epiſcopus Regulares, vtcunque à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à confeſsionibus audiendis. Quam ſanctæ Congregationis ſententiam Vrbanum Papam, relatam ad ſe, approbauiſſe die 31. ejuſdem menſis, teſtati ſunt Frater Antonius Cardinalis ſancti Honofrij, & P. Fagnanus Secretarius. Notandum verò hac vltima Declaratione explicari quomodo crimina publica & notoria nomine cauſæ ad confeſſionem pertinentis comprehendantur.

Tertiò, Concilium Prouinciale 6. Mediolanenſe ſub ſancto Carolo, approbatum à Gregorio XIII. noſtram concluſionem apertè docet titulo quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent: *Epiſcopus*, inquit, *à confeſsionibus audiendis ſuſpendat, aut omnino amoueat Confeſſarios, etiam Regulares jam approbatos, quos pro ſua timorata conſcientia religione viderit in eo munere non ita ſincerè, integrèque, & cum ædificatione ſe gerere, quemadmodum & tanti miniſterij illis commiſsi ſanctitas poſtulat, & animarum ſalus depoſcit, quæ ſuæ fidei concreditæ ſunt.*

Quartò probatur ex confeſſione ipſorum Regularium, omnium ferè Ordinum, qui publica Declaratione coram Eminentiſſimo Cardinale Richellæo noſtræ concluſioni ſubſcripſerunt. Quam fortè Declarationem cautius quàm neceſſum eſſet, expreſſêre, dum tacitè videntur negaſſe, poſſe Epiſcopos ob crimina publica reuocare approbationem ſuam: ſed duntaxat id facere poſſe, poſtquam Superiores ipſorum Confeſſariorum moniti illos non correxerint; cùm & abſque iſta conditione abſolutam reuocandi licentiam concedant ſuprà Pontifices, & Cardinales; & quantumuis caſtigatos Confeſſarios à confeſſionibus amoueri ſæpe expediat. Ita verò illi in ſua Declaratione Gallica.

Digitized by Google

NOVS ſous-ſignez Religieux de diuers Ordres, tant en noſtre nom, qu'au nom de tous les Religieux de nos Ordres en France, deſquels nous promettons de nous faire auoüer, reconnoiſſons que nous ne deuons, & ne pouuons preſcher la parole de Dieu dans aucun Dioceſe, ſans l'approbation & licence de Noſſeigneurs les Ordinaires, leſquels nous auoüons & reconnoiſſons nous pouuoir examiner, & reuoquer ladite licence, quand bon leur ſemblera. Nous reconnoiſſons auſsi, que nous ne deuons, ny pouuons oüir les confeſsions des perſonnes Seculieres dans leurs Dioceſes, ſans leur approbation, laquelle ils peuuent reuoquer quand bon leur ſemble, pour incapacité notoire, ou ſcandale public. Et pour les autres cauſes qui pourroient ſuruenir importantes à vtilement & dignement adminiſtrer les Sacrements, nous les ſupplions tres-humblement de ne juger ces cauſes qu'apres auoir donné aduis aux Superieurs du ſujet pour lequel leurs Religieux meriteront eſtre reuoquez, afin que s'en eſtant enquis ils y donnent ordre, comme nous eſperons qu'ils feront. Et au cas qu'ils ne le faſſent, Noſſeigneurs les Ordinaires y pourront pouruoir. Fait à Paris le dix-neufieſme Feurier mil ſix cents trente-trois. Ce que deſſus a eſté fait & arreſté en la preſence de Monſeigneur le Cardinal de Richelieu, par nous ſous-ſignez. Ieſuittes, *Louys de la Salle; C. Maillant.* Mathurins, *Louys, General de tout l'Ordre de la Sainte Trinité de la redemption des Captifs.* Carmes de la place Maubert, *Iean Aubin; E. Veſsier.* Iacobins de la ruë ſaint Iacques, *F. Gilles d'Amour, Prieur des Iacobins de ſaint Iacques.* Auguſtins du grand Conuent, *F. Auguſtin Carcat, Prieur du grand Conuent des Auguſtins; F. Claude Ozon, Docteur & Profeſſeur en Theologie.* Cordeliers, *F. Claude le Petit, Gardien des PP. Cordeliers de Paris; F. M. Doles, Profeſſeur en Theologie; F. I. Chaſtel, Docteur & Profeſſeur en Theologie; Gouneau, Procureur du grand Conuent des Cordeliers.* Carmes Deſchauſſez, *F. Bernard de ſaint Ioſeph, Prouincial des Carmes Déchauſſez de France; F. Seraphin de ſaint François, Vicaire du Conuent des Carmes Déchauſſez du faux-bourg ſaint Germain. Et autres des Ordres des Iacobins reformez du faux-bourg ſaint Honoré, Auguſtins reformez du faux-bourg S. Germain, Auguſtins Deſchauſſez, Feüillants, Minimes & Recollets.*

Hanc

Digitized by Google

Hanc declarationem ſic Latinè tradimus:

NOS ſubſignati Religioſi ex diuerſis Ordinibus, tam noſtro nomine, quàm omnium Religioſorum noſtrorum Ordinum in Francia, à quibus nos rahabitionem obtenturos promittimus; profitemur nos non debere, nec poſſe prædicare verbum Dei in vlla diœceſi abſque approbatione, & licentia Dominorum noſtrorum Ordinariorum: à quibus admittimus, & recognoſcimus nos ad eam licentiam obtinendam examinari poſſe, eandémque licentiam ab iiſdem pro ipſorum voluntate poſſe reuocari. Profitemur etiam nos non debere, nec poſſe audire confeſsiones Secularium in ipſorum diœceſibus, abſque ipſorum approbatione: quam reuocare poſſunt quando eis videtur, propter incapacitatem notoriam, aut ſcandalum publicum, aut alias cauſas, quæ accidere poſſent, pertinentes ad vtilem & dignam Sacramentorum adminiſtrationem. A quibus cauſis dijudicandis vt abſtineant, ſuppliciter petimus, niſi poſtquam Superiores monuerint de rationibus, ob quas mereantur Religioſi ſibi ſubditi, iſtam reuocationem; vt cùm eas Superiores reſciuerint, prouideant: quod ſperamus facturos. Si verò non prouiderint, Domini noſtri Ordinarÿ prouidere poterunt. Actum Pariſiis die 19. Februarÿ ann. 1633. Hoc factum & concluſum fuit in præſentia Domini noſtri Cardinalis Richelæi, per nos ſubſignatos. A nominibus referendis abſtinemus.

Quintò denique, hac ratione illuſtratur veritas à nobis tot teſtimoniis jam comprobata. Si quia ſanitas corporum maximi momenti, ac ponderis cenſeri debet, jure permittitur, vt Medicus ſemel probatus, reprobetur; lege, *vt gradatim*, §. *reprobari*, ff. *de muneribus & honoribus*: ne videlicet imperiti Medici approbatio nocumentum ægrotantibus ſit allatura: nonne cùm animarum cura majoris ſit pretij, quàm corporum, potiori ratione poterit Epiſcopus approbationem Confeſſarij, quem minimè idoneum eſſe reperit, iuſtè reprobare? ne videlicet indigni alicujus ſeſe confeſſionibus excipiendis immiſcentis approbationem tolerans, reus ſit omnium, quæ perperam, vel nefariè, aut imprudenter contra Sacramenti ſanctitatem, integritatem, aut validitatem commiſerit.

Digitized by Google

Duo ſunt, quæ in contrarium objiciuntur. Primum Regula 21. Iuris in 6. titulo de Regulis Iuris, *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt.* Quæ quidem Regula variis in locis in vtroque Iure tum Ciuili, tum Canonico probata eſt & confirmata. Inde enim concludunt Confeſſarium ſemel approbatum non poſſe reuocari. Secundò objicitur Bulla Pij V. duplex; vna edita ann. 1567. quæ eſt 41. in Bullario Cherubini, §. *Quod verò: Statuimus,* inquit, *quòd ille qui ſemel in vna diœceſi admiſſus per Epiſcopum fuerit, ſemper in eadem diœceſi habeatur pro admiſſo, nec ampliùs examinari, vel præſentari in dicta diœceſi debeat.* Altera, edita ann. 1571. quæ eſt 133. in dicto Bullario, in qua §. 2. hæc habentur: *Volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopo in ciuitate, & diœceſibus ſuis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari.*

Reſpondeo ad primum, Regulam 21. Iuris allatam ex lib. 6. innumeras ferè exceptiones pati, vt conſtat ex prædictis. Sed maximè excipiuntur caſus omnes, in quibus à Iure permittitur pœnitere, vel variare; quorum innumera exempla profert Gloſſa ibidem. Secundò, excipiuntur illi qui improbantur à jure, Gloſſa ibidem. Tertiò, exceptio eſt cùm ea quæ placuerunt ſcienter non placuerunt, ſed per errorem facti. Quartò, cùm noua cauſa contingit, quæ pœnitentiæ & reuocationi dat locum. Quæ omnes exceptiones hoc in negotio locum habent. Primùm enim licere Epiſcopo poſitis conditionibus explicatis, pœnitere, mentémque mutare, variis Conſtitutionibus Iuris probauimus. Secundò, improbatur à jure, quòd Ineptus Confeſſarius confeſſionibus audiendis vacet: nam & id Iure diuino interdicitur, ac proinde ne particeps ſit iſtius criminis Epiſcopus, pœnitere poteſt. Et quandoquidem commiſſio Confeſſarij eſt tantùm delegatio, quæ naturâ ſuâ non exigit vt ſit ſtabilis, ideo non ſolùm imperiti, vel indigni Confeſſarij poteſt reuocare approbationem, verùm etiam debet. Tertiò ex errore facti ſæpe accidit, vt quoad mores quidem indignus Epiſcopo præſentetur, ac proinde vbi ſe deceptum nouerit, reuocare approbationem regula iſta non vetat. Denique ſæpiſſime

Digitized by Google

pariter nouæ cauſæ emergunt, ob quas qui videbatur dignus, redditur, & detegitur indignus; atque adeo Epiſcopus, vt conſcientiæ ſuæ ſatisfaciat, poterit approbationem ſuperiùs factam reuocare. Hæ autem exceptiones rectè congruunt Legibus & Canonibus, qui dictam Regulam firmare videntur.

Neutra verò Bulla Pij V. poteſt eſſe rationabile fundamentum, propter quod deterreatur Epiſcopus à reuocatione approbationis conceſſæ Regulari; ſi aliàs cauſæ ejus reuocandæ ſuperiùs explicatæ occurrant. Nam ea quæ eſt quadrageſima prima magni Bullarij, quæ incipit, *Et ſi Mendicantium*, reuocata eſt ab ipſo Pio V. Conſtitutione 133. quæ incipit, *Romani*. Prior ſiquidem ſemel approbatum etiam à prædeceſſore Epiſcopi amoueri à confeſſione per ſucceſſorem prohibebat: poſterior autem permittit, ſed approbatum negat poſſe iterum examinari ab eodem, qui approbauerit; ſecundùm quam etiam partem à Gregorio XIII. Conſtitutione 9. quæ incipit, *In tanta rerum*, reuocata eſt & reducta ad terminos Concilij Tridentini, & Iuris communis: nullámque haberi vult Gregorius XIII. rationem prædictarum Conſtitutionum, ac ſi non emanaſſent: ſed contenta in iis Bullis, & diſpoſita, ex Iure veteri, vel ex Concilij Tridentini Decretis judicanda ſtatuit. Præterea Vrbanus VIII. & Innocentius X. cùm aliter judicauerint, quàm Pius V. ex prædictis; eorum poſteriores ſanctiones prædicti Pij V. Conſtitutionibus vim omnem adimunt.

ARTICVLVS VII.

ET quoniam ſæpiſſimè Religioſi Indulta, & Priuilegia à ſua Sanctitate obtinent, vi quorum, abſque Epiſcopi diœceſani licentia, à crimine hæreſeos abſoluere præſumunt, & ab aliis Summo Pontifici, & Epiſcopis reſeruatis, diſpenſationem quoque ab irregularitatibus audent ſibi vindicare.

Digitized by Google

Declaramus, quòd prædicti Religioſi à talibus caſibus abſoluere non poterunt, niſi indulta Epiſcopo diœceſano præmonſtrarint, eáque Epiſcopus tanquam bona, & valida recognouerit; exceptis tamen indultis ſecretis Pœnitentiariæ Romanæ.

Commentarius ad Articulum ſeptimum.

CASVS aliquos tam Epiſcopis quàm Summo Pontifici Iure reſeruatos eſſe, ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. *Quoniam igitur*, inquit, *natura, & ratio judicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſsimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, Sanctiſsimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam, & grauiora crimina, non à quibuſuis, ſed à Summis duntaxat Sacerdotibus, abſoluerentur: vnde meritò Pontifices Maximi, pro ſuprema poteſtate, ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari judicio reſeruare. Neque dubitandum eſt, quando omnia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus, in ſua cuique diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat, pro illis in ſubditos tradita ſuprà reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſeruationem conſonum eſt diuinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Veruntamen piè admodùm, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei, ſemper cuſtoditum fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoſlibet pænitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt: extra quem articulum, Sacerdotes, cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pænitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, vt legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant.*

Digitized by Google

Reſeruationem caſuum nonnullorum Epiſcopis, jam olim agnitam ſuprà oſtendimus, dum crimina omnia publica Epiſcopis reſeruata eſſe demonſtrauimus: neque grauiorum peccatorum reos conſueuiſſe abſolui, præterquam ab Epiſcopis, vel de eorum licentia: præcipuè verò ſolennes pœnitentium reconciliationes, quæ in Miſſa fiebant, Epiſcopis reſeruabantur, vt ſuprà notauimus. Quin etiam occulta quædam crimina propter ſui grauitatem, Epiſcopis reſeruari veteris moris fuit. De quibus videtur intelligi Concilium Eliberitanum c. 32. *Apud Presbyterum, ſi quis graui lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, ſed potiùs apud Epiſcopum: cogente tamen infirmitate, neceſſe eſt Presbyterum communionem præſtare, debere & Diaconum, ſi ei juſſerit Sacerdos.* Sic Sodomia in Concilio Londonienſi 2. ſub Paſchali II. declaratur caſus Epiſcopo reſeruatus. Plura etiam alia, quantumuis occulta peccata, plures Canones reſeruata eſſe Epiſcopis docent. Imo Cæſarius Arelatenſis homilia 1. quædam peccata in corde ſolùm commiſſa enumerans: *Hæc,* inquit, *& ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi & mediocri, ſcilicet ſecreta ſatisfactione non poſſunt; ſed graues cauſæ grauiores, & acriores, & publicas ſatisfactiones requirunt.* Reuelari etiam aliquando occulta juſſum fuiſſe docent Origenes homiliâ 2. in Pſalmum 37. Socrates lib. 5. cap. 19. Auguſtinus homiliâ vltimâ inter quinquaginta, Proſper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7. Ambroſius ſermone exhortatorio ad pœnitentiam cap. 8. & in Pſalmum 37. Irenæus lib. 1. cap. 9. Euſebius lib. 6. cap. 8. ſiue 9. lib. 7. cap. 6. & alij paſſim. At verò vbi crimina publicè reuelabantur, ad Epiſcopum veniendum erat.

Origo autem reſeruationis caſuum Summo Pontifici oritur ex variis cauſis. 1° ex appellatione ad ipſum Summum Pontificem, & confirmatione Sententiæ Epiſcopi inferioris per ipſum facta. Appellationes ab excommunicatione lata ab Epiſcopis ad Summum Pontificem ab initio Eccleſiæ fuerunt, qua de re non eſt differendi locus: ideóque appellantes ad Apoſtolicam Sedem, ibidémque damnatos, apud ipſam pœnitentiam agere ſolitos pluribus paſſim exemplis doce-

Digitized by Google

tur. Cerdo Romæ detectus hæreticus, ab agmine Chriſtianorum pulſus eſt, teſte Tertulliano lib. 3. contra Marcionem. Marcion ſub Epiſcopatu Eleutheri ob inquietam ſemper curioſitatem quâ Fratres quoque vitiabat, ſemel & iterum ejectus, pœnitentiam confeſſus, vltimò rejectus, eodem teſte, de præſcriptionibus cap. 30. Montanus ab Eleuthero parùm abfuit quin reconciliationem obtineret, niſi detectus à praxea fuiſſet, eodem teſte aduersùs praxeam cap. 1. Natalius Pſeudo-Epiſcopus conſtitutus, ab hæreſi redux à Zephyrino Papa abſoluitur apud Euſebium lib. 5. cap. 28. Theodotus Coriarius ejuſdem in hæreſi prædeceſſor à Victore Chriſtianâ communione interdictus eſt, apud eundem cap. præcedenti. Origenes Romam, ſiue à Fabiano Pontifice vocatus, ſiue ſponte, crimen purgaturus venit, teſte Euſebio, lib. 6. cap. 29. Idem mos jugiter in Eccleſia ſeruatus eſt. Similiter & damnati ab Epiſcopis ſolebant deinde ab Epiſcopo Romano damnari, verbi gratia Priuatum veterem hæreticum in Lambeſitana Colonia ante multos ferè annos ob multa & grauia delicta ſententiâ condemnatum, poſtquam à Donato Carthaginenſi prædeceſſore Cypriani notatus fuiſſet ſeueriſſimè, Fabiani quoque prædeceſſoris Cornelij litteris notatum tradit Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium. Atque id tum exoptatum fuiſſe ad confirmationem Epiſcopalium ſententiarum oſtendit Goffridus Vindocinenſis lib. 1. epiſt. 12. Hincque fiebat, vt quia ligati à Summo Pontifice ab inferiore ſolui non poterant, alicujus abſolutio eidem reſeruata videretur. Quòd autem à Superiore ligati, non poſſent ab inferiore ſolui, patet non ſolùm ex Iure gentium, quod ab omnibus gentibus obſeruatur; ſed & Eccleſiaſticis legibus obſeruandum ſtatuitur, vt patet ex Clementis epiſt. 1. Marcellini epiſt. 2. Iulij epiſt. 2. c. 36. Gelaſij epiſt. 3. in tomo de anathematis vinculo, & epiſt. 4. Nicolai epiſt. ad Michaëlem Imperatorem ante medium; Adriani II. in Synodo Romana alloquutione 3. poſt medium, relata in Synodo 8. generali actione 7. & alibi paſſim.

Secundò, minuendæ ſententiæ causâ ſolebant etiam ad Summum Pontificem aliquando pœnitentes recurrere. Nam

Digitized by Google

cùm antiqua circa pœnitentes diſciplina ſeruari ſoleret, qui pœnitentias imminui cupiebant, ad Apoſtolicam Sedem, quæ, tanquam ſuprema, pœnitentias minuere & indulgere poterat, recurrebant. Ipſe autem Summus Pontifex pœnam minuendo, & de reliquo indulgentiam tribuendo, nonnunquam abſoluebat, & nonnunquam ad Epiſcopos remittebat. Sic teſtantur epiſtolæ 12. 15. 62. Ioannis VIII. homicidas ad Sedem Apoſtolicam recurrere ſolitos: quos tamen Ioannes abſoluere ipſe noluit, ſed pro illis apud ſuos Epiſcopos interceſſit. Nicolaus I. Rhotaldo Epiſcopo Eccleſiæ Argentinenſis ſcribens, refert ad ſe veniſſe matricidam aliquem, per quem reſcribit ad Epiſcopum pœnitentiam ei à ſe impoſitam, quatenus nempe ab eo obſeruaretur, vtrùm eam ſedulò obſeruaret; ita tamen, *vt ſi illius conuerſionem, & lacrymarum fontem in omnibus videret floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humaniùs circa eum epiſcopalis ſollicitudo peruigil appareret, mitiſque omnibus demonſtraretur*, vt habetur cap. *Latorem* 33. quæſt. 2. Leges eadem quæſt. c. *Admonere* Stephani V. ſententiam circa Haſtulphum quendam, qui Romam pro pœnitentia venerat, ſatis vtique grauem. Iuo quoque Carnotenſis part. 10. c. 33. refert ad Nicolaum I. accurriſſe Wimarum infelicem patrem trium filiorum Necatorem, ab eóque pœnitentiam accepiſſe. Nicolai epiſt. refertur tomo 3. Conc. Gall. ann. 861. Ann. quoque 919. ſedente Ioanne X. Henricus eo nomine I. Germaniæ Rex, citatus ad Synodum à Sigiſmundo Alberſtatenſi Epiſcopo, quod virginem velatam duxiſſet vxorem, non comparuit, quia intercedente Conrado Imperatore, qui eum ſibi ſucceſſorem deſtinauerat, res vlteriùs progreſſa non fuit. Sed ablegata femina pœnitens Romam pedibus petiit. Sic Bodo, & Henricus Conradi Epiſcopi Herbipolenſis homicidæ Innocentium III. pœnitentes adierunt, grauémque pœnitentiam ab eo ſuſceperunt, inquit Tritemius in Chronico Hirſaugienſi. Sic ſanctum Laurentium Dublinenſem incontinentes ad Papam rejeciſſe habemus apud Surium, die 14. Martij, cap. 23. vitæ ipſius. In quibus, ſimilibúſque exemplis ducebantur his rationibus nonnunquam Epiſcopi, vt

Digitized by Google

Romam ſibi ſubditos vel mitterent, vel proficiſci cupientes dimitterent liberiùs. 1° Quia majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre conſuetum erat, ex antiqua, & recepta regula : cui fauent epiſtolæ plurimæ dubiæ quidem fidei, nempe eorum Pontificum qui ſederunt vſque ad Siricium : ſed & aliæ majoris auctoritatis fauent, ſcilicet Innocentij I. ad Victricium Rothomagenſem epiſt. 2. c. 3. Leonis epiſt. 82. in præfatione, & c.7. atque 11. item epiſt. 85. ad Epiſcopos Mauritaniæ c. 5. Quas tamen epiſtolas memineris non ab omnibus eodem modo numerari. Vigilij epiſt. vnica c, 7. Pelagij II. epiſt. 1. in fine. Zachariæ epiſt.6. ad Bonifacium Moguntinum. Nicolai ad Conſulta Bulgarorum cap. 106. & aliorum paſſim. Vnde & Bonifacius Moguntinus Gregorium III. certis homicidiis quæ pœna imponenda eſſet interrogauit, tomo 3. Concil. Galliæ anno 738. 2° Quòd profectio Romana pars eſſet quædam pœnitentiæ, & ſatisfactionis. Nam peregrinationem in ſatisfactionem impoſitam, & acceptam, præſertim eam, quæ pedibus fieret, conſtat, vel ex ipſa epiſt. Summi Pontificis Nicolai I. ad Hincmarum Rhemenſem, tomo 3. Conciliorum Galliæ ann. 867. qua quidpiam indulſiſſe de pœnitentia teſtatur his verbis, *vſque ad mortem pænitentiæ ejus quantitas extendi debuerat, ſed deuotionem ejus fidei conſiderantes, ſiue quia ad ſuffragia Apoſtolorum feſtinauerit, humaniùs cum illo peregimus.* Indulſiſſe quoque prædicto Wimaro interfectori trium filiorum teſtatur Nicolaus epiſt. ſuperiùs citata. Propter hanc cauſam Iuo Carnotenſis epiſt. ad Rogerium Rom. Eccleſiæ Cardinalem, refert ſe Simonem de Melfa, qui vxori ſuæ mulierem ſuperinduxerat, eâ mortuâ, criminis pœnitentem, & ab Iuone abſolutionem petentem Romam ad Pontificem remiſiſſe, &, vt ibidem ſcribit : *Dediſſe ei litteras ſeriem ejus cauſæ continentes ad Dominum Papam, vt cognitâ veritate, quod inde vellet, ordinaret, & mihi remandaret.*

Pœnitentes verò, non ſolùm, pœnitentiæ minuendæ cauſâ, ſed & deuotionis erga Sedem Apoſtolicam, & Apoſtolorum ſepulcra Romam olim proficiſcebantur : ſic ſanctus Guillelmus Pictauiæ Dux à ſancto Bernardo admonitus, contritione

Digitized by Google

contritione delictorum perculſus, ad Eugenium III. veniſſe ad remiſſionem peccatorum obtinendam, refertur ab auctore vitæ ipſius apud Surium. Scilicet cenſebant aliqui magna ſua peccata magnis interceſſoribus indigere, & atrociſſima crimina maximam requirere auctoritatem, qua remitterentur, Deóque reconciliarentur.

Sed quoniam cenſebant aliqui ſufficere Romanam profectionem ad abſolutionis beneficium obtinendum, ideo ad correctionem iſtius abuſus, Concilium Cabilonenſe 2. ſub Leone III. c. 45. damnauit eos qui talia credunt: remittitque ejuſmodi homines, nempe, qui vel cupiditate ducti, vel impunitate allecti, vel vt materiam haberent mendicandi, Romam, Turonum, aliáve loca ſub prætextu orationis pergebant, ad ſuos Sacerdotes, in quorum Parochiis, id eſt diœceſibus, verſantur, peccata ſua confeſſuri; vt, ſi poſtea *confeſſi, ab iis agendæ pœnitentiæ conſilium acceperint, & orationibus inſiſtendo, eleemoſynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apoſtolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum inuiſere deſiderant, horum deuotio modis omnibus collaudanda ſit.* Similiter Concilium Salegunſtadienſe ann. 1023. c. 18. abuſui iſti medetur, ſtatuens, vt *talis indulgentia illis non proſit, ſed priùs juxta modum delicti, pœnitentiam ſibi datam à ſuis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire, ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam, & litteras ad Apoſtolicum de iiſdem rebus deferendas accipiant.* Sanè pœnitentes pro hac cauſa proficiſcentes Romam litteras accepiſſe à ſuis propriis Epiſcopis, tum ex præcedentibus innoteſcit, tum etiam ex veteri more diutiſſimè ab Eccleſia retento ab Apoſtolorum tempore, vt nec laici ſine litteris dimiſſoriis Epiſcopi proprij peregrinari præſumerent, aut ab vlla Eccleſia admitterentur. Quod etiam comprobant Acta Concilij Lemouicenſis ann. 1034. celebrati: in quibus Pontifex ita reſcripſiſſe refertur ad Aruernenſem Epiſcopum: *Debueras certè mihi, antequam illa ouis morbida Romam venerit, ejus cauſam tuis innoteſcere apicibus, vt eam omnimodè abjicerem, tuámque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus Conſacerdotibus meis vbique terrarum adjutorem*

Digitized by Google

me, & conſulatorem potiùs eſſe, quàm contradictorem &c. In iiſdem quoque Actis habetur mentio Epiſtolæ Epiſcopi Engoliſmenſis ad Pontificem; ſed cujus nulla ratio habetur, quia ſubreptitia judicata eſt. Hinc etiam Fulbertus Carnotenſis ſcripſit ad Ioannem Pontificem ann. 1020. ne in communionem reciperet Comitem Rodulphum à ſe ob direptas res Eccleſiæ, & Clericos interfectos, excommunicatum, qui ad limina ſancti Petri contendebat, tanquam de peccatis abſolutionem obtenturus.

Tertiò, majora etiam quædam crimina, ſiue ex conſuetudine, ſiue à lege, ſicut Patriarchis, ita & Summo Pontifici Occidentis Patriarchæ, & ſupra Patriarchas conſtituto, reſeruata ſunt. Refert Syneſius ad Patriarcham Alexandrinum Lamponianum quendam pro obtinenda pœnitentia remiſſum, eo quòd injuriarum aduersùs Iaſonem conuictus eſſet: cui reſeruationi quantùm detulerit, his verbis oſtendit epiſt. 67. ad Theophilum: *Quanquam ex animi pœnitentia illachrymauit, & ſupplex eum populus condonari ſibi petiit; ſed ego in iis, quæ ſemel decreueram perſeueraui. Soluendi autem jus, atque auctoritatem ad pontificiam Sedem rejeci. Tantulum hoc ergo mihi ſumpſi, ſi Lamponiano fatalis neceſſitas immineret, & præſtituta mortis dies adeſſe videretur, tum omnibus qui eo tempore intereſſent, Presbyteris conceſſi, vt eum in communionem Eccleſiæ reciperent. Nullus enim quantum in me erit, Eccleſiaſticis vinculis obſtrictus moriatur. Sin conualuerit, rurſus iiſdem pœnis teneatur, atque à diuina & humaniſſima anima tua veniæ teſſeram expectet.*

Iuſtinianus Nouella 141. cap. vnico oſtendit peccatum Sodomiæ Patriarchæ Conſtantinopolitano reſeruatum, his verbis: *Qui verò hoc morbi genere contabuerunt; illi non ſolùm de cetero peccare deſinant, ſed etiam ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant, & morbum beatiſſimo Patriarchæ renuntient, rationémque curationis percipiant, & (prout ſcriptum eſt) fructus producant pœnitentiæ, vt benignus Deus pro opulentia miſerationum ſuarum, dignetur nos quoque benignitate: & omnes illi agamus gratias de pœnitentium ſalute, quos modo juſſimus, vt etiam Magiſtratus perſequerentur, conciliantes ſibi Deum, qui*

Digitized by Google

meritò nobis iraſcitur. Equidem, quoniam iſta Conſtitutio Conſtantinopolitanis ſcribitur, ideo pro certiſſimo fortè argumento non eſt, ex vnaquaque diœceſi ſubdita Patriarchæ Conſtantinopolitano, ſingulos ad ipſum Patriarcham pro iſto crimine recurrere debuiſſe, ſed Conſtantinopolitanos duntaxat. Quia tamen in corpore Conſtitutionis non diſtinguitur inter Conſtantinopolitanos & alios ſubditos Patriarchatui Conſtantinopolitano, ejúſve exarcatui; ideo probabile argumentum deducitur per vniuerſam Patriarchatus ditionem Eccleſiaſticam, hoc crimen Patriarchæ Conſtantinopolitano fuiſſe reſeruatum.

Ea tamen fuit Romanorum Pontificum moderatio prioribus ſeculis, vt præter Epiſcoporum crimina depoſitione digna, quæ vltimo judicio nonniſi à Summis Pontificibus judicari poterant, quemadmodum ſtatuitur in Concilio Sardicenſi cap. 3. & 4. in Græca & in Latina editione c. 4. & 5. & vt probant exempla Neſtorij à Cyrillo Alexandrino nomine & auctoritate Cæleſtini I. damnati, & Ioannis Antiocheni rejecti ad judicium Romani Pontificis, pauca alia ſibi reſeruauerint. Poſterioribus verò temporibus plura alia habemus in Decretis reſeruata. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio II. c. 15. ſtatuit, vt *ſi quis ſuadente diabolo, hujus ſacrilegij reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere, niſi mortis vrgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.* Qui canon nouem poſt annis confirmatus eſt in Concilio Rhemenſi, cui præſidebat Eugenius III. Pontifex in Gallia tunc temporis commorans, & retulit in Decretum ſuum Gratianus XVII. quæſt. 4. c. 29. Sequuta ſunt deinde plurima Decreta Summorum Pontificum, quibus ſibi plurima alia reſeruarunt: verbi gratia, Innocentius III. reſeruauit ſibi crimen falſationis, ſeu adulterationis litterarum Apoſtolicarum cap. 4. de crimine falſi. Clemens III. Eccleſiarum incendiarios, direptores, ſpoliatores ſuo judicio reſeruauit cap. 19. & 22. de Sententia excommunicationis. Quibus varios alios caſus addiderunt ſequentes Ponti-

Digitized by Google

ſices expreſſos in Bulla de Cœna Domini, ac in nonnullis Gallicis Synodis quas tranſcripſit Bochellus lib.2. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ tit.13.

Verùm hac de re non eſt quæſtio, ſed præcipuè vtrùm Regulares priuilegium aliquod habeant conſuetum,& ordinarium, ſtatim atque approbati ſunt ab Epiſcopis, vt à caſibus reſeruatis vel Epiſcopo, vel Summo Pontifici,abſoluere poſſint. Certiſſimum videtur primis temporibus, quibus Summi Pontifices cœperunt aliqua ſibi crimina ſpecialiter reſeruare, nequaquam ipſos committere conſueuiſſe hanc poteſtatem aliis, præſertim extra Romam conſtitutis. Nam odioſa videbatur iſta reſeruatio, quæ judicium ſubripiebat Epiſcopis de ouibus ſuis, quæque diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſeueritatem relaxatione, & indulgentiâ molliebat. De qua conquerens Richardus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ita olim ſcribebat: *Porro Clerici, vel Epiſcopi occiſores Romam mittuntur, euntéſque in delitiis cum plenitudine Apoſtolicæ gratiæ, & majore delinquendi audacia reuertuntur*: ac proinde prudentiores erant Romani Pontifices, quàm vt querimoniæ cauſam grauiorem darent; quam vtique ſuppeditaſſent, ſi in ipſis partibus, in quibus rei verſantur delegatos aliquos conſtituiſſent. Quin immo ad Epiſcopos ſcribentes de reconciliatione ab ipſis indulta pœnitentibus, exaggerabant peregrinationis difficultates, itineris moleſtias, & pœnitendi perſeuerantiam: quæ omnes cauſæ prætentæ à Pontificibus, nullæ fuiſſent, ſi in partibus aliquos committere ſoliti fuiſſent, qui ab iſtis criminibus reſeruatis abſoluere potuiſſent. Mouiſſent quoque Epiſcopos ad inuidiam aduersùs eos, qui eorum locum ſibi vſurpaſſent, & auctoritatem arrogaſſent, licèt in inferiore dignitate conſtituti: cùm econtra prætexerent Summi Pontifices hanc reſeruationem inſtitutam eſſe ob deuotionem ac pietatem erga Apoſtolorum ſepulcra, & ob venerationem exhibendam Summo Pontifici, tanquam Eccleſiæ capiti, atque ob eam decentiam, vt major Sedes pro majoribus criminibus adiretur. Notentur hanc in rem verba Alexandri II. in Concilio Lateranenſi ſuprà relata, *donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat*: quæ certè

Digitized by Google

aditionem ipſius Romani Pontificis deſiderant, nec de paſſim obuio ac facilè parabili Sacerdote intelligi poſſunt.

Alexander III. graues cauſas allegat, propter quas Epiſcopos Londonienſem, & Saliſberienſem ab iſto onere, Romam adeundi excuſet, & Epiſcopos viciniores adeundos præſcribat, ſi fieri poſſit. Rem totam refert Rogerius in Annalibus Anglicis ad annum 1172. ſcilicet Epiſcopos prædictos Thomam Archiepiſcopum excommunicaſſe: criminis poſtea, mortuo Thoma, pœnituiſſe, ac de ſua pœnitentia monuiſſe Pontificem ſenium, & debilitatem cauſantes, quominus Romam accederent: cum verò Epiſcopos Bituricenſem, & Niuernenſem ad eos abſoluendos delegaſſe; ea tamen conditione, vt ſi fieri poſſet, ad illos venirent rei. Idem Rogerius ann. 1188. Hugonem S. Andreæ, Epiſcopum refert anathemate percuſſum, Romam iuiſſe, & à Clemente III. abſolutum paucis diebus ſuperuixiſſe. Hic tamen Clemens III. ad honorem & dignitatem Legatorum à latere Summi Pontificis ſcribit alicui cap. *ad Eminentiam*, tit. de Sententia excommunicationis, *vt eas habeat abſque omni hæſitationis ſcrupulo abſolutos, quos conſtiterit à talibus beneficium abſolutionis adeptos.*

Prædictæ verò rationes mouere adhuc poſſunt Romanos Pontifices, vt non facilè à caſibus, aut ſibi, aut ipſis Epiſcopis reſeruatis, abſolutionem concedant; quam quidem Regularibus indiſtinctè, & indefinitè vnquam conceſſam non legimus. Quin immo expreſsè ademptam & denegatam. Nam, verbi gratia, Clemens IV. an. 1. Pontif. id eſt 1265. abſoluendi poteſtatem Regularibus conceſſit, *illis caſibus exceptis, qui de jure, conſuetudine, ſeu retentione ab eis ſpecialiter relinquuntur: ad quos*, inquit, *non licet vos manus extendere, niſi vobis ſpecialiter committatur.* Refertur tractatu 2. Bulla *Quidam temerè*, fol. 64. libro, qui inſcribitur fundamenta trium Ordinum. Bonifacius VIII. Bulla *Super Cathedram*, relata in Clementina *Dudum*, de ſupulturis, eatenus priuilegia Regularium probat, vt tamen adjungat hæc verba, quibus nullam ſe eis ſpecialem gratiam abſoluendi à caſibus reſeruatis oſtendit: *Per hujuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus per-*

Digitized by Google

ſonis, ſeu fratribus ipſis ad id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus eſt à jure conceſſa: niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam.

Similiter Benedictus XI. Extrauag. *Inter cunctas*, titulo de priuilegiis inter communes, eandem conditionem ſtatuit: cui addit: *Sícque de caſibus Epiſcopis, & Superioribus, quos inferiùs annotamus, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſe nullatenus intromittant.* Clemens V. in Concilio Viennenſi eadem adjecta conditione quæ eſt Bonifacij VIII. ejus Conſtitutionem approbauit Clementina *Dudum*, de ſepulturis. Quinimmo & grauiùs animaduertit in eos, qui à caſibus reſeruatis abſoluere præſumerent in eodem Concilio, Clementina *Religioſi*, titulo de priuilegiis & exceſſibus priuilegiatorum: *Religioſi*, inquit, *qui excommunicato à Canone præterquam in caſibus à jure expreſſis, vel per priuilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis eiſdem, vel à Sententiis per Statuta prouincialia aut Synodalia promulgatis, ſeu, (vt verbis eorum vtamur) à pœna & culpa abſoluere quemquam præſumpſerint: excommunicationis incurrant ſententiam, ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam duntaxat abſoluendi; quos etiam locorum Ordinarij (poſtquam de hoc eis conſtiterit) excommunicatos faciant publicè nunciari; donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides, nullo Religioſis eiſdem ſuper hoc exemptionis, vel alio priuilegio ſuffragante.*

Interpretari verò debemus qui ſint caſus reſeruati, qui excipiuntur eâ Clementinâ, vt ab iis Regulares poſſint abſoluere. 1° ergo, Caſus à jure expreſſi, à quibus abſoluere poſſint Regulares aliqui, puta Abbas Monachos ſuos, habentur canone *Monachi*, de ſententia excommunicationis, quo ſtatuitur, vt *Monachi, & Canonici Regulares, quocunque modo ſe in clauſtro percuſſerint, non ſunt ad Apoſtolicam Sedem mittendi: ſed ſecundùm prouidentiam ſui Abbatis diſciplinæ ſubdantur: & ſi diſcretio Abbatis non ſufficit, ad eorum correctionem eſt prouidentia diœceſani Epiſcopi adhibenda.* Et canone, *Cum illorum*, eodem titulo: quo quidem plura alia circa percuſſionem factam à Monacho ſtatuuntur *In Religionis fauorem, & vt euagandi materia ſubtrahatur Regularibus:* puta quod eis

Digitized by Google

abſolutionis beneficium Prælati ipſorum in pluribus caſibus aliter quàm prædeceſſor ejus ſtatuerat, impertiri poſſint. 2°. Regulares etiam poſſunt abſoluere ab excommunicatione per ipſos prolata. Abbas, verbi gratia, Monachum ſuum abſoluere poteſt ab excommunicatione quam ipſe tulit, cap. *Paſtoralis* de officio Ordinarij. 3° Poſſunt etiam fortè abſoluere ab excommunicatione reſeruata Epiſcopo, ſi per priuilegium à Sede Apoſtolica obtentum juriſdictionem habeant Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem. Nam tunc temporis ſicut Epiſcopi abſoluunt ſubditos ſuos ab ejuſmodi cenſura, ita & Abbates Epiſcopali, vel quaſi Epiſcopali poteſtate fungentes, ſubditos ſuos abſoluere poterunt. 4° Regulares etiam quidam poſſunt fortè obtinere Apoſtolicæ Sedis priuilegium, quo ſingulariter ipſi ab omnibus, vel quibuſdam tantùm excommunicationibus reſeruatis ſpecialem, & expreſſam abſoluendi poteſtatem habeant: quo priuilegio, ſicut & Seculares, ſi aliqui ipſo donati eſſent, liberè vti, ac frui poſſunt. His autem ſpecialibus caſibus exceptis, ſtatuit Clemens V. in Concilio Viennenſi, vt nec excommunicatis à canone, nec à ſententiis per Statuta prouincialia aut ſynodalia promulgatis, abſoluere quemquam præſumant; ſecùs autem excommunicationis incurrant ſententiam reſeruatæ Sedi Apoſtolicæ: quam Ordinarij publicè nuntiari facient, non obſtante priuilegio exemptionis. Deinde §. ſequenti adjungitur: *Nec etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſeruatis quemquam abſoluere præſumant.* Et paulò poſt: *Si qui verò præmiſſa, vel aliquod de præmiſſis attentare præſumpſerint, per duos menſes ſubjaceant pœnis illis, quæ ſecundùm eorum Regulam vel Statuta, pro grauibus criminibus, ſeu culpis, eis conſueuerunt imponi: ſuper quibus abſque manifeſtâ neceſſitate, cum eis non valeat diſpenſari. Ceterùm Prælati eorum, niſi de his occaſione præmiſſorum exceſſuum, ad eos quoquo modo peruenerint, Eccleſiis, aut perſonis Eccleſiaſticis damnificatis, vel læſis ſatisfactionem plenariam exhibuerint, infrà menſem, poſtquam ſuper hoc fuerint requiſiti, ſuſpenſionis ſententiam vſque ad ſatisfactionem debitam eo ipſo incurrant: non obſtantibus præmiſſis ſtatutis, aut quibuſlibet priuilegiis, cujuſcunque tenoris exiſtant.*

Digitized by Google

Raynerius Epiſcopus Cremonenſis, in Conſtitutionibus ab eo factis ann. 1297. die 18. Februarij, quas Typis edi curauit Cæſar Specianus, ejuſdem ciuitatis Epiſcopus ann. 1604. poſt Synodum Cremonenſem 2. ab ipſo habitam, rubrica de caſibus peccatorum Epiſcopo reſeruatis; ſic ſtatuit: *Quoniam circa majora majus periculum vertitur, idcirco circa ea cautiùs eſt agendum; Interdicimus ergo omnibus Presbyteris, prælatis, & Eccleſiarum rectoribus, & cuilibet alij noſtræ ciuitatis, & diœceſis confeſſiones audienti, ne in caſibus peccatorum, quos nobis reſeruamus, quemquam, niſi in mortis articulo conſtitutum abſoluere præſumant; ſed ad nos, ſeu ad Pœnitentiarium noſtrum illum fideliter remittere curent; ſaluis juribus, & priuilegiis Capituli Canonicorum, & Eccleſiæ Cremonenſis, & quorumlibet aliorum in hoc jus habentium. Ne autem aliquis prætextu ignorantiæ in talibus ſe valeat excuſare, aliquos ex illis hîc duximus exprimendos* &c.

Concilium Mediolanenſe prouinciale ſub Caſtore Mediolanenſi Archiepiſcopo ann. 1311. impreſſum ibidem cura ejuſdem Cæſaris Speciani rubrica 29. ſimiliter decernit: *Non ſolùm in Foro contentioſo, ſed etiam in Foro pœnitentiali nullus ligari poteſt à non ſuo Iudice, vel abſolui, & quidam Pœnitentiales caſus exiſtunt Pontificibus ſolummodo reſeruati, in quibus de Iure inferioribus poteſtas non competit abſoluendi. Eapropter ne quiſquam in Sacerdotio conſtitutus, circa eos aliquem decipiat, vel potiùs ſemetipſum, præſenti Conſtitutione ſancimus, quòd nullus Presbyter inferior Epiſcopo, cujuſcunque dignitatis extiterit Regularis, aut etiam Secularis exiſtens, abſque auctoritate & præſentia ſui Archipræſulis, ſiue Pontificis, vel ejus Vicarij in ſpiritualibus, niſi ſuper hæc Apoſtolicæ Sedis priuilegio, aut conſuetudine approbata, vel à jure fuerit præmunitus ad infraſcriptos caſus Pœnitentiales ſuam poteſtatem extendat, vel ſe aliquatenus intromittat, de aliquibus in Foro pœnitentiali, articulo mortis duntaxat excepto, in ipſorum aliquo abſoluendis.*

Inter Conſtitutiones Ioannis XXII. quibus conſtricta eſt Mendicantium poteſtas, refertur à ſancto Antonino parte 3. Chronici, tit. 23. cap. 5. §. 1. ad ann. 1220. *Quòd nullus Religioſus abſoluat à ſententia excommunicationis, & aliis ſententiis*

Digitized by Google

tentiis à Iure communi promulgatis, vel per Concilia prouincialia, vel ſynodalia factis, & quòd nullum abſoluant à culpa, & pœna.

Concilium Friſingenſe celebratum ann. 1440. ſub Eugenio Papa IV. titulo de pœnitentiis & remiſſionibus, ſic ſtatuit: *Quia nonnulli Sacerdotes Seculares, vel Religioſi in pœnitentia fræna laxare, & extra terminos ſibi poſitos auctoritatem in caſibus Superioribus reſeruatis præſumere auſu temerario referuntur; ſub excommunicationis pœna inhibemus, ne quiſquam Sacerdotum Regularis, vel Secularis noſtræ diœceſis, quemcunque ſibi confitentem, in caſibus Sedi Apoſtolicæ de Iure, vel conſuetudine reſeruatis, abſoluere præſumat, niſi habito deſuper ejuſdem Sedis indulto, & mandato ſpeciali: nec etiam in caſibus ſimiliter de jure, aut conſuetudine Epiſcopo reſeruatis, aliquem abſoluere attentet, præſertim excommunicationis majoris vinculo innodatum, hæreticum, Iudæum,* &c. *non habitâ à nobis deſuper commiſſione ſpeciali, & expreſſâ.*

Concilium Dertuſenſe, ex variis Prouinciis Hiſpaniæ, à Cardinale Fuxo Sedis Apoſtolicæ Legato ann. 1429. celebratum, Conſtitutione 17. quâ prouidet aduersùs exceſſus Clericorum & Religioſorum §. *Vt Religioſi.* decernit: vt *electi, præſentati, & admiſſi, de caſibus ab Epiſcopo reſeruatis, nullatenus ſe intromittant, nec ſuper eiſdem caſibus reſeruatis, quemquam abſoluere audeant, niſi litteras ſuper abſolutione hujuſmodi à locorum Ordinariis priùs obtinuerint: in quibus quidem litteris caſus Epiſcopales, quos eis concedere voluerint, exprimantur: eáſque litteras Curatis Eccleſiarum exhibeant, vt Eccleſiæ populo patefieri valeant, vt eſt dictum: iidémque Ordinarij gratis, ſine ſolutione aliqua, tales litteras eiſdem Religioſis, quos ad hoc reputabunt idoneos, tradere teneantur, in Domino exhortantes Prælatos, & Ordinarios Eccleſiaſticos, vt circa Religioſos præfatos charitatiuè ſe habeant, vt tenentur. Per prædictam tamen præjudicare nolumus quibus de Iure communi, vel indulto Sedis Apoſtolicæ aliud competit in præmiſſis.*

Paulus II. ann. 1418. 5. nonas Martij, Pontificatus ann. 5. circa caſus reſeruatos hæc conſtituit, Extrauagante, *Et ſi Dominici*, inter Extrauagantes communes, tit. de Pœnitentiis & remiſſionibus: *Propenſiori ſtudio præcauendum eſſe cenſe-*

Digitized by Google

mus, ne (cujuſuis indulgentiæ, remiſsionis, vel facultatis obtentu) Chriſti fideles procliuiores ad illicita in poſterum committenda reddantur, aut veniæ facilitas eis peccandi tribuat incentiuum. Hac itaque conſideratione habitâ, olim emanauit à nobis Conſtitutio tenoris ſubſequentis: videlicet, Sanctiſsimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter, Dominus Paulus diuinâ prouidentiâ Papa II. qui pridem ſuper plenariis remiſsionibus, quæ ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo conceduntur, formam & normam inſtituit, ne paſsim ſine exceptione quorumcunque criminum procliuiores redderentur homines ad peccandum, per regulam in Cancellaria Apoſtolica publicatam ſtatuit & ordinauit, quòd in quibuſcunque conceſsionibus & facultatibus abſoluendi, caſus infrà ſcripti tanquam ſpeciales Sedi Apoſtolicæ reſeruati ſemper intelligerentur excepti; videlicet, offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis, violationis interdicti ab eadem Sede impoſitii, criminum hæreſis, conſpirationis in perſonam, aut ſtatum Romani Pontificis, ſeu cujuſuis offenſæ, inobedientiæ, ſeu rebellionis ejuſdem Pontificis vel Sedis Apoſtolicæ: Presbytericidij, offenſæ perſonalis in Epiſcopum, ſeu alium Prælatum, inuaſionis, deprædationis, occupationis, aut deuaſtationis terrarum Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjectarum; ac etiam inuaſionis Romipetarum, ſeu quorumcunque aliorum ad Romanam Curiam venientium: prohibitionis, deuolutionis cauſarum ad dictam Curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, impoſitionis nouorum onerum realium, vel perſonalium Eccleſiis vel Eccleſiaſticis perſonis, ſymoniæ ſuper Ordinibus vel beneficiis aſſequendis, in eadem Curia vel extra contractæ; & generaliter in caſibus contentis in Bulla, quæ conſueuit in die Cœnæ Domini per prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices publicari. Conſiderans quia plerumque contingit ſuam Sanctitatem hujuſmodi facultates, & confeſsionalia, tam præſentibus quàm abſentibus, etiam oraculo viuæ vocis concedere, ne prætextu conceſsionis hujuſmodi vel pœnitentes, vel Confeſſores in ſupraſcriptis caſibus fallantur & fallant, ſtatuit & decreuit ſuæ intentionis fuiſſe, & eſſe, per quaſcunque conceſsiones & facultates per ſuam Sanctitatem, tam ſcripto, quàm verbo factas, & in poſterum faciendas, nemini licere irretitos dictis caſibus abſoluere, ſine ſpeciali ſuæ Sanctitatis licentia: quinimo conceſsiones & indulta

prædicta, quoad caſus exceptos hujuſmodi nulli penitus ſuffragari.

Concilium Senonenſe de Decretis morum, cap. 37. *Declaramus autem non competere Mendicantibus deputatis, & commiſſis in abſoluendo ampliorem poteſtatem, quàm Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus eſt à Iure conceſſa, niſi forſitan eis Eccleſiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter duxerint faciendam.*

Synodus Auguſtana ann. 1548. in Germania habita, cap. 19. §. vltimo: *Poſtremo*, inquit, *Presbyteris noſtræ diœceſis omnibus præcipimus, ne poſthac eos, qui ſe in Monaſteriis, aliiſve locis, in caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut nobis tanquam Ordinario ſpecialiter reſeruatis, aut ad contentioſi Fori indagationem pertinentibus, abſolutos eſſe prætendunt, tanquam ritè abſolutos admittant, aut tolerent: ſed eos ad nos, ſeu Pœnitentiarium noſtrum remittant, vt nobis aut Officialibus noſtris de canonicis eorum abſolutionibus fidem faciant legitimam, ſupérque præmiſſis expeditionem ſalubrem recipiant, & quid vel iuſtitia ſuaſerit, vel rationis ordo dictauerit exequantur: donec hi qui ſe abſoluendi poteſtatem huiuſmodi habere aſſeruerunt, priuilegia ſua nobis congruo, tutóque loco exhibuerint, eáque à nobis fuerint examinata. Quæ tamen in re Mendicantium Ordinum Fratribus, eorúmque facultatibus, ipſis à Summis Pontificibus conceſſis, nolumus præjudicari: quin ipſi tam vt Iure Pontificio cautum eſt, quàm vt à nobis, prædeceſſoribúſque noſtris eis conceſſum fuit, atque conceditur, Chriſti fidelium confeſſiones audire, & eos in caſibus ſibi (vt præfertur) conceſſis, in Foro pœnitentiali abſoluere, pœnitentiáſque ſalutares iniungere valeant, & poſſint; quemadmodum Eccleſiarum Rectoribus noſtræ diœceſis concedere conſueuimus.* Nota verò Synodum Auguſtenſem ibidem Regularibus conceſſiſſe abſolutionem à caſibus reſeruatis in Foro interiori, quam etiam Rectoribus Parochiarum conceſſit, quemadmodum & Concilium Colonienſe ann. 1536. parte 7. cap. 37.

Concilium pariter Moguntinum ſub Archiepiſcopo Sebaſtiano ann. 1549. eandem caſuum reſeruationem relaxat omnibus Parochis, & Fratribus Mendicantibus ritè approbatis poteſtatem faciens ab iis caſibus abſoluendi, exceptis

duntaxat homicidis, hæreticis, & excommunicatis, ad Epiſcopos vel Commiſſarios ipſorum mittendis cap. 26. Specialiter verò notandum eſt circa Synodum Auguſtanam, quòd id Fratribus Mendicantibus Iure Pontificio conceſſum referat, ſcilicet à Leone X. qui Bulla *Paſtoris æterni*, Fratribus Ordinis Minimorum id concedit ann. 1513. & confirmant, extendunt, ac aliis communicant Clemens VII. & Paulus IV. apud Confeſtium Protonotarium Apoſtolicum in collectione priuilegiorum Mendicantium. Quam Bullam vltrò ſuſceperunt Germani, ob relaxationem diſciplinæ in iis Conciliis expreſſam, & ad Parochos omnes extenderunt. Non videntur tamen Concilia Colonienſe, & Moguntinum ſtrictè recepiſſe, quandoquidem eam reſtringant & infringendam permittant.

Speciatim verò de Gallia addimus, nullam hujuſmodi reſeruationem videri vnquam in ea ſuſceptam. Nam Cõcilia quamplurima ante, & poſt illas Bullas non videntur illam admiſiſſe reſeruationem, vt videbis apud Bochellum lib. 2. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ tit. 13. quæ omnia non exſcribo breuitatis causâ, ſed tantùm refero ex eo titulo Synodum Lingonenſem anno 1404. Odonem Pariſienſem Epiſcopum in Synodo anno 1208. Synodum Galònis & Simonis Legatorum anno 1215. Synodum Senonenſem 1524. Carnotenſem 1526. Synodalia Eccleſiæ Rhemenſis, & Trecenſis, collecta à Domino Bliterenſi Epiſcopo, poſtmodum Tuſculano Card. Legato. Synodum Andegauenſem anno 1261. & 1293. Pariſienſem 1557. Nam qui habent caſus Epiſcopis reſeruatos, nonniſi ab Epiſcopis, vel ejus Pœnitentiariis, aut Vicariis generalibus, abſoluendi declarantur in his omnibus: & ſimiliter à ſolo Summo Pontifice abſolui poſſe ſtatuitur, qui caſus admiſit Summo Pontifici reſeruatos.

Quid ſtatuerit hac de re Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. ſuperiùs docuimus; nimirùm excepto articulo mortis, in quo nulla eſt reſeruatio, ceteros Sacerdotes præter Summum Pontif. & Epiſcopos, per quos intelligi poſſunt etiam eorum Officiales, quorum idem eſt tribunal, circa caſus reſeruatos id vnum poſſe hortari, nempe, *vt ad ſuperiores &*

Digitized by Google

legitimos Iudices pro beneficio abſolutionis accedant: Quare cùm Regulares nec ſuperiores, nec legitimi Iudices populorum cenſeantur, circa iſtos caſus nullam eos habere poteſtatem clarum eſt ex ipſo Concilio. Ideóque Pius IV. Bulla *In Principiis Apoſtolorum*, data Romæ ann. 1565. 13. Cal. Martij, quæ habetur poſt Concil. Trident. omnia & ſingula priuilegia, facultates, indulta reuocat *&c.* tam in foro exteriori, quàm conſcientiæ Regularibus conceſſa, quæ contra leges Conc. Trid. militant, eáque nulla, inualida, & irrita eſſe, ac nemini ſuffragatura declarat.

Ab eo tempore paſſim Concilia Gallica, & Italica etiam à Summis Pontificibus approbata ita definierunt. Nam, verbi gratia, Concilium Prouinciale 3. Mediolanenſe à Pio V. approbatum, tit. quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, hæc habet: *Ad eorum etiam criminum, quæ infra ordine adſcribuntur, licentiam reſecandam, prohibemus, ne Confeſſores quemquam vllis iis criminibus alligatum abſoluant, niſi facultas eis ab Epiſcopo permiſſa ſit: cujus poteſtati, & eorum Sacerdotum, quos ipſe ei muneri præpoſuerit, ejuſmodi abſolutionem, in ſua cuique diœceſi, reſeruamus* &c.

Mediolan. 3. tit. de iis quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent: *Ne Confeſſarij Sacerdotes, cùm ſibi facultate vel ex Iubilæo, vel ex aliis Apoſtolicis litteris conceſſa, pœnitentium confeſſiones audire, eoſdémque à peccatis etiam grauioribus, quæ admiſerunt, & à pœnis item, ac cenſuris, quibus irretiti ſunt, abſoluere licet, cum eo, qui in irregularitatem incurrerit, diſpenſent, niſi ejus rei facultate illis litteris nominatim expreſſa.* Et ibidem: *Ne Confeſſarij Regulares eorum peccatorum, quorum abſolutio Epiſcopo reſeruata eſt, vinculis irretitos pœnitentes abſoluant? quemadmodum à ſancta Sede Apoſtolica declaratum eſt id eis non licere, quamuis priuilegiorum ſuorum auctoritate fulciantur.*

Mediolan. 5. Conſtitut. parte 1. tit. quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent: *Ne facultatum, priuilegiorúmve jure, quæ cuicunque, etiam roſarij, & cruce ſignatorum ſcholæ, Confratriæ, collegióve, etiam laicorum; quæve collegiis, confratribúſve in eo adſcriptis, ante, vel poſt Concilij Tridentini confir-*

Digitized by Google

mationem conceſſa ſunt; Confeſſarius, cujuſuis Ordinis ſit, ab iis caſibus, quos ſibi Epiſcopus in ſua diœceſi reſeruauerit, pœnitentes, ſine illius facultate, abſoluat. Si contrà fecerit ſuſpenſionem à Diuinis, ipſo facto, incurrat.

Mediolan. 6. tit. quæ pertinent Pœnitent. Sacram. *Quod ſuperioribus Conciliis ex ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Decreto Confeſſariis Sacerdotibus, etiam Regularibus, vetitum eſt, ne pœnitentem quemquam ex priuilegiorum, quæ ipſis Regularibus, aut Confratribus data ſunt, vi, auctoritatéque abſoluant: idem iis interdictum eſt, etiam indulgentiarum litteris, quæ Eccleſiis conceſſæ ſunt, ne in Monaſteriis quidem & locis, vbi Regulares ſpiritualem temporalémque juriſdictionem habent, quiſquam Sacerdos, etiam regularis & exemptus, confeſſiones audiat, niſi primùm ab Epiſcopo, intra cujus diœceſis fines ea Monaſteria locáve ſunt, ad id probatus fuerit.*

Synodus Cremon. 1. ſub Cæſare Speciano Epiſcopo Cremonenſi: *Animaduertant autem Confeſſarij*, inquit, *non poſſe eos vigore priuilegiorum, & facultatum Regularibus, & Confraternitatibus perpetuò conceſſarum, abſoluere quemquam à caſibus Epiſcopo reſeruatis, prout etiam ita reſpondit illuſtriſſima Congregatio Vicario Epiſcopali Nouariæ, die 26. Iulij ann. 1589.* ſcilicet *eos qui confeſſiones audiunt, poſſe abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, virtute Bullæ indicti à Summo Pontifice Iubilæi, cum facultate abſoluendi à quibuſcunque enormitatibus Sedi Apoſtolicæ, etiam in Bulla Cœnæ Domini reſeruatis, ſed non virtute priuilegiorum & facultatum Regularibus & Confraternitatibus perpetuò conceſſarum, quod tibi notum eſſe voluimus.* Datum vt ſuprà. Hoc idem reſponſum fuit Epiſcopo Brixienſi ſub die 19. Auguſt. 1572. *&c.*

Conſtitutiones Arretinæ Synodi anno 1597. ſub Petro Vſimbardio Epiſcopo Arretino. §. *Ii verò*, & ſequenti, tit. in Sacramento Pœnitentiæ: *Ii verò ſiue Sacerdotes Seculares, ſiue Regulares ſint, à caſibus, quos ſuperioribus annis nobis reſeruauimus, & quos in poſterum reſeruare placuerit, ſine debita facultate quemquam abſoluere non præſumant: alioquin eos ex nunc, prout ex tunc, à Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando ſuſpendimus; excepto mortis articulo? id vnum pœnitentibus perſuadere*

Digitized by Google

nitantur, vt ad ſuperiores & legitimos Iudices pro beneficio abſolutionis accedant. Ibidem: *Sciant præterea tam Regulares Sacerdotes, quàm alij, nemini licere à caſibus Ordinario reſeruatis jure quorumlibet priuilegiorum, etiam Maris magni, quempiam abſoluere, niſi in ſpecie ſuper hujuſmodi caſibus nominatim facultas data aut confirmata ſit à Sede Apoſtolica poſt Concil. Trident. vt ſæpiùs ſacra Congregatio ejuſdem Concilij Interpres cenſuit & declarauit.* Ibidem: *Nouerint item, cùm Summus Pontifex Iubilæorum aliarúmve Bullarum gratiâ facultatem abſoluendi à reſeruatis, aut eligendi Confeſſarium, qui poſſit abſoluere, impartitur, eam non extendi ad caſus Ordinario reſeruatos, niſi id ſpecialiter fuerit expreſſum.* Ibidem: *Illud etiam animaduertant, ne ratione earundem litterarum, cum iis qui irregularitatis notam contraxerunt, diſpenſare audeant, aut vota commutare; niſi nominatim diſpenſandi, aut vota commutandi poteſtas conceſſa ſit; quæ ſub generali auctoritate abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris non continetur. Quapropter litteras, quarum vi pœnitentes abſolui valent, vt debent, diligenter accuratèque perlegant, nec quicquam contra quam præſcriptum eſt, cum propria aliarúmque pernicie faciant.*

Synodus Nucerina ſub Simone Lunadoro ann. 1608. *Regulares ſub prætextu priuilegiorum à caſibus, & cenſuris contentis in Bulla Cœnæ Domini, violationis immunitatis Eccleſiæ, & clauſuræ Monialium ad malum finem, pugnantium in duello, & à caſibus Ordinario reſeruatis ſub pœnis de quibus in Decreto ſacræ Congregationis, viuæ vocis oraculo Clementis VIII. comprobato 9. Iulij 1601. & ejus Declaratione 16. Nouemb. 1602. abſoluere non poſſunt.*

Synodus diœceſana Ferrarienſis anno 1599. ſub Ioanne de Fontana, *de caſibus reſeruatis*, Decreto 135. *Qui verò Confeſſarij, vel à caſibus nobis reſeruatis, vel ab iis, quorum abſolutio Canonum jure, & Apoſtolicâ auctoritate Epiſcopis reſeruata eſt, illigatum aliquem abſoluere attentarint (non obtentâ à nobis in ſcriptis poteſtate) excommunicationis pœnâ afficientur.*

Synodus diœceſana Rauennatenſis ann. 1607. ſub Petro Aldobrandino, tit. de Pœnitentia, num. 16. *In caſibus vel Sedi Apoſtolicæ, vel Ordinario reſeruatis (quos præ oculis ſemper ha-*

Digitized by Google

beant) ne inutiliter ſeſe immiſceant, ſub pœna excommunicationis, aliiſque contentis, tum in Bulla Cœnæ Domini, tum in Decreto ſacræ Congregationis ſub Clemente VIII. ea de re edito, nullo, neque Maris magni, neque alio quouis priuilegio ſuffragante. Et tit. de caſibus reſeruatis: *Interdicimúſque omnibus & ſingulis Confeſſariis, tam Secularibus, quàm Regularibus, ne quempiam dictis criminibus obſtrictum abſoluere ſine noſtra ſpeciali facultate, conentur: aliàs ſciant ſe excommunicationi, aliiſque grauiſſimis alligari cenſuris.*

Synodus diœceſana Tarentina ſub Card. Caëtano anno 1614. tit. 24. cap. 2. *Caueant Sacerdotes, ſiue Seculares, ſiue Regulares, quibus audiendæ ſacræ Confeſſionis officium eſt commiſſum, ne juxta Decreta Clementis VIII. cujuſuis priuilegij prætextu, aliquem ab iis caſibus abſoluant, qui in Bulla die Cœnæ Domini publicari ſolita, continentur, neque ab iis peccatis, quorum abſolutio nobis ex noſtrarum ſynodalium Conſtitutionum diſpoſitione reſeruata eſt.*

Synodus diœceſana Maceratenſis anno 1651. tit. 4. cap. 7. *Volumus autem hìc admonitos Confeſſarios omnes, tum Seculares, tum Regulares, ne prætextu cujuſcunque facultatis, aut indulti, audeant, ſine ſpeciali noſtra licentia, à ſupradictis caſibus quempiam abſoluere.*

Hieronymus de Federicis Decretis editis in Viſitatione Pedemontana, tit. de Pœnitentiæ Sacramento: *Ne à caſibus qui Sanctiſſ. D. præſertim in Bulla Cœnæ Domini, & Ordinario reſeruati fuerint, quiſquam abſoluat.*

Denique totus vſus Italiæ is eſt, vt nec Regulares à caſibus reſeruatis, ſiue Summo Pontifici, ſiue Ordinariis locorum, priuilegiis Ordinibus ſuis conceſſis duntaxat innixi, quemquam, niſi in articulo mortis, ſicut & ceteri, abſoluere permittantur, nec indulta vlla Apoſtolica, vel reſcripta, vt vocant, venialia exequantur, præterquam ea, quæ Forum pœnitentiæ ſolummodo ſpectant, niſi ea viſa, lecta & ab Epiſcopis approbata fuerint.

Idem eſt totius Cleri Gallicani ſenſus anno 1625. 1635. & 1645. Idem vſus totius Galliæ, qui pluribus Conciliis etiam à Sede Apoſtolica probatis conſtat.

Synodus

Digitized by Google

Synodus Rothomagenſ. ſub Card. Borbonio ann. 1580. à Greg. XIII. probata, tit. de Curatorum,& aliorum Preſbyterorum,ac Parœcianorum officiis, num.37. *Quamuis Preſbyteri in ſua Ordinatione,à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant; nullus tamen etiam Regularis poteſt confeſſiones Secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari: niſi aut Parœciale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, atque exercitij poteſtatem, quæ gratis detur,obtineat. Nullus itaque Sacerdos, atque etiam Regularis, nequidem in ſuo Conuentu, audeat maximè per omne tempus Quadrageſimæ, & octauas Paſchæ, audire confeſſiones quorumcunque, & aliquem abſoluere, niſi de licentia Epiſcopi expreſſa, atque etiam in ſcriptis habita.*

Synodus Burdegalenſis anno 1583. ſub Sanſaco à Sede Apoſtolica approbata, tit. de Pœnitentia: *Cùm judicij natura, & ratio poſtulet, vt in ſubditos duntaxat feratur ſententia: ex eo fit, vt nullius momenti ſit abſolutio, quam Sacerdos profert in eum, in quem nec ordinariam, nec delegatam habet juriſdictionem: cùm etiam magnopere ad Chriſtiani populi diſciplinam pertineat, non omnes Sacerdotes à quibuſuis criminibus abſoluendi poteſtatem habere, ſed atrociora, & grauiora crimina, peculiari & Summi Pontificis, & Epiſcoporum judicio reſeruari; cùm grauioribus morbis peritiores adhibendi ſint medici. Sunt tamen, ſicut accepimus, aliqui Sacerdotes, qui terminis ſuis non contenti, paſſim & ſine diſcrimine ab omnibus peccatis, quantumuis atrocibus delinquentes cum maximo ſuæ, & illorum ſalutis periculo abſoluere præſumunt. Nos huic occurrere malo cupientes, præſenti Decreto omnibus Parochis, & aliis Sacerdotibus confeſſionibus audiendis præfectis,ſub excommunicationis pœna prohibemus, ne deinceps à peccatis, & criminibus atrocioribus, quorum cognitionem & abſolutionem ſibi Summus Pontifex, aut Epiſcopus in ſuis ſynodalibus Conſtitutionibus reſeruarunt, quemquam abſoluere audeant: declarantes abſolutionem in prædictis criminibus, abſque certa S. D. N. Papæ, vel propriorum Epiſcoporum conceſſione datam,viribus penitus carere, & nullam eſſe.*

Synodus Bituricenſis anno 1584. tit. de pœnit. & ejus partibus, can. 8. *A grauioribus criminibus,& Epiſcopo reſeruatis,*

Digitized by Google

non liceat Sacerdotibus, cujuſcunque ordinis, gradus, aut congregationis exiſtant, abſoluere: ſed ad Epiſcopos pœnitentes remittant, aut ad eorum Pœnitentiarios, vt pro grauitate criminum, aut pœnitentiam imponant, aut relaxationem concedant.

Synodus Tholoſana ſub Cardinale de Ioyoſa anno 1590. de pœnitentia & confeſſione, cap. 4. *Edenda eſt Epiſcopi auctoritate in qualibet diœceſi facienda confeſſionis formula; caſúſque, quos reſeruatos vocant, ſubſcribendi, vt qui in eos inciderint, Pœnitentiarium adeant.*

Synodus Narbonenſis ſub Ludouico de Veruins ann. 1609. de caſibus reſeruatis, cap. 17. *Caſus ſibi reſeruatos publicare facient Epiſcopi in ſuis Synodis diœceſanis, vt norit quilibet quid ſibi conceſſum, quid denegatum: ne cum damno pœnitentium in alienam meſſem falcem immittat.*

Synodus Burdegalenſis ſub Cardinale de Sourdis anno 1624. de Sacramentis, cap. 5. de Pœnitentia, tit. 6. *de pœnitentia ſeruetur Decretum vltimum prouincialis Synodi: Ac prætcrea, cùm ad nos relatum ſit plures Sacerdotes, ac Regulares indulta ſæpe obtinere, vt confeſſiones audiant, & hæreſi, irregularitatibus, & aliis caſibus ſanctæ Sedi reſeruatis, abſoluant, eáque poteſtate vtantur, ſine licentia Ordinariorum; prohibemus, ne quis virtute cujuſlibet indulti qualibet Sacramenta adminiſtrare poſſit, abſque præuia approbatione Ordinarÿ, & licentia obtenta, ſecus contrauenientes omnes interdicto feriantur.*

Addimus noluiſſe vnquam Summos Pontifices à Sixto V. eum includendo, in confirmatione priuilegiorum Regularium hanc ipſorum prærogatiuam admittere. Item Congregationem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſub Paulo V. anno 1617. necnon etiam ſub Vrbano VIII. declaraſſe, & quidem hanc expreſſiùs, abſolutiones à caſibus reſeruatis irritas eſſe. Ex quibus omnibus concludendum eſt indubitatum eſſe jus iſtud commune, cui nulla priuilegia reſiſtant: nec poſſe virtute priuilegiorum ſuis Ordinibus conceſſorum Regulares à caſibus reſeruatis, aut Summo Pontifici, aut Epiſcopis locorum ordinariis, abſoluere.

Quoniam verò Regulares aliqui indulta nonnunquam ſpecialia obtinent ad diſpenſandum in irregularitatibus, ab-

Digitized by Google

ſoluendum ab hæreſi, aliaque ſimilia, quæ venialia dici poſſunt, quia ad veniam impertiendam, & diſpenſationem referuntur: præter reſcripta pœnitentiariæ (quæ literæ ſunt in forma Breuis, in tenuiori pergameno, ſeu membrana ſcriptæ, ſub annulo piſcatoris, ſub cera expeditæ, quæ ſuum effectum habere poſſunt, ſi ad eos dirigantur, qui his qualitatibus ornati ſint, quibus in Breui prædìti deſcribuntur) præter illa, inquam, quæ quia non operantur quicquam, niſi clam, & occultè, nec in foro contentioſo vim vllam habent, ideo ſolemnitate opus non eſt, aut publicatione, vel approbatione Superioris, quibus vim ſuam obtineant, ſed verbo etiam fieret gratia: cetera omnia indulta, & reſcripta Epiſcopi recognitione, & approbatione indigent, vt decernitur in Conciliis Dertucenſi in Hiſpania, Friſingenſi in Germania ſub Eugenio IV. tit. de Pœnit. & remiſſ. Mediolan. 3. prouinciali ſub ſancto Carolo, tit. de his quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent. Synodo Aretina in Sacramento Pœnitentiæ, prouinciali Concilio Burdegalenſi præſide Cardinale de Sourdis cap. 5. necnon à Paulo ſecundo, de Pœnitentijs & remiſſ. inter Extrauag. communes. Ratio autem eſt, quia hujuſmodi facultates actus habent exteriores, puta declarationem ab hæreſi publica, diſpenſationem ab Irregularitate notoria, aliáque id genus; adeóque in alieno territorio exerceri non poſſunt ſine recognitione, & approbatione ipſius Epiſcopi, qui eſt ordinarius loci. Nam extra territorium jus dicenti impune non paretur de conſtitutionibus cap. 2. lib. 6. cap. *Nouit*, de Officio Legati, l. vlt. ff. de juriſdictione omnium judicum. Hinc delegati ipſi, quacumque dignitate fulgeant, non debent exequi commiſſionis ſuæ facultatem, niſi priùs delegationem ſuam Ordinario oſtenderint, & communicauerint. Non enim delegati juriſdictio ſine ſcripturis probatur, cap. *Cùm Iuriſperitus*. 31. de Officio judicis delegati: nec creditur judici, ſi ſe delegatum dicat, cap. *non cùm à nobis*, de Teſtam. & L. *in arbitro*. cod. de arbitris; quare publicatum fuiſſe reſcriptum ſaltem in judicio, vel alia ratione innoteſcere debere, fusè oſtendit Gloſſa verbo *ſuper mandato.*

Digitized by Google

dicto cap. *Cùm Iuriſperitus*. Adeóque id neceſſarium viſum fuit, vt cap. *Romana*, de cenſibus, vetitum fuerit Archiepiſcopo, niſi requiſito ſuffraganeorum ſuorum conſilio & definitione (quæ duo ſcriptis conſignentur, vt alijs nota eſſe poſſint) ſuæ prouinciæ Eccleſias viſitare. Cùm autem priuilegia Ordinarijs nota fieri debeant quantumuis notiſſima eſſe ſoleant ea, quæ communitatibus conceduntur; multò magis facultates, quæ priuatis tribuuntur, antea manifeſtari, & Ordinario ſignificari debent, cujus intereſt plurimum noſſe an perſona ſibi ſubdita ab hæreſi, vel excommunicatione validè abſoluta ſit, an ab irregularitate expedita, & libera exiſtat: quæ noſſe non poteſt, niſi ſciat ejuſmodi abſolutiones, & diſpenſationes ab habente poteſtatem factas fuiſſe.

Ex ijs autem quæ à Regularibus in contrarium proferuntur priuilegiis quædam dubia ſunt, quædam obſoleta, omnia tandem, quæcumque illa eſſe potuerint, contrarijs decretis poſterioribus abrogata ſunt. Quare recipienda hac in parte Eccleſiæ diſciplina antiquitate venerabilis, religione & conſuetudine ſancta, vſu celebris, & vtilitate longè potior.

ARTICVLVS VIII.

NVLLVS Sacerdos admittatur ad confeſſiones audiendas, ſiue in Eccleſiis vrbanis, ſiue in vicariis, ſine approbatione ſcripta Diœceſani; quam Parochis locorum, in quibus voluerint confeſſiones excipere, oſtendere tenebuntur; à quibus conſenſum accipient, niſi aliqua de cauſa ſecus ſtatuerit Epiſcopus, vel magnus ejus Vicarius. Idem pro celebratione Miſſæ, & concionis ſeruabitur. Neminem præterea Religioſi, ſiue in propriis domibus, ſiue in extraneis, Matrimonio conjungere poterunt, abſque Parochi licentia.

Digitized by Google

Commentarius ad Articulum octauum.

REPERITUR totum ferè iſtud, quod hoc articulo Regularibus interdicitur ab Eugenio IV. interdictum fuiſſe 16. quæſt. 1. c. *Placuit,* 2. his verbis: *Placuit communi noſtro conſilio, vt nullus Monachorum de Monaſterio exire nefandiſsimo auſu præſumat, neque pœnitentiam dare, neque filium de baptiſmo accipere, neque baptiſare.* Superiùs etiam plurima, præſertim ex prædicta cauſa quæſt. 1. & ex cauſa 18. quæſt. 2. in hanc rem citauimus. Et quidem ſi expendamus ſingula, ex prædictis manifeſtè colligentur.

Ad hoc autem vt admittatur Regularis à Parocho ad audiendas confeſſiones, debet oſtendere approbationem Epiſcopi, ſine qua non debet Parochus ſinere eum officio iſto fungi, vt ex prædictis deduci poteſt.

Conſenſum etiam ejus Parochi requiri, non ſolùm ſcientiam quam habeat de approbatione Confeſſarij, certiſſimum eſt, ſi de ordinario jure agatur: Sicut enim prædicare non poteſt inuito Parocho, niſi ſingulariter ad ipſum mittatur cum juſſione Superioris: ita nec vllum Sacramentum conferre in ejus Eccleſia, ipſo inuito. Quæ vtique confirmantur ex Synodo Liptinenſi c. 4. Capitularium lib. 5. cap. 2. *Statuimus vt ſecundùm Canonicam cautelam omnes vndecunque venientes, ignotos Epiſcopos, vel Presbyteros ante probationem ſynodalem in Eccleſiaſticum Miniſterium non admitteremus;* cui congruit Canon 5. Concilij Sueſſionenſis ſub Childerico III. *Et Statuimus, vt ſuperuenientes Epiſcopi, vel Preſbyteri de alijs regionibus non ſuſcipiantur in Miniſterium Eccleſiæ, niſi priùs fuerint probati ab Epiſcopo, cujus Parochia eſt.* Et certè quemadmodum Parochianos alienos ad Sacramenta recipienda non debent Preſbyteri Parochi admittere, ex Canone 7. Romani Concilij incerti ſub Gregorio VII. Nannetenſi, c. 1. & 2. & aliis Conciliis: ita nec debet alium Preſbyterum admittere, niſi ſibi notum, & cujus poteſtas ſibi explorata ſit. Nam *in Parochialibus Eccleſijs Presbyteri per Epiſcopos conſtitui jubentur, qui eis reſpondeant de animarum cura,* vt habetur in Concilio Romano ſub Calixto II. c. 19.

Relege hîc varia, quæ ſuperiùs tradidimus Preſbyteris Parochis præſcripta circa receptionem Preſbyteri ad celebrandum in ſua Eccleſia Miſſæ ſacrificium, eáque his inſere. Valent enim ad id probandum, quod iterum hoc articulo præſcribitur de non permittendis paſſim Regularibus ad Miſſam in Eccleſijs parochialibus celebrandam, & prædicationem in eis faciendam. Inde etiam inferre poteris, nec paſſim vnumquemque Regularem permittendum à Parocho, vt in Eccleſia parochiali ſubditorum ſuorum audiat confeſſiones.

Quòd verò ibidem adjungitur non poſſe Regulares, aut in Eccleſia parochiali, aut alibi, ſine licentia Parochi Matrimonium vllum celebrare, eiue tanquam neceſſarium & ſolemnem teſtem interuenire, expreſſum eſt Decretum Concilij Tridentini, Seſſ. 24. Decreti de reformatione cap. 1. quo loco *ſacri Lateranenſis Concilij, ſub Innocentio III. celebrati, Veſtigiis inhærendo præcipit vt impoſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtiuis, in Eccleſia inter Miſſarum ſolennia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur, vbi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vel aliis vtatur verbis, juxta receptum vniuſcujuſque Prouinciæ ritum. Quòd ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio Matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes: tunc vel vna tantùm denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur; deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant, vt ſi aliqua ſubſunt impedimenta, faciliùs detegantur: niſi Ordinarius ipſe expedire judicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio ſancta Synodus relinquit. Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic con-*

Digitized by Google

trahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annulat. Inſuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore teſtium numero, & teſtes, qui ſine Parocho, vel ſacerdote hujuſmodi contractui interfuerint, necnon ipſos contrahentes grauiter, arbitrio Ordinarij, puniri præcipit. Præterea eadem ſancta Synodus hortatur, vt conjuges ante benedictionem ſacerdotalem, in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent, ſtatuítque benedictionem à proprio Parocho fieri; neque à quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alij Sacerdoti concedi poſſe, quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela dicenda eſt, vel priuilegio, non obſtante. Quòd ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſiue regularis, ſiue ſecularis ſit, etiam ſi id ſibi ex priuilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur.

Palmare & decretorium illud eſt Concilij Tridentini judicium, quod vniuerſa Eccleſia complexa eſt, poſteriora Concilia, tam prouincialia, quàm diœceſana in omnibus Chriſtiani orbis prouinciis, & tribunalia ſecularia ſuſceperunt, Doctores omnes ſequuti ſunt. Nihilque ei Regulares objecerunt; atque adeo in re minimè controuerſa nolo operam perdere, aut longiorem diſputationem inutiliter texere.

Digitized by Google

Articvlvs IX.

INterdicitvr omnibus Religioſis cujuſcunque ſexus vllum baptiſmo initiandum excipere.

Commentarius ad Articulum nonum.

VEtatvr hoc articulo, ne Regulares perſonæ in Baptiſmo patrini ſint, aut matrinæ, juxta canonem 25. Concilij Altiſſiodorenſis relato à Gratiano canone, *Non licet*, de conſecratione, diſtinctione 4. *Non licet Abbati vel Monacho de Baptiſmo ſuſcipere filios, nec commatres habere*, & legem Imperatoriam, apud eundem Gratianum c. ſequenti ex lib. Capitularium, *Monachi ſibi compatres, commatréſve non faciant, nec oſculentur feminas:* quem canonem Correctores Romani notant in indice libri 7. Capitularium num. 494. ſic haberi : *Ne ſibi compatres & commatres Monachi faciant.* Idem verò prout citatur apud Gratianum habetur in additione 1. Imperatoris cap. 16. in codice legum antiquatum. Quibus conſentit Gregorius Magnus lib. 3./epiſt. 40. Valentino Abbati : *Peruenit ad nos quòd in Monaſterio tuo paſſim mulieres aſcendant, & (quod adhuc eſt grauius) Monachos tuos ſibi commatres facere, & ex hoc incautam cum eis communionem habere. Ne ergo hac occaſione, humani generis inimicus ſua eos, quod abſit, calliditate decipiat; ideo hujus te præcepti ſerie commonemus, vt neque mulieres in Monaſterio tuo deinceps qualibet occaſione permittas aſcendere, neque Monachos tuos commatres ſibi facere. Nam ſi hoc denuo ad aures noſtras quocunque modo peruenerit: ſic te ſeueriſſimè noueris vltioni ſubdendum, vt emendationis tuæ qualitate ceteri ſine dubio corrigantur.* Nimiam familiaritatem mulierum pro cauſa profert Gregorius. Addere poſſumus aliam, quia ſcilicet Monachi non ſunt in ſua poteſtate, ſed Superioris; ideóque non poſſunt ſe vlli perſonæ obſtringere : cùm tamen patrini & matrinæ, filiis & filiabus

filiabus de ſacro fonte ſuſceptis ad inſtructionem obligentur. Quacunque verò de cauſa id ſtatutum fuerit, recentiſſima quædam Concilia eandem Conſtitutionem non ſolùm ad Monachos, verùm etiam ad Clericos, præſertim in ſacro Ordine conſtitutos, ampliarunt, verbi gratia, Synodus diœceſana 2. ſub ſancto Carolo Borromæo can. 17. & Rauennat. 1. ſub Petro Cardinale Aldobrandino, *de Baptiſmo*, num. 6.

ARTICVLVS X.

INTERDICITVR omnibus Eccleſiaſticis Secularibus, vel Regularibus vllas indulgentias promulgare, Sodalitates ſtabilire in ſuis Eccleſiis, vel alibi, nouas imagines & reliquias exponere ad venerationem abſque licentia ſcripto data ab Epiſcopo diœceſano. Si aliquibus interdum miraculis particulari cuidam Eccleſiæ, vel domo Deus effectus ſuarum gratiarum extraordinariarum manifeſtare voluerit, ea populo non ſignificabunt, niſi præmonito Epiſcopo, magno ejus Vicario, vel Officiali; qui exſcripta rei geſtæ acta faciet, vel inquiret, & quod ea de re conſentaneum judicabit, ſtatuet.

Commentarius ad Articulum decimum.

PLVRIMA hoc articulo ſtatuuntur. Primum, ne indulgentias, aut alias ſpirituales gratias Regulares, abſque Ordinarij licentia, in publicum efferre audeant: quemadmodum Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. de reform. cap. 9. *Indulgentias verò, aut alias ſpirituales gratias, quibus non ideo Chriſti fideles decet priuari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas*

eſſe decernit. Quibus etiam eleemoſynas, atque oblata ſibi charitatis ſubſidia, nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur: vt tandem cæleſtes hos Eccleſiæ theſauros non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri, omnes verè intelligant.

Idem Concilium in continuatione ſeſſ. 25. die 4. Decembris circa abuſus qui in indulgentiis quoque contingunt, vel occaſione illarum: *Mandat omnibus Epiſcopis, vt diligenter quiſque hujuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eóſque in prima Synodo prouinciali referat, vt aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti ſtatim ad Summum Romanum Pontificem deferantur; cujus auctoritate, & prudentia quod vniuerſali Eccleſiæ expediet, ſtatuatur: vt ita ſanctarum Indulgentiarum munus piè, ſanctè, & incorruptè omnibus fidelibus diſpenſetur.*

Eidem inſiſtunt viæ Concilia Mediolanenſia. 1. quidem *de prædicat. verbi Dei*, hæc habet: *Indulgentias populo non publicent Prædicatores, niſi de conſenſu Epiſcopi.*

Concil. 4. de Indulgentiis §. 1. doctrinam de Indulgentiis & diſpoſitione ad ipſas lucrandas, *per Parochos, & alios quorum intereſt, præſtari, Epiſcopus vt jubeat*, edicit: addit alia, quæ Epiſcoporum auctoritatem in Regulares maximè demonſtrant: *Quæcunque*, inquit, *indulgentiarum, quæ olim, vel nuper, cuiuis, etiam Regularium, aut aliter exemptorum Eccleſiæ perpetuò conceſſæ ſunt, tabulæ, ſcripta, monumentáve alia omnia ejuſdem generis extant; ea, vbi illa ſint, ſiue in vrbe, ſiue in diœceſi, Epiſcopus ſtudioſè conquirenda curet: tum illa conquiſita, indéque ſummatim exſcripta in librum certum, eo nomine confectum, qui in Archiuio Epiſcopali aſſeruetur, diligenter, rectèque referri jubeat.*

Concilium Mediolanenſe 5. *Ne cuiuis Rectori Eccleſiæ, etiam exemptæ quouis modo, neque vlli Ordini Regularium, neque cuiquam ſcholæ, Confratriæ, etiam Roſarij, & Cruce ſignatorum, locóve pij collegio, prætextu, cauſáve, vel priuilegiorum etiam antiquorum, vel indulgentiarum, quas ſibi quouis modo conceſſas etiam inſtar Eccleſiarum, locorúmque piorum, & Confratriarum vrbis Romæ habent, liceat illas ipſas in ſuis Eccleſiis promulgare.*

Idem præcipit, Synodus Tarentina ſub Cardinale Caëtano, cap. 7. tit. 7. *Nullus ex Concionatoribus, etiam Regularibus,*

Digitized by Google

etiam in Eccleſiis exemptis, ſine noſtra, vel Vicarij noſtri generalis licentia, indulgentias, ſiue aliquid aliud ſimile publicare præſumat. Concionatores autem Regulares hortamur, vt eos pauperes, vel pia loca pro eleemoſynis commendent, quos & quæ Epiſcopus, vel Vicarius generalis in ciuitate, vel Foraneus, aut Parochus in diœceſi, illis ſignificauerint; ceteris autem Concionatoribus, vt hæc obſeruent, omnino præcipimus.

Synodus Rauennatenſis 1. ſub Petro Aldobrandino, tit. de prædicat. verbi Dei, §. 9. *Sine noſtra, aut noſtri Vicarij generalis licentia Concionatores, neque indulgentias in concione denuntient, etiamſi aliàs fuerint publicatæ, neque quemquam populi eleemoſynis commendent: quod ſeruare teneantur etiam Regulares in ſuis Eccleſiis, quantumuis exemptæ & priuilegiatæ ſint. In diœceſi tamen ſatis erit, ſi à noſtro Vicario foraneo, vel ab ejus Eccleſiæ Rectore facultatem habuerint.* Eadem Synodus, tit. de Parochis §. 21. *Nullæ à Parochis indulgentiæ populo publicentur ſine licentia ſcripto à nobis tradita. Quando verò per noſtrum Decretum publicandæ illæ ſunt, ſalutarem priùs illarum effectum fidelibus explicent.*

Synodus Cremonenſis 1. ſub Cæſare Speciano, tit. de Indulgentiis: *Cùm ad locorum Ordinarios ſpectet publicatio indulgentiarum: vt faciliùs prouideatur abuſibus, & erroribus, qui facilè committi ſolent, maximè in exemplandis hujuſmodi indulgentiis, quarum exempla perſæpe cum originalibus non concordant: ad hujuſmodi igitur munus in poſterum ex nunc, & donec aliter ordinatum fuerit, deputamus* &c.

Quibus alia plurima Concilia addere poſſumus à Cardinalibus, & Epiſcopis Romanæ Eccleſiæ ſenſum edoctis celebrata, quæ ejuſdem Eccleſiæ ſenſum oſtendunt. A quo non abhorrent Gallicana Concilia. Legatur Concilium Rhemenſe Prouinciale ann. 1564. in Actis, Congregatione 6. Rothomagenſe ann. 1581. de Epiſcopis & Capitulis, num. 35. Turonenſe ann. 1583. in profeſſione Fidei, §. *Sublato etiam.* Aquenſe ann. 1585. de Indugentiis. Narbonenſe ann. 1609. cap. 12. quibus adde Cameracenſe Prouinciale cap. vlt.

2° Statuitur hoc in articulo non licere Regularibus Confraternitates, ſeu Congregationes abſque Epiſcopi conſenſu in

Digitized by Google

ſuis Eccleſiis erigere. Cùm enim Epiſcopo populorum cura commiſſa ſit, pro quibus ipſe rationem reddet juxta Canones Apoſtolorum alibi citatos: Cùmque ex Cypriano Eccleſia in Epiſcopo, atque Epiſcopus in Eccleſia ſit, quandoquidem, vt ipſe demonſtrat, nihil ſit aliud Eccleſia, quàm plebs Sacerdoti ſuo cohærens, nulla omnino poteſt eſſe legitima Congregatio, quæ non ab Epiſcopo permiſſa fuerit, ne (quod aduersùs hæreticos Meſſalianos in Concilio Gangrenſi definitum eſt) Congregationes fidelium legitimæ cenſeantur, quæ ab Epiſcopis ſe ſegregant. Certè communis pro omnibus collegiis, corporibus, & congregationibus mos eſt, vt non fiant, niſi auctoritate Principis: l. 1. ff. de collegiis & corporibus: *Mandatis principalibus præcipitur Præſidibus Prouinciarum, ne patiantur eſſe collegia, ſodalitia, néve milites collegia in caſtris habeant; ſed permittitur tenuioribus ſtipem menſtruam conferre, dum tamen ſemel in menſe coeant, ne ſub prætextu hujuſmodi illicitum collegium coeat. quod non tantùm in vrbe, ſed & in Italia, & in Prouinciis locum habere diuus Seuerus reſcripſit.*

Quòd ſi circa Conuentus politicos hæc rationi conſentanea exiſtimata ſunt, multò magis circa ſacros & Religioſos Conuentus cenſeri debent. Etenim non poteſt vnuſquiſque fidelium, ſe pro ſuo arbitratu, quibuſlibet circa ſpiritalia ſubjicere, ſed ſolùm Miniſtris Chriſti ab ipſo conſtitutis. Nam ſerui omnes ſumus Chriſti, non tantùm titulo creationis, ſed maximè titulo redemptionis; *empti enim eſtis pretio magno*, inquiebat Apoſtolus: ideóque non poſſumus nos ſubjicere, niſi iis, qui vel Paſtores noſtri ſunt, vel à Paſtoribus noſtris vice Chriſti nobis ſunt deſignati. Doctores nobis dedit Chriſtus per Vicarios ſuos, *ne tanquam paruuli fluctuantes circumferamur omni vento doctrinæ*, vt ait idem Apoſtolus.

Hoc Italicis, & Gallicis Conciliis paſſim confirmatum exiſtit. Plurimas ex Gallicis Synodis habes apud Bochellum lib. 6. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ, tit. 10. de Fraternitatibus, & Sodalitiis. Synodus prouincialis apud Cognacum anno 1238. cap. 21. *Conjurationes & conſpirationes laicorum, quibus inter-*

Digitized by Google

dum Confraternitatis nomen imponunt, impietatem pallianies ſub nomine pietatis, omnino fieri prohibemus. Vnde ſtatuimus, quòd nulla fiat Confraternitas laicorum, ſine auctoritate & conſenſu Diœceſani ejuſdem loci. Quod ſi factum fuerit, tandiu excommunicentur ipſius auctores, donec eadem Fraternitas, velut impietatis colligamentum, penitùs diſſoluatur. Et cap. 23. ſequenti ex Almerico Pictauienſi in Synodo 1367. *Item cùm aliàs per Nos, & Prædeceſſores noſtros ſtatutum fuerit, & etiam inhibitum, ne aliquæ fratriæ in noſtra Diœceſi, ſine noſtra licentia, fierent, aut factæ tenerent, ſtatuimus & inhibemus ſub pœna excommunicationis, ne de cetero aliquæ confratriæ fiant, ſine noſtra licentia ſpeciali.* Synodus Lingonenſis anno 1404. *Prohibemus, & prohibeant Curati in ſuis Eccleſiis, ne aliqui faciant nouas confratrias, niſi cum auctoritate Superioris, ideſt Diœceſani: Et ſi aliquæ tales fiant, curati denuncient Curiæ noſtræ quàm citiùs poterunt. Idem cenſemus de jam factis confratriis. Quòd ſi ſint aliquæ factæ abſque auctoritate ſupradicta, vel per eam non confirmatæ, denuntient vt ſuprà.* Synodus Prouinciæ Senon. an. 1524. in Decretis morum, cap. 30. *Cùm ex multiplicatione confratriarum ſæpe monopolia oriri contingat, ſacro approbante Concilio ſub pœna excommunicationis inhibemus, ne aliqui, cujuſcunque ætatis fuerint, confratrias erigere, & de nouo inſtituere, ſine noſtro, aut Vicariorum noſtrorum expreſſo conſenſu, & approbatione, audeant. Antiquas autem, quas per Nos, aut Prædeceſſores noſtros inſtitutas, aut aliter approbatas fuiſſe conſtiterit, toleramus,* &c. Synodus Carnotenſis an. 1526. *Ne ipſarum confratriarum numerus & multitudo copioſa ſine modo creſcat in immenſum, ſtatuimus quòd nullæ deinceps inſtituantur nouæ confratriæ, ſine noſtro conſenſu, approbatione, & auctoritate expreſſa, in Eccleſiis noſtræ Diœceſis,* &c.

Concilium Rothomagenſe, tit. de Curatorum, & aliorum Preſbyterorum, ac Parochianorum officiis, num. 34. *Quæ ex pietate & deuotione ortum duxerunt, charitatis & aliorum nominum fraternitates, & ſocietates, ſpiritalia opprimunt & deformant in Eccleſia; temporalia verò abſumunt, atque homines dementant. Etenim in vnaquaque Eccleſia altare contra altare, ſacrificium contra ſacrificium, & Sacerdotem contra Sacerdotem,*

Digitized by Google

ac deniqueParæciam contra Parœciam erigunt & opponunt. Earùm quidem abolitionem non judicamus expedire, propter piorum operum, & ſuffragiorum, quæ exercent, bonitatem, earúmque neceſſitatem in peſte, & publica calamitate; ſed earum deſideramus reformationem, propter abuſum: imprimis earum fundationes & ſtatuta in viſitatione ab Epiſcopis examinari jubemus, nec impoſterum vllam innouari, niſi de expreſſa Epiſcopi licentia & confirmatione in ſcriptis habita, &c.

Concilium Rhemenſe, an. 1583. tit. de diebus feſtis, num. 8. *Nullæ deinceps fraternitates, ſine Epiſcopi licentia inſtituantur. Quæ autem ſunt inſtitutæ hactenus, aut approbentur ab eo, aut aboleantur.*

Concilium Bituricenſe, anno 1584. tit. de confraternitatibus & ſodalitiis, can. 1. *Confraternitates illæ tantùm retineantur quæ pietatis operibus vigent, & ab omni faſtu & pompa ſunt alienæ. Si quæ aliter fuerint inſtituta, Epiſcopi arbitrio vel corrigantur, vel tollantur: impoſterum verò nullæ ſine Epiſcopi licentia inſtituantur.*

Concilium Tholoſanum, an. 1590. De confraternitatibus & ſodalitiis. Cap. 7. *Diſciplinatorum, ſeu pœnitentium ſocietates abſque Epiſcopi licentia nullæ inſtituantur; inſtitutas ex ſacri Concilij decretis, vel tanquam ſedis Apoſtolicæ delegati Epiſcopi viſitent; inſtitutorum, legumque ſuarum, ſi probata illæ ſint, formam ritè confratres exequi, quæque in illis corrupta viderint, ea emendanda, vel etiam penitùs tollenda curent.*

Concilium Narbonenſe, ann. 1609. de Confraternitatibus, Cap. 34. *Confraternitates & ſocietates, in quibus per particulares quaſdam actiones, aliáque exercitia ſpiritalia faciliorem ſibi viam parare conantur fideles, non diù in bono pergere poſſunt, niſi certis ſtatutis & conſtitutionibus muniantur. ideo viſitent eas Epiſcopi; vbi non ſint conſtitutiones, de nouo ordinent; factas, quas ſibi exhiberi jubebunt, approbent, ſi id debere fieri judicauerint: inquirant modum viuendi: ſuperſtitioſa tollant: Rectores & Adminiſtratores annuatim eligendos conſtituant*, &c.

Ex Italicis aliqua adjungimus. Prouinciale 3. Mediolanenſe titulo quæ ad ſodalitates pertinent, *Quò major in dies ad Chriſtianæ pietatis ſtudium progreſſus ſit fidelium, id curet Epiſco-*

Digitized by Google

pus ; vt cùm diſciplinatorum , pœnitentiúmque ſodalitates, aliáſque ejuſmodi frequentes inſtituat ; tum inſtitutas omni Paſtorali ſtudio adjuuet , ad conſeruandas illas diſciplinæ ac pœnitentiæ rationes , & ad alias excitandas ſpiritualium virtutum progreſsiones. Prouinciale 4. tit. quæ ad loca pia pertinent. *Ne vllæ cujuſuis nominis piæ confratriæ inſtituantur, erigantúrue , néue erectæ , aut inſtitutæ collegij ſibi habitum ſumant, ſine ſedis Apoſtolicæ ,vel Epiſcopi auctoritate , & facultate literis explicata. Sodalitates quaſcunque ſeu confratrias , quæ diſciplinatorum nomine vocantur, Epiſcopus, vt Tridentino Concilio iuſſum eſt , viſitet : libróſque ,vel conſtitutionum, vel meditationum, orationúmue ,ſi qui in eiſdem extant ,ſtudioſè recognoſcat ; ne quid falſum, commentitiúmue , aut apocryphum in illis ſit ; & ſi quæ inuenerit, quæ emendationem deſiderent , illa vel omnino tollere, vel emendare curet.* Prouinciale 5. tit. quæ ad ſcholas, confraternitates , & ad loca pia pertinent , Epiſcopo in prædictas confraternitates jus omne attribuit ; puta , vt facinoroſos homines Epiſcopali auctoritate & cura amoueat : vt videat ne de fidei dogmatibus diſceptationes , colloquia, ſermonéſue habeant , ne quas in oratoriis ſuis colloquutiones : ne vulgari ſermone conſcriptum aliquid in ſchola legatur , vel recitetur : ne dum officium veſperarum in baſilica Cathedrali , vel Eccleſia parochiali celebratur , ipſi officia aliqua recitent , aliáue id genus contra regulas agant : in quibus etiam non ſolùm Epiſcopo , verùm etiam Parocho, vel alij Sacerdoti ab Epiſcopo conſtituto, eos ſubjectos eſſe ſtatuit. Mandat idem Concilium, *vt quæcunque & in hoc 5. Concilio, & in aliis ſuperioribus de diſciplinatorum ſcholis, aliiſue confratriis etiam laïcalibus, conſtituta , aut præſcripta ſunt, ea Epiſcopus ab illis inuiolatè integrèque ſeruari mandet: etiamſi in Eccleſiis regularium illæ ſcholæ , confraternitatéſue erectæ ſint , exerceantúrue ; ita vt ſi quid contrà ab eiſdem vſquam factum erit, id pro culpæ modo ab Epiſcopo grauiter puniatur arbitratu ſuo.* Denique ſextum, titulo quæ ad confeſſionem pertinent. præſcribit *vt vnicuique confratriæ Epiſcopus Sacerdotem conſtitui ſtudeat vitæ ſpiritalis vſu peritum , benéque in ſanctis exercitationibus verſatum , qui ſalutaribus conſiliis , mo-*

Digitized by Google

nitis, documentis, aliiſque officiis confratres in omnem agendi partem, tanquam pater, & Dux ſpiritualis conformet.

Innumera ſunt ejuſmodi Synodorum in Italia Decreta, ex vſu ejuſdem nationis. Nam, verbi gratia, Synodus Ferrarienſis auctore Ioanne Fontana an. 1599. Decreto 187. Facinoroſos, aut turpis famæ, vel infamiæ labe notatos è confratrum numero amouendos per Vicarium generalem Epiſcopi ſtatuit: regulas ſodalitatum ſub pœna interdicti ad ſe deferendas jubet, vt recognoſcantur, Decreto ſequenti. tum Decreto 192. *quæ ſuprà præſcripta ſunt inuiolatè, ac integrè ſeruari mandat in omnibus confratriis; etiam in Eccleſiis regularium erectis*. Decreto 194. Adminiſtratores omnes confraternitatum adminiſtrationis coram Epiſcopo rationem reddere jubet, nec ſine ipſius conſenſu liberari poſſe, ſtatuit. Synodus Aretina cap. 38. *Quæcunque*, inquit, *laïcorum ſodalitates Religionis cauſa deinceps initium ſumpſerint, eæ non ſine ſcripta ſedis Apoſtolicæ, aut Ordinarij auctoritate inſtituantur; neque certum proprij inſtituti amictum abſque eadem facultate ſibi aſſumant; viſitationi & correctioni Ordinarij ita ſubſint, vt non, niſi acceptas ab ipſo conſtitutiones, & Regulas habere liceat; vel niſi ab eodem probatas; & ſi opus fuerit emendatas: quas tunc ſedulò, ſanctéque vt decet, obſeruari mandamus*. Synodus Nucerina an. 1608. tit. de confraternitatibus, Statuta omnibus diœceſis confraternitatibus præſcribit: in fine tamen adjungit, nouas confraternitates erigere ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate nemini licere Clementis VIII. Summi Pontificis recens edita conſtitutione. Clementis autem VIII. Conſtitutionem eatenùs in Gallia receptam non fuiſſe patet ex poſterioribus Gallicanis Conciliis. Quin etiam approbationem confraternitatum, & ſtatutorum pro ipſis condendorum ex more nunc recepto, ſtatuit ad Epiſcopum pertinere recentior Synodus Maceratenſis Auctore Papirio de Silueſtris an. 1651. cap. 4. de Confraternitatibus num. 2. *Omnes confraternitates ſuas habeant, ac ſeruent leges, & ſtatuta; eáque, ſi non habeant, condant, nobíſque deferant approbanda*; & num. 5. *Societates, quæ Religionibus & confraternitatibus aggregantur, à nobis approbari debent.*

Harum

Digitized by Google

Harum verò congregationum prætextu nullus Sacerdos audeat à caſibus, aut excommunicationibus vel Summo Pontifici, vel nobis reſeruatis abſoluere, multóque minùs in aliqua irregularitate diſpenſare.

Neque tantùm iis Conciliis recentioribus; verùm etiam antiquioribus monimentis relatis vt plurimùm in jure, conſtat confraternitatum cognitionem & directionem ad Epiſcopos pertinere: v. g. cap. *Quidam*, tit. de priuilegiis *Quidam*, inquit Honorius III. alicui Epiſcopo, *ſicut aſſeris, in priuilegiatorum fraternitate recepti, nolunt tibi de juribus Epiſcopalibus reſpondere: verùm quandiu hujuſmodi fratres moram in domibus ſuis fecerint, eos compellere poteris ad dicta jura tibi integrè perſoluenda.* Et ante eum Alexand. III. in Concilio Lateran. vt refertur cap. *cum & plantare*, §. penultimo: *De confraternitatibus hoc conſtituimus, vt ſi non ſe prædicti fratres omnino reddiderint, ſed in proprietatibus ſuis omnimodo duxerint remanendum, propter hoc ab Epiſcoporum ſuorum ſententia nullatenus eximantur, ſed poteſtatem ſuam in eos, ſicut in alios ſuos Parochianos exerceant, cùm pro ſuis fuerint exceſſibus corrigendi.*

Ceterùm principalis hæc, quoad hoc caput, noſtri articuli materia diſcuſſa eſt. Solùm addimus ad eorum intelligentiam nullam initio fuiſſe neceſſitatem confraternitatum: ſed ex noſtra tantùm negligentia, & imperfectione fidelium, qui plus ſua amant, quàm Chriſti, & quæ ipſi proprio arbitrio ſelegerunt, pluris æſtimant, quàm quæ Chriſtus pro vniuſcujuſque ſalute inuenit & inſtituit; ex noſtra, inquam, imperfectione, & amoris proprij incremento ferè neceſſarium accidit, vt ad virtutis exercitationem, & ad vitiorum medelam extra Eccleſias nonnunquam proprias ſubſidia quærerentur. Sufficiebat enim, v. g. antiquitùs ad doctrinam Chriſtianam hauriendam Epiſcoporum, Parochorum, aliorúmque iiſdem miniſtrantium officia. Ab Epiſcopis audiebatur doctrina fidei, à Preſbyteris monita vitæ, à Diaconis ordo diſciplinæ, vt tradit Clemens Romanus, epiſt. 3. Rudiores purgabantur à Diaconis, jam neceſſaria edocti illuminabantur à Preſbyteris, doctiſſimi ceterorum

Digitized by Google

perficiebantur ab Epiſcopis : ordinatè fiebant omnia , & vnuſquiſque pro ſuo ſtatu erudiebatur ad perfectionem, nec extra propriam Eccleſiam doctrinæ alimentum quærere oportebat, quod ingerebatur etiam negligentioribus. Nihil in occulto tradebatur, ne ſingularitati, aut curioſitati locus daretur audientibus, aut etiam errori, prætextu arcani cujuſdam myſterij, ne denique ſuperſtitioni diſſeminandæ occaſio præberetur. Id quidem exemplo Chriſti Domini, qui paſſim apud quatuor Euangeliſtas deſcribitur prædicans, ac docens palam, in templo nimirum & Synagogis; ita vt ipſe ad ſuæ prædicationis confirmandam veritatem, ac ſinceritatem Caïphæ reſponderit; *Ego palam locutus ſum mundo : ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil.* Valebat etiam exemplum Apoſtolorum, qui non ceſſabant quotidie in templo docere & annuntiare Chriſtum, Act. 5. Vbi quoque ab Angelo jubentur, poſtquam è carcere educti ſunt, in templo concionari Euangelium. Paulus verò 1. ad Cor. 14. ſic de ſe teſtatur: *Sicut,* inquit, *vbique in omni Eccleſia doceo : diſputabat in Synagoga per omne Sabbatum,* Act. 18. Docti & idiotæ ad conciones, & collationes fidelium ingrediebantur. 1. Cor. 14. *Si ergo conueniat vniuerſa Eccleſia,* &c. Si quando in domibus prædicabant Apoſtoli, in eiſdem Synaxes agebant publicas. Et certè à Chriſto Domino Euangelium jubetur prædicari ſuper tecta. Non ergo ſpiritalia colloquia, non exercitationes circa ſcripturas, non doctrina myſteriorum Fidei portis clauſis doceri conſueuerant: ſed coram omnibus fidelibus doctrinæ Chriſtianæ ſemina ſpargebantur, audientibus omnibus fidelibus, expulſo nemine, etiam reddita Eccleſiæ pace, patentibus ad verbum Dei audiendum infidelibus ipſis Eccleſiarum valuis.

Vbi verò Eccleſiæ Doctorum feruor refrixit, Paſtorum negligentia, vel ignorantia graſſata eſt; curioſitas pro ſtudio doctrinæ Chriſtianæ inualuit; ad excitandum fidelium curam circa doctrinæ Chriſtianæ ſtudium confraternitates erigi oportuit, vt vnuſquiſque ad id auidè inquirendum

Digitized by Google

propter ſingularitatem ſcholæ, & Magiſtrorum delectum incitaretur, quod ingerebatur olim à Paſtoribus, & propter reuerentiam, qua paſtoralem dignitatem amplectebantur, abſque illa ſingularitate obedienter plebes audiebant: atque adeo, in Italia præſertim, in qua Parochiarum ſplendor emarcuit, veluti neceſſaria ad Chriſtianam doctrinam fouendam ſodalitia tantopere commendata ſunt, & frequentiſſimè inſtituta, auctoribus præſertim, Pio V. & Greg. XIII. hoc quidem Bulla quæ incipit *Alias per fœlicis;* illo verò Bulla *ex debito*; à quorum vtroque indulgentiis etiam confratres alliciuntur. Ea eſt quidem nunc fidelium deſidia, vt ad doctrinæ Chriſtianæ imbibendam ſcientiam, ad colloquia diuina frequentanda, ad verbi diuini aſſiduam tractationem, quacunque ratione pertrahi eos ferè liceat: poſſimúſque exclamare cum Paulo: *Siue per bonam famam, ſiue per infamiam, dummodo annuntietur Chriſtus, nihil refert.*

Verùm flagellantium congregationes & ſodalitia tunc temporis inutilia erant, cùm Sacerdotes ſiue Epiſcopi, ſiue plebani ſeueras, ſecundùm Canones ſcilicet, imponebant pœnitentias, cùmque Diaconorum ea cura erat, vt pœnitentes ſedulò obſeruarent, vtrum ſibi impoſitas pœnitentias cum omni feruore adimplerent; vt vel indulgerent Sacerdotes de pœnitentiæ tempore, vel reconciliationem diutius proferrent, ſecundùm Conſtitutiones Apoſtolicas, lib. 2. cap. 16. cùm denique Officiis diuinis omnes intentiſſimi eſſent tanquam Deo vidente, & Paſtore vnumquemque caſtigante, vt ait Tertull. Apologetico, cap. 39.

Antiquiſſimas autem confraternitates eas eſſe duco, quæ ad Eccleſiam Cathedralem viſitandam olim fieri ſolebant. Singulis enim annis ad Eccleſiam Cathedralem, ex tota diœceſi fideles procedere ſolebant, ad eam tanquam matricem reuerenter ſalutandam, & Eccleſiæ Patrono preces deferendas: cujus quidem moris fit mentio in vita ſancti Martialis, ab ejus, vt fertur, diſcipulo conſcripta. In ejus vtique rei memoriam confraternitates inſtitutæ fuerunt ad perſoluendum Eccleſiæ Cathedrali honorem, ac veluti ſtipendium. Quarum confraternitatum exemplum habe-

Digitized by Google

mus in Synodalibus Odonis Pariſienſis Epiſcopi, cujus mentio apud Petrum Bleſenſem epiſtola 127. & 128. Is enim inter præcepta communia num. 53. hæc habet. *Item præcipitur Presbyteris, quòd ſinguli ſcribant nomina Parochianorum ſuorum confratrum Eccleſiæ Pariſienſis, & etiam ſcribant pro quanto quilibet eſt confrater.* Et num. 59. *Item, Præcipimus ſingulis Presbyteris, quòd annuatim, idque in craſtino Sanctæ Trinitatis anniuerſarium omnium confratrum Beatæ Mariæ por totam Pariſienſem diœceſim celebretur.* Conſentit Synodus Senon. apud Bochellum ſuprà cap. 20. habita ipſa an. 1524. *Statuimus, quòd Eccleſiarum Rectores, & eorum Vicarij ſemel in menſe, die Dominico, in Pronis ſuarum Miſſarum Parochialium commendatam habeant confratriam, ab antiquo in Eccleſia noſtra Senonenſi in honorem beati protomartyris Stephani Patroni noſtri inſtitutam; ſuis Parochianis declarando, benefactores dictæ confratriæ, ſeu fabricæ, participes eſſe Miſſarum omnium & ſingulorum ſuffragiorum in prædicta noſtra Senonenſi, ac aliis noſtræ Senonenſis diœceſis Eccleſiis celebratorum: ac denarios à dictis confratribus, & Parochianis piè elargitos, legatos, aut alio quouis modo donatos procurent, recipiant, & fideliter receptori fabricæ dictæ noſtræ Eccleſiæ, aut commiſſis Senonis in ſancta Synodo afferant, & tradant.*

Tertiò, prohibetur hoc articulo ne nouæ reliquiæ ad venerationem exponantur abſque Epiſcopi licentia, ſcripto conſignata. Quod antiquum Epiſcoporum jus fuit diligenter curatum à Cypriano Epiſt. 37. ad Clerum: *Denique*, inquit, *& dies eorum quibus excedunt, annotate; vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. Quanquam Tertullus fideliſſimus, & deuotiſſimus frater noſter pro cetera ſollicitudine & cura ſua, quam fratribus in omni obſequio operationis impertit (qui nec illic circa curam corporum deeſt) ſcripſerit & ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hîc à nobis oblationes, & ſacrificia, ob commemorationes eorum: quæ citò vobiſcum Domino protegente, celebrabimus.* Eandem curam ſub aucto-

Digitized by Google

ritate Epiſcopi Carthaginenſis gerebat Cæcilianus Archidiaconus; quem refert Optatus Mileuitanus, lib. 1. aduerſùs Parmenianum acriter Lucillam feminam factioſam corripuiſſe, *quæ ante ſpiritualem cibum, & potum, os neſcio cujus Martyris, ſi tamen Martyris, libare dicebatur; & cùm præponeret Calici ſalutari os neſcio cujus hominis mortui, etſi Martyris, ſed nondum vindicati, correpta cum confuſione, irata diſceſſit.* S. Auguſtinus de opere Monach. cap. 28. & ex eo poſtea Iſidorus, lib. 2. *de Officiis Eccleſiaſticis*, cap. 15. Monachos quoſdam otioſos incuſant, *qui membra Martyrum, ſi tamen Martyrum venditant.* Concilium Africanum can. 50. §. 14. *Item placuit, vt altaria, quæ paſſim per agros, aut vias, tanquam memoriæ Martyrum conſtituuntur; in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non ſinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent; vt qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione deuincti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ ſint, aut vbi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia, & per inanes quaſi reuelationes quorumlibet hominum vbique conſtituuntur altaria, omnimode reprobentur.* Eadem, vel certè ſimilia habentur in collect. Græca Conciliorum African. ſub nomine Synodi Carthag. can. 84. in Carthag. 5. can. 14. referuntur à Martino Bracharenſi cap. 68. & à Grat. *de conſecrat.* diſt. 1. can. *placuit.* Synodus Cæſarauguſt. 2. ſub Greg. I. can. 2. *Statuit Synodus, vt reliquiæ in quibuſcunque locis de Arriana hæreſi inuentæ fuerint prolatæ, à ſacerdotibus Pontificibus præſententur, igne probentur.* Probatio hæc per ignem diù in Eccleſia vſitata, quam diuinum teſtimonium appellat Yuo Carnot. epiſt. 232. lege notas Iureti ad epiſt. 74. duobus in locis. Vide & Capitularia Caroli Magni l. 1. cap. 42. Bonifacius Moguntinus epiſt. ad Zachariam Papam, quæ incipit, *Poſtquam me ante annos*, refert Aldebertum quemdam, qui ſe Romæ ordinatum Epiſcopum jactauerat in prima ætate, finxiſſe, *quòd ſibi Angelus Domini in ſpecie ho-*

minis de extremis finibus mundi miræ, & tamen incertæ ſanctitatis reliquias attulerit; & exinde poſſet omnia quæcunque à Deo poſceret, impetrare. De eodem refert, quòd vngulas quoque, & capillos ſuos dederit ad honorificandum, & portandum cum reliquiis ſancti Petri Principis Apoſtolorum. Hunc hypocritam Synodus Liptinenſis an. 443. condemnauit: Romana verò expreſſiùs actione 1. 2. & 3. & Zacharias Papa epiſt. 8. ad Bonifacium. Concil. Moguntinum ſub Carolo Magno relatum can. 5. de conſecrat. diſt. 1. non ſolùm Epiſcopi, ſed & Synodi integræ ſententiam ad tranſlationem reliquiarum requirit: ſolebant enim totius Prouinciæ Epiſcopi ad eam accurrere: *Deinceps verò corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præſumat transferre, ſine conſilio Principis, vel Epiſcoporum, & ſanctæ Synodi licentia.* Vulgatum eſt in Conciliis finitimorum Epiſcoporum diſcuti reliquias Sanctorum: quorum exempla leges apud Theodoretum, Socratem, & Sozomenum; Item apud Glabrum Rodulphum ad annum 1024. cap. 3. lib. 4. Hiſtoriæ, poſtquam dixit fusè de homine plebeio reliquias falſas intrudente: quod confirmat Lucius lib. 1. Placitorum, cui ſuborta lite inter ſanctorum Petri, & Lupi Cœnobitas; quod vtrique diui Lupi reliquias apud ſeſe eſſe prædicarent, ſtipémque cogerent eo nomine. 3. nonas Octobr. anno 1405. in cauſa poſſeſſoria placuit vtroſque ſtipem quidem poſſe cogere; ſed à reliquiarum jactatione temperarent. Decretum interim Archiepiſcopum Senonenſem, Præſulibus aliquot Prouincialibus in Concilium adhibitis, de reliquiis inquiſiturum, ac relaturum.

Ideo ſtrictiùs poſtea ſtatuerúnt Romani Pontifices, ne quiſquam reliquias nouas abſque recognitione, & permiſſione Epiſcopi exponeret honorandas. Alexander III. capite *audiuimus* de reliquiis, & veneratione Sanctorum, & Innocentius III. cap. *cum ex eo*, ibidem abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ reliquias vllas aut venales exponi, aut omnino ad venerationem exponi vetant, quia nimirum relationem inter Sanctos ſibi Romana Eccleſia vindicauit. Specialem tamen curam eſſe Antiſtitum debere de recognitione reli-

Digitized by Google

quiarum, & documentis, quibus verè probentur, vel improbentur examinandis, conſtat ex iis, quæ ſubdit Innocentius III. *Prælati verò non permittant eos, qui ad eorum Eccleſias cauſâ venerationis accedunt, variis figmentis, aut falſis documentis decipi, ſicut in pleriſque locis occaſione quæſtus fieri conſueuit.* Et licèt adjungantur nonnunquam Epiſcopo ordinario alij, vel Epiſcopi, vel Abbates, aut in dignitate qualibet conſtituti: quemadmodum ad teſtes ſuper vita, & miraculis Abbatis cujuſdam Monaſterij ſancti Martini Ciſtercienſis Ordinis audiendos, à Summo Pontifice Honorio III. conſtituti ſunt Coriſopitenſis & Trecorenſis Epiſcopi cum vniuerſis Abbatibus apud Ciſtercium congregatis cap. *venerabili* de teſtibus: tamen præcipua cura prælatorum eſt ordinariorum non permittere populos ad Eccleſias in Diœceſi ſua conſtitutas ad venerationem vllius Sancti nondum vindicati, concurrere, & falſis documentis decipi, quæ cauſâ vt plurimùm quæſtus & lucri excogitantur: itemque Sanctorum jam vindicatorum reliquias explorare, & quæ de nouo exponuntur, examinare Ordinariorum eſt.

Ius illud Epiſcoporum firmat Concilium Prouinciale Rauennat. 2. ſub Clemente V. anno 1311. can. 5. *Statuimus, quòd ſi in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, Conuentualibus, & ceteris, extra altaria reliquiæ habeantur, de ipſarum veritate & certitudine, quorum Sanctorum ſint, per ſingulos Comprouinciales Epiſcopos in ſingulis eorum ciuitatibus, & diœceſibus cum diligentia exquiratur; quatenus de ipſis habitâ certitudine, deuotè venerentur, & publicentur populis, & venerari mandentur. De quibus verò nulla certitudo poſſit haberi, in altaribus, vel alibi, ſicut viſum fuerit, recondantur: nec de cetero populis exponantur: & qui contrà fecerit, ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi puniatur.*

Expreſſè Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 2. de inuocatione, veneratione, &c. *Omnis porro ſuperſtitio in Sanctorum inuocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum ſacro vſu tollatur; omnis turpis quæſtus eliminetur; omnis denique laſciuia vitetur; ita vt procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur; & Sanctorum celebratione, ac reliquiarum vi-*

Digitized by Google

ſitatione homines ad comeſſationes, atque ebrietates non abutantur, quaſi feſti dies in honorem Sanctorum per luxum, ac laſciuiam agantur. Poſtremò tanta circa hæc diligentia, & cura ab Epiſcopis adhibeatur, vt nihil inordinatum, aut præpoſterè, & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihílque inhoneſtum appareat; cùm domum Dei deceat ſanctitudo. Hæc vt fideliùs obſeruentur, ſtatuit ſancta Synodus, nemini licere vllo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda eſſe noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo: qui ſimul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea judicauerit. Quòd ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit exſtirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus grauior quæſtio incidat, Epiſcopus, antequam controuerſiam dirimat, Metropolitani, & comprouincialium Epiſcoporum in Concilio Prouinciali ſententiam expectet: ita tamen, vt nihil inconſulto ſanctiſſimo Romano Pontifice, nouum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur. Conſilium Tridentinum fuſiùs explicarunt Concilia Mediolanenſia, à ſancto Carolo celebrata: in quibus plurima ſunt circa hoc inſtitutum: neque nos perſequimur omnia; ſed tantùm obſeruamus Concilio 4. Prouinciali tit. de ſacris reliquiis, miraculis, & imaginibus decerni plurima.

Primum, *Vt Sanctorum corpora, & ſacras reliquias Epiſcopus à religioſis, peritiſque Sacerdotibus, quos eo potiſſimùm nomine ſeligat, tum in vrbe, tum in diœceſi ſua, quibuſcunque in Eccleſiis, locíſue illa ſint, recognoſci quamprimùm jubeat.*

Secundum, *Nec verò ſine ſcripta Epiſcopi probatione, etiam à Regularibus, & aliis exemptis, vllas nouas reliquias euulgari, aut populo exponi, venerandáſue proponi patiatur Epiſcopus; antequam à ſe recognitæ, & probatæ illæ ſint: qua in probatione ſeruet is omnino formam à Tridentino Concilio ea de re præſcriptam.*

Tertium, *Liceat tamen aliquando, quibus Epiſcopus rationabili, & pia cauſa id concedendum cenſuerit, aſſeruari in priuato Oratorio,*

Digitized by Google

Oratorio, tuto, ornato ac decenti, ejuſdem Epiſcopi judicio.

Quartum, *Porro locus duabus ſaltem clauibus, iiſque diuerſis claudatur: quarum vnam Epiſcopus, alteram Rector Eccleſiæ, vbi ſunt, cuſtodiat diligenter. Vbi verò conſuetudinis eſt, ab vniuerſitatis, ſodalitatíſve hominibus, aut à Syndicis, laicíſve hominibus, clauem etiam teneri; illam tertiam illis permittere poterit Epiſcopus, arbitratu ſuo.*

Quintum, *Sanctorum reliquiæ, præſertim inſignes, & ſacra corpora, ſacráque membra, quæ ex certis monimentis, in vlla quanis Eccleſia recondi conſtat, in tabula ærea, aut marmorea, litteris inciſa, quo accuratiùs memoria perpetuò conſeruetur, diligenter, ordinatèque Epiſcopi curâ deſcribantur.*

Sextum, *Vniuſcujuſque Sancti, Sanctæve, cujus corpus, vel ſaltem reliquiæ, præſertim inſignes, aſſeruantur, vita, aut Martyrij hiſtoriâ ex probatis auctoribus breuiter collectâ, ab Epiſcopo antè recognitâ, & comprobatâ, in tabellam referantur.*

Septimum, *Ne paßim omni tempore, ſed certis tantùm feſtorum dierum celebritatibus exponantur: tum præſertim quo die ob aliquam cauſam Epiſcopus juſſerit, conceſſerítve.*

Octauum, *A Sacerdote, qui poſt Epiſcopum digniorem ſacerdotalem locum obtinet, niſi aliquando Epiſcopus ipſe munus ſibi obeundum cenſuerit, exponantur, & recondantur.*

Nonum, *Sacras porro reliquias ab vno in alium locum tranſferri non liceat, ſine juſta, & legitima cauſa, & facultate, ſcriptis ab Epiſcopo permiſſa.* Plurima alia decernuntur in eodem Concilio de cultu reliquiis Sanctorum exhibendo; quibus cauetur, ne quidquam inconſulto Epiſcopo agatur. quæ referre prolixius eſſet.

Prouinciale 6. ſub eodem ſancto Carolo ſimiliter edicit, tit. de cultu Imaginum, *Ne ſine Epiſcopi conceſſu, facultatéve litteris conſignata, extra diœceſim ſacras reliquias aſportari; nec verò quæ etiam aliunde allatæ ſunt, intra diœceſis quoque fines, ab vna Eccleſia, ejúſve Rectore, etiam de conſenſu Capituli, alteri Eccleſiæ donari: minùs verò cuiquam Eccleſiaſtico, aut laico homini earum particulam aliquam priuatim concedi, tradi, donaríve liceat, propoſitâ excommunicationis pœnâ. Idque omne quod de reliquiis neque dandis, neque transferendis, hoc Decreto aliis præ-*

Digitized by Google

ceptum eſt, vt Regulares etiam, atque exempti ſeruent, eos in Domino monemus.

Synodus Ferrarienſis à Ioanne Fontana habita anno 1589. tit. de ſacris Reliquiis, Decreto 131. *Ne ſine noſtra approbatione vlla noua reliquia à Regularibus etiam, & aliis exemptis, vulgari, aut populo veneranda proponi poſſint, juxta Decretum Concilij Tridentini.*

Synodus Rauennatenſis anno 1607. à Petro Aldobrandino habita, tit. de Sanctorum reliquiis, numero 9. *Nulli cujuſuis ordinis, & dignitatis ſit, ne ab ipſis quidem Eccleſiarum Rectoribus ſacra reliquia, vel earum pars aliqua concedatur, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ex Gregorij XIII. Conſtitutione, qua Regulares etiam, quantumuis exemptos, comprehendit.*

Eadem Synodus numero 11. *Nemo in ciuitate, aut in noſtra Diæceſi, nouas reliquias proponat, ſine noſtra licentia.*

Synodus Nucerina à Simone Lunadoro habita anno 1608. tit. de ſacris Reliquiis. *Nullas Sanctorum reliquias pro certis, veriſque haberi, vel populo venerandas proponi liceat, etiam Regularibus, ſub pœna excommunicationis, niſi quæ à nobis fuerint approbata.*

Synodus Maceratenſis, anno 1651. cap. 11. de Sanctorum reliquiis: *Nouas autem reliquias nemo ſub prætextu cujuſcunque Authenticæ, publicè exponat, ſine noſtra approbatione.*

Similiter & nonnulla Galliæ Concilia edicunt. Cameracenſe anno 1565. tit. de Reliquiis. *Sanctorum reliquias ita venerari præcipit ſancta Synodus, vt ex Concilio Tridentino Decretum accepimus: ſed vt in his omnibus tollatur abuſus, prohibet ſancta Synodus, ne quis nouas, aut ignotas reliquias populo venerandas offerat, niſi priùs ab Ordinario probatæ fuerint.*

Concilium Bituricenſe anno 1584. can. 3. *Non transferantur Sanctorum reliquiæ, ſine auctoritate Summi Pontificis, vel Epiſcopi, vel Concilij.*

Idem can. 3. *Si quæ Sanctorum reliquiæ ſuis capſis ſpoliatæ, adhuc injuria temporum reſtitutæ non ſint, nec temerè recipiantur, ſed approbentur auctoritate Summi Pontificis, aut Epiſcopi loci, qui juxta Decretum Concilij Tridentini, eaſdem priùs agnoſcat.*

Digitized by Google

Concilium Aquenſe anno 1585. tit. de Reliquiis: *Sed quia aliquandò fit, vt vulgi concurſu, populíque clamore aliquid pro miraculo, aut ſacra reliquia euulgetur, quod reuera non eſt; ſtudeat Epiſcopus, vbi ejuſmodi occaſio ſeſe obtulerit, vt primis illis vulgi clamoribus piè obſiſtat, donec rei veritas legitimè comprobata conſtet.*

Concilium Tholoſanum, cap. 11. de Reliquiis: *Non paruæ in proponendis reliquiis ſummo Chriſtianorum & dolore, & ſcandalo in dies fraudes agnoſcuntur. Singulas itaque ſuæ diœceſeos reliquias, viris ſpectatæ integritatis, & doctrinæ, prudentiâque conſpicuis, viſitandas, notandáſque quamprimùm Epiſcopi committant; earúmque nomina, numerúmque, ampliſſimis teſtimoniis obſignatum, deſcribi curent; nulláſque deinceps, quas ipſi præmiſſa ſollicita inquiſitione, non approbarint, populo venerandas proponi ſinant.*

Concilium Narbonenſe, anno 1609. cap. 6. de Reliquiis: *Nunquam tamen, & nullibi proponantur veneranda, niſi quæ ab Epiſcopo probata fuerint veræ reliquiæ* &c.

Concilium Burdegalenſe, cap. 3. de ſacris Reliquiis, §. 10. *Præcipimus igitur omnes ſingularum vrbium, & diœceſum ſacras reliquias, quæ ex tanta impietatis ſæuitia ſuperſunt, ſemel ab Epiſcopis recognoſci. Curent autem Epiſcopi inter viſitandum, ne aliqua reliquiæ à quibuſlibet perſonis Eccleſiaſticis, ſiue Secularibus, ſiue Regularibus exponantur, niſi priùs à ſe debitè ſint approbatæ.*

Agmen claudat Sixtus V. Bullâ *Dominus omnipotens*, anno 1588. inter collectas in Bullario magno, §. 3. *Beatorum Martyrum, & aliorum cum Chriſto in cælis regnantium ſancta corpora, per quæ multa beneficia à Deo mortalibus præſtantur, congruo quidem honore veneranda eſſe: ſed eam adhibendam cautionem in ſacrarum Reliquiarum veneratione, vt omnis ſuperſtitio tollatur, nec nouas reliquias recipiendas eſſe, niſi priùs ab Epiſcopo recognitæ, & approbatæ fuerint.*

Quòd ſi approbationes ex Iure ciuili accerſere licet, Leo Imperator ad Epiſcopos reliquiarum cognitionem, attrectationem, delationem, ac tranſlationem defert: edicto ad Iulianum præfectum prætorio, l. *decernimus*. cod. *de Epiſcopis*

Digitized by Google

& Cleritis. Decernimus vt poſthac neque Monachi, neque quicunque alij cujuſcunque ſtatus, in ædes publicas venerabilem Crucem, & Sanctorum reliquias illicitè inferre conentur. Cùm enim religioſæ ædes non deſint, poſſunt ibi, conſultis priùs (vt oportet) religioſiſsimis Epiſcopis, reliquias Sanctorum Martyrum, non quorundam vſurpatione, ſed arbitrio Reuerendiſsimorum Antiſtitum collocare. Ideo patientiam, & modeſtiam ſuam, quam Leges noſtræ, & publica Diſciplina, & ipſorum Monachorum nomen expoſcit, ſtudiosè vnuſquiſque, tam Monachus quàm cujuſlibet alterius profeſſionis, retineat, & perpetuò obſeruet.

Cui junge ex Iure Longobardico per Reges noſtros ex Gallica familia edito Legem 44. lib. 3. *De Eccleſiis, quæ inter cohæredes diuiſæ ſunt, conſiderandum eſt; quatenus ſi ſecundùm noſtram prouidentiam, & ammonitiones Epiſcopi ipſi cohæred.s eas tenere voluerint, & honorare faciant. Si autem hoc contradixerint, vt in Epiſcopi poteſtate maneant, vtrum eas ita cuſtodire permittat, an reliquias exinde auferat.*

Quartum hoc in articulo ſtatuitur, vt nec miracula falſa fingantur in honorem Sanctorum, vel reliquiarum ipſorum, neque etiam publicentur, abſque Epiſcopi licentia, qui per ſe, vel Vicarium ſuum, aut Officialem inquiri curabit, & renuntiaturus acta, & audita in acta referet. Cujus rei probationes innumeras ſuperiori parte Articuli protulimus, & infrà inſertas vltimo capiti referemus: quas omnes hîc referre moleſtum, & faſtidioſum foret. Operæ pretium tamen erit notare caſum, quem Alexander III. ſuperiùs citatus, proponit can. *Audiuimus,* puta *quoſdam diabolica fraude deceptos hominem quemdam in potatione, & ebrietate occiſum, quaſi Sanctum, more infidelium, venerari; cùm vix pro talibus in ebrietate peremptis Eccleſia permittat orare. Dicit enim Apoſtolus, ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt;* vnde ſubdit: *Illum ergo non præſumatis de cetero colere, cùm, etiamſi per eum miracula fierent, non liceret ipſum pro Sancto, abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ, venerari.* Glaber Radulphus lib. 3. Hiſt. Franciæ cap. 6. poſtquam plurima reuelata Sanctorum pignora retulit, vnde ægrotantes non pauci Sanctorum interuentu redierunt incolumes, lib. 4. cap. 3. refert ab aſtutiſſimo illuſore è tumulis clam oſſa

Digitized by Google

cuulſa nuperrime defunctorum hominum, venditata apud plurimos pro ſanctorum Martyrum, ſeu Confeſſorum reliquiis; quaſi Angelica reuelatione ipſi patuiſſent: munuſcula varia inde corraſa, exinde etiam membrorum reformationes viſas extitiſſe: plures Præſules, in quorum diœceſibus talia prophanabantur, inquirendo curam minimè ſufficientem adhibuiſſe; quin potiùs Conciliabulis initis de inepto lucro quærendo cogitaſſe: detectam iſtius hominis malitiam, dum nocte inſecuta, quæ ſancti Iuſti, vt ipſe ferebat, martyris Bellouacenſis incluſa tumulo oſſa viſa erant, à Monachis, aliiſque Religioſis phantaſmata, formas nigrorum Æthiopum referentia, viſa ſunt ab Eccleſia receſſiſſe. Nec id omnino videtur rejiciendum, quandoquidem legimus apud Gratianum 1. quæſt. 1. can. *Teneamus* à ſancto Auguſtino referri tract. 13. ad cap. 3. Ioannis; ſaltem ſimulata miracula à peſſimis, & facinoroſis facta: *In vnitate*, inquit, *erat populus Iſraël, & non faciebat miracula: præter vnitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant ſimilia Moyſi. Populus Iſraël, vt dixi, non faciebat miracula: qui erant ſalui apud Deum? qui faciebant, an qui non faciebant? Petrus Apoſtolus reſuſcitanit mortuum, Simon Magus fecit multa. Erant ibi multi Chriſtiani, qui non poterant facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon. Sed vnde gaudebant? quia nomina eorum erant ſcripta in cælo.* Idem quoque lib. 3. contra Donatiſtas cap. 16. docuit *aliud eſſe Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud prophetiam, quæ in malis hominibus etiam fieri ſolet, vt in Saül: aliud operationem ejuſdem ſpiritus, quam niſi boni habere non poſſunt, ſicut eſt finis præcepti charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Magi Pharaonis ad Epheſios 4. cap. virgas in ſerpentes conuerterunt, aquam in ſanguinem, & fecerunt ranis aquam ebullire, & hæc ſtupenda: ſed in nono ſigno defecerunt; quia probabile non eſt Deum, licèt fidem aliquando comprecantium ad falſas Sanctorum reliquias remuneret, velle tamen continuas eſſe illuſiones iſtas. Ideóque ſicut Nadab, & Abiud Sacerdotes Domini à Deo occiſi ſunt, quòd in ejus miniſterio ignem ſuppoſuiſſent Leuitici cap. 10. & gladio perempti à Nabuchodonoſore Sacerdotes Beli, qui fingebant Be-

Digitized by Google

lum deuorare appoſita, Dan. 14. ita vix iſti ſacrilegi, & falſatores effugiunt diuinum Iudicium; permittitque Deus eorum impoſturas reuelari. Atque illorum proprius Iudex eſt Epiſcopus, qui ſuperſtitionis crimen inueſtigat, & vindicat; ſic Petrus Simonem Magum falſis miraculis populo illudentem contriuit, ſic adjurantes per Ieſum, quem Paulus prædicabat, filios Scheuæ Principis Sacerdotum ob indignam Ieſu, & Pauli commemorationem puniuit, ſic ſeductorem, qui reliquias ſe ferre dicebat, in cellam recludi fecit Ragnemodus Pariſienſis, & in exilium pellit, Gregorio Turon. teſte lib. 8. hiſt. cap. 6. ſic libros Aſtrologiæ judiciariæ Paulo judice ad combuſtionem dati ſunt, Act. 19. & extirpandos per Epiſcopos imperatorio jure cautum eſt. L. *Mathematicos*, cod. *de Epiſcopali audientia*: ſic infectos hæreſi Meſſalianorum incendit Lethoius Melytinæ Epiſcopus, qui & hæreticos ejecit; quos etiam Syriâ expulit Flauianus Antiochenus teſte Theodoreto lib. 4. cap. 10. Sic in cauſa reliquiarum corpus alicujus Sancti reſtitui mandat Alexander II. epiſt. 10. Geruaſio Rhemenſi: ſed de his ſatis.

Vltimum tandem articuli caput eſt, nec imagines Sanctorum ad venerationem exponendas eſſe, abſque Epiſcopi ordinarij licentia, qui & probandas probet, & improbandas diruat. Concilium Tridentinum, ſeſſ. vltima cap. de inuocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorum, & ſacris imaginibus, de iis ita ſtatuit: *Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam: non quòd credatur ineſſe aliqua in iis diuinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab eis ſit aliquid petendum; vel quòd fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honos, qui exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repreſentant: itaut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus; & ſanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum. Illud verò diligenter doceant Epiſcopi,*

Digitized by Google

per Hiſtorias, myſterium noſtræ redemptionis, picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, erudiri, & confirmari populum in articulis Fidei commemorandis, & aſſiduè recolendis: tum verò ex omnibus ſacris imaginibus magnum fructum percipi; non ſolùm quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt, ſed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & ſalutaria exempla oculis fidelium ſubjiciuntur, vt pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorúmque imitationem vitam, moréſque ſuos componant; excitentúrque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his Decretis contraria docuerit, aut ſenſerit, anathema ſit. In has autem ſanctas, & ſalutares obſeruationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri ſancta Synodus vehementer cupit: itaut nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes, ſtatuantur. Quòd ſi aliquando Hiſtorias, & narrationes ſacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus non propterea diuinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poßit. Omnis porro ſuperſtitio in Sanctorum inuocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum ſacro vſu tollatur: omnis turpis quæſtus elimineтur: omnis denique laſciuia vitetur: itaut procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur: & Sanctorum celebratione, ac reliquiarum viſitatione homines ad comeſſationes, atque ebrietates non abutantur: quaſi feſti dies in honorem Sanctorum per luxum, ac laſciuiam agantur. Poſtremò tanta circa hæc diligentia, & cura ab Epiſcopis adhibeatur, vt nihil inordinatum, aut præpoſterè, & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhoneſtum appareat: cùm domum Dei deceat ſanctitudo. Hæc vt fideliùs obſeruentur, ſtatuit ſancta Synodus nemini licere, vllo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit. Hanc conſtitutionem Concilij Tridentini Synodi Gallicanæ confirmant. Synodus Galonis, & Simonis Legatorum: *Imagines quoque vetuſtate, & linteamina vetuſtate attrita, ſacris vſibus inutilia, in loco mundo ſecretè comburantur, & puluis juxta parietem Eccleſiæ recondatur, quia poſſet intuentes inducere in erro-*

rem. Carnotenſis an. 1526. lib. 4. Decret. Eccleſiæ Gallicanæ tit. 4. *vt nihil ſine diſcretione in Eccleſia Dei fiat, expediens, & rationabile videtur propter imagines veritati, & ſacræ Scripturæ non conuenientes, vt in poſterum, niſi præcedente noſtra, aut noſtrorum Commiſſorum viſitatione, & probatione, imagines nouæ in Eccleſiis non collocentur.* Synodus Senonenſis Prouincialis an. 1528. ſub Clemente VII. in decretis morum cap. 40. *& vt nihil ſine diſcretione in Eccleſia Dei fiat, expediens, & rationabile viſum eſt, propter laſciuas imagines, & veritati Scripturæ non conuenientes, vt in poſterum, nonniſi præcedente Epiſcopi, aut Commiſſi ejus judicio, & viſitatione, imagines in Eccleſiis collocentur: & multorum fida relatione didicimus, ſimplicem populum aliquando leui aſſertione miraculorum, ad vnum, & alterum locum populariter concurriſſe, candelas, & alia vota obtuliſſe. Vt igitur credulæ ſimplicitati nobis commiſſæ plebis conſulamus, & nouis, impudentibúſque hominum mente corruptorum, ad quæſtum occaſionibus obuiemus, ſacro approbante Prouinciali Concilio, diſtrictè prohibemus, ne quis poſthac miraculum de nouo factum prætendat: néue intra, aut extra Eccleſiam, titulum, capellam, aut altare prætextu noui miraculi, erigat; aut populi concurſum in miraculi gratiam & venerationem recipiat; niſi priùs loci Epiſcopus de negotio quid ſentiendum, tenendúmque ſit causâ cognitâ, decreuerit.*

Concilium Rhemenſe ann. 1564. Statuto 19 in reparatione Eccleſiarum ſollicitos eſſe debere Curatos, decernit, *Vt nihil inordinatum, aut præpoſterè, & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihílque inhoneſtum appareat, cùm domum Dei deceat ſanctitudo:* tum remittit ad decretum Concilij Tridentini, de vſu imaginum.

Concilium Cameracenſe de imaginibus cap. 22. *Imagines in templis nullæ ſtatuantur niſi Epiſcopi conſenſu, & judicio. Si quæ autem erectæ fuerint, ac præ ſe ferant quidquam, quod non deceat, neque prototypo congruat, tolli eas aut mutari jubeto.*

Alterum Rhemenſe ann. 1583. cap. 12. *Quamuis imagines, quæ ſtatuuntur in templis, myſteria noſtræ redemptionis exprimant, vel Sanctorum res geſtas referant, vt erudiatur populus*

in

Digitized by Google

in fidei articulis, & ad Sanctorum imitationem prouocetur: valde tamen diſplicet, quòd quædam procaci venuſtate pingantur, & alienum quid à diuino cultu referant, quod plebi ſcandalo poſſit eſſe, vel eam in errorem inducere. Vt igitur id deinceps non accidat, nullus, etiam exemptus, imagines nouas in templo collocare præſumat in poſterum, ſine Epiſcopi, vel illius Vicarij licentia. Et quæ hujuſmodi fuerint hactenus in templis collocatæ, permittit ſancta Synodus eas auferri: ita tamen vt omnia ad ædificationem, & citra ſcandalum fiant. Porro nemo ingrediatur in templum, vel ab eo diſcedat, niſi cum debita veneratione, & reuerentia.

Concilium Turonenſe ann. 1583. cap. de feſtorum cultu, veneratione reliquiarum, & imaginibus: *Ne ſanctæ Crucis ſignum, ſanctorúmve imagines in locis ſordidis, aut vbi pedibus atteri, & conculcari poſſint, collocentur; néue quid in templis Scripturarum veritati, aut probatis Eccleſiaſticis Hiſtoriis contrarium ſculpatur, aut pingatur, quàm diſtrictiſſimè prohibemus, ne quod ab omnibus ſummo eſt habendum in honore, hoc modo vileſcat. Scire enim quiſque debet imaginis corpus, corporíſve ſtatum, aut habitum ad ſui prototypi dignitatem & ſanctitatem eſſe accommodandum, vt ex imaginis inſpectione excitetur pietas; non verò turpi cogitationi detur locus. Propterea ſexto Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano, & poſtremo generali inhærendo, nullas imagines, aut picturas mentis corruptrices, & ad turpes voluptates incitatrices fieri ſancimus; Eccleſiaſticóſque omnes, necnon laïcos quoſcunque monemus, ne vllas ab Epiſcopis non approbatas in ſuis Eccleſiis collocari, vel populo proponi prorſus ſuſtineant. Et ſi quæ ſunt dudum in templis propoſitæ, quæ riſum potiùs quàm deuotionem moueant, Epiſcoporum, & Viſitatorum diligentiâ deponantur. Optamus etiam, atque jubemus nullas deinceps alias vel ſtatuas, vel picturas (quocunque conſuetudinis, aut juris prætextu) altaribus apponi, quàm Sanctorum ab Eccleſia receptorum: quòd ſi quæ viuorum, vel mortuorum hominum exhibendæ ſint, eo ſtatuendas loco decernimus, vbi nullam incautæ plebeculæ idololatriæ cauſam præbere poſſint.*

Concilium Bituricenſe, ann. 1584. cap. 4. *Si quæ Sanctorum reliquiæ ſuis capſis ſpoliatæ, adhuc injuriâ temporum reſtitu-*

tæ non ſint, nouis vaſculis, & capſis recludantur, & benedicantur, nec temerè recipiantur; ſed approbentur auctoritate ſummi Pontificis, aut Epiſcopi loci, qui juxta decretum Concilij Tridentini eaſdem priùs agnoſcat; ſi quæ in domibus priuatis ſint, auctoritate Epiſcopi ad Eccleſiam reducantur.

Concilium Tholoſanum ann. 1590. cap. 2. de Reliquiis, & & Sanctorum imaginibus: *Apocrypha, Ethnicæue templorum parietibus Hiſtoriæ nullæ appingantur, nec vlla tapetia obſcænitatis ſpeciem præ ſe ferentia, apponantur. Abſurdum enim eſt impietatis, peccatíque materiam ab iis rebus accipi, quæ ad pietatem, pœnitentiàmque excitandam ſanctiſſimè à Patribus fuerunt inſtituta. Indecorè non veſtiantur, ornentúrue imagines. quæ verò aut mutilæ, aut fractæ, aut vetuſtate conſumptæ aliqua parte fuerint, eæ, ſi fieri poſſit, reficiantur; ſin minùs, Sacrario recondantur.*

Concilium Narbonenſe anno 1609. cap. 7. de Imaginibus: *Imagines quæ rudium, & imperitorum libri ſunt in Eccleſiis, prout ſemper probauit Eccleſia, aſſeruentur; quibus honorem, & reuerentiam impertiendam docent Patres ſancti: quas tamen in Eccleſia obſcœnis figuris depictas, figmenta poëtarum repræſentantes, aut alias indecentes, non admittent Epiſcopi; ne in eis videat populus illorum imaginem, quorum lectio fidelibus eſt interdicta.*

De nouo non depingantur, aut ponantur pro eccleſiis, & piis locis imagines ſine Epiſcopi, aut Vicarij generalis conſenſu, qui videant diligenter, ne quid apocryphum, aut ſuperſtitioſum depingendum approbent. Hæc omnia Concilia Prouincialia, à ſummis Pontificibus approbata, ſummi Pontificis mentem oſtendunt: quam propiùs ſitæ Eccleſiæ Italicæ tenere probabilius præſumuntur; quarum has conſtitutiones ponemus ob oculos.

Concilium Mediolanenſe primum ſub ſancto Carolo: *Cùm ſacroſancta Tridentina Synodus decreuerit nemini licere vllo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit; ejúſque diligentiæ, & curæ commendarit, vt in ſacris effingendis imaginibus nihil falſum, nihil profanum pingatur,*

Digitized by Google

illud in primis caueant Epiſcopi, ne quid pingatur, aut ſculpatur, quod veritati Scripturarum, traditionum, aut Eccleſiaſticarum Hiſtoriarum aduerſetur; ne cujus lectio prohibetur, ejus imago populo proponatur.

Poſt multa ſtatuta in eodem Concilio 1. & 4. de imaginibus, in quibus ſtrictè prohibetur, ne quid obſcœnum, quódque vanitatem vllatenus redoleat, depingatur : quæ omnia curæ Epiſcopi commendantur, tandem præſcribit Concilium 4. Mediolanenſe. *Hæc, & reliqua huiuſmodi ex Tridentini Concilÿ præſcripto, vt commodiùs Epiſcopi exequantur, conuocent ſuarum diœceſcon pictores, & ſculptores; omnéſque pariter doceant, à quibus cauere debeant in ſacris imaginibus effingendis; curéntque, ne illi inconſulto Parocho aliquam ſacram imaginem publicè, vel priuatim effingant.*

Quòd ſi vetuſtate temporis corrumpantur imagines, vel caſu aliquo confringantur, vel præcedentium pictorum temeritate, aliqua minùs honeſta imago depicta fuerit, jubet Concilium, vt nihil inſcio Epiſcopo audeat quis circa hæc ordinare. Illud tamen notatu dignum: *Ne imagines ceree voti causâ, Eccleſiis, piiſque locis oblatæ, venditari vllo modo poſſint, ac ne confractæ quidem, etiam vetuſtate temporis, niſi conceſſu Epiſcopi, in vſum Eccleſiæ conuertendæ.*

Viſitatio Pedemontana ab Hyeronymo de Federicis ſub Gregorio XIII. tit. de ſacris imaginibus: *Quare in Eccleſiis, piiſve locis ne vlla in poſterum pingantur imagines, quæ non priùs ab Epiſcopo, vel ejus Vicario generali, ſi in vrbe; vel foraneo, ſi in diœceſi, probatæ ſint.*

Synodus Arretina ſub Petro Vſimbardio anno 1587. *Primùm igitur ſtatuimus, nemini licere vllo in loco, tam publico, quàm priuato (etiamſi domus propria eſſet, aut Eccleſia quomodolibet exempta) inſolitam aliquam, aut inſolito modo pictam, ſeu ſculptam imaginem ponere, vel ponendam curare, niſi priùs Epiſcopus illam probauerit, vel is qui ab Epiſcopo huic rei præficitur*, &c.

Synodus Cremonenſis, 1. ſub Speciano anno 1589. tit. quæ ad Eccleſias, ipſarúmve res pertinent; *Nulla item cujuſuis Sancti pingatur imago, cujus effigies priùs ab Ordinario probata non erit.*

Synodus Nucerina ſub Lunadoro anno 1608. tit. de ſacris imaginibus : *Præcipimus ne de cetero vllo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ſtatua, vel imago ponatur, vel poni permittatur, niſi priùs à nobis, vel ab alio de mandato noſtro, viſa, & approbata fuerit. Si quæ ejuſmodi indecorè pictæ imagines, fictáque ſimulachra in aliqua Eccleſia Secularium, vel Regularium, vel alibi fuerint, qui prædictis præſunt Eccleſiis, quamprimùm ad nos deferant, vt corrigantur, vel omnino, ſi opus fuerit, deleantur.*

Synodus Tarentina ſub Caetano an. 1614. *Quamobrem ſacræ imagines, quæ procacitatem præ ſe ferunt, aut laſciuiam, aut riſum, omnino ab Eccleſiis, ſi extant, remoueantur, & in poſterum arceantur. Ideo ſine noſtra licentia ſacræ imagines in quibúſvis Eccleſiis, & Oratoriis publicis in futurum non admittantur.*

Præcipua ſanè cura Epiſcoporum eſt, ne miraculoſæ, non manufactæ, diuinitùs miſſæ imagines ab impoſtoribus fingantur, & plurima circa imagines facta mendaciter jactentur: quarum exempla plurima habes apud Lucium. Quamuis enim diuinæ bonitati plures hujuſmodi imagines hominibus relinqui placeret, quales aſſerit Gretſerus ſyntagmate de imaginibus non manufactis ; tamen ex alia parte multa hac in re fingit aliquando ſuperſtitiò, multa inducit mendaciter, & ſupponit ſtipis eradendæ cupiditas. Deus autem nec noſtro mendacio indiget, nec per mendacium coli cupit : linguam doloſam deteſtatur, & labia mendacia. Comprimenda itaque ab Epiſcopo ſuperſtitio omnis, ne detecta fraus religionis noſtræ veritatem, Myſteriorúmque Dei veracitatem ſuſpectam faciat.

ARTICVLVS XI.

CVM Eccleſiaſtica Diſciplina parochiales Eccleſias ſtatuerit, in quibus fideles, dum viuerent, diſtributa ſuſciperent Sacramenta, eadem ipſos à prædictis Eccleſiis poſt mortem expelli noluit ; ra-

Digitized by Google

tioni conſentaneum exiſtimans, vt vnde ſpiritualem natiuitatem animæ ſuſcepiſſent, ibi corpora quieſcerent, ac ſepelirentur. Ideóque juxta eandem diſciplinam, defunctorum corpora in ſuis Parochiis inhumabuntur, niſi defunctus in alia quapiam Eccleſia ſeculari, vel regulari antiquum familiæ tumulum habeat, aut ſuo teſtamento ſupra ea re ſingularem declarauerit intentionem. Hoc tamen in caſu Parochi, aut ejus Vicarij muneris erit corpus efferre, nec poterunt Religioſi extra propria Monaſteria ſtolam ferre. Hac de cauſa Clementina *Dudum*, de ſepulturis, ſeruabitur. Religioſis quoque inhibetur ſub pœnis in Clementina *Cupientes de pœnis* habitis, ne quacunque ſuſcepta occaſione vllum inducant, aut perſuadeant ad ſepulturas in ſuis Eccleſiis eligendas.

Commentarius ad Articulum vndecimum.

TRIA præſertim hoc art. diſcutiuntur. Primum, ordinariè loquendo, Eccleſiam, ſeu cœmeterium Eccleſiæ parochiali addictum locum eſſe humandis parochianorum corporibus deſtinatum. Alterum, fieri tamen facultatem eligendi ſepulturam alia in Eccleſia certis conditionibus. Tertium, quantumcunque Regulares habeant facultatem inhumandorum corporum, eam tamen eſſe multis conditionibus adſtrictam, vt patebit ex dicendis.

Quod ad primum attinet, locum aliquem eſſe ſepulturæ fidelibus inhumandis deſtinatum, Eccleſiæ traditio eſt; qui locus in jure religioſus dicitur, etiam apud Ethnicos, l. *cum in diuerſis*, ff. de Religione, & ſumptibus funerum: eáque vt plurimùm juxta Eccleſias 13. q. 1. can. 1. Gentilibus vnicuique familiæ olim locus proprius, Chriſtianis communis, quorum familia communis eſt, ſicut & natiuitas ſpiritua-

Digitized by Google

lis can. *Sacris*, de ſepulturis; can. *Vbicunque* 13. q. 2. Eccleſia parochialis, vel cœmeterium Eccleſiæ parochiali addictum ſolet eſſe locus hujuſmodi ſepeliendis fidelibus deſtinatus. Vnde Dionyſius Preſbyteris Eccleſias diuidit, & cœmeteria, Parochiáſque diœceſes conſtituit, Pontificale Damaſi in Dionyſio. Lege & epiſtolas ejuſdem de ea diuiſione Parochiarum. Concilium Londinenſe 2. ſub Paſchali II. decernit ne corpora defunctorum extra Parochiam ſuam ſepelienda portentur, ne Preſbyter Parochiæ perdat quod illi juſtè inde debetur. Idem ſtatuitur cap. *Ex parte*, de ſepulturis, & cap. *Cùm liberum ſit.* & cap. *Cùm ſuper.* necnon cap. *Certificari*, de ſepulturis. Excipitur tamen locus ſepulturæ majorum, necnon locus in ſepulturam electus ab iis qui eligere poſſunt, vt ſtatuit Leo III. cap. 1. de ſepulturis: qui tamen *tertiam partem judicij ſui*, id eſt, vt gloſſa explicat ex can. *In noſtra*, eodem titulo, tertiam partem eorum, quæ reliquit Eccleſiæ, in qua elegit ſepulturam, Eccleſiæ parochiali deberi affirmat. *Aliter autem ne fiat*, inquit dictus Pontifex, *auctoritate Domini noſtri, qui per Prophetam locutus eſt, ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui, ſub anathematis vinculo deteſtamur, & contradicimus.* Religionem verò ſepulchri majorum probat ſanctus Leo III. *Statuimus*, inquit, *vnumquemque in majorum ſuorum ſepulchris jacere, vt Patriarcharum exitus docet.* Eandem ſancit ſanctus Auguſtinus fortè malè, vt opinor, citatus à Gratian. 13. q. 2. niſi alluſio fieri dicatur ad ea, quæ habentur ſimilia 9. confeſſ. cap. 11. Ille, inquam, quicunque ſit apud Grat. can. 3. cauſa 13. q. 2. *Vnaquæque*, inquit, *mulier ſequatur virum ſuum, ſiue in vita, ſiue in morte. Hinc ſoror beati Benedicti ſepulta refertur* à ſancto Greg. lib. 2. Dialog. cap. 34. *In ſepulchro quod ipſe ſibi parauerat, vt quorum mens vna fuit ſemper in Domino, eorùm quoque corpora ſepulturâ non ſepararentur.*

Addit Gratianus exempla ſancti Ioſeph morientis in Ægypto, qui rogauit fratres ſuos, vt tempore viſitationis ſuæ oſſa ſua ſecum deferrent, & in ſepulchro patrum ſuorum collocarent, Gen. 15. Item maledictum Prophetæ qui contra præceptum Domini comederat in Bethel: Non inferetur ca-

Digitized by Google

dauer tuum in ſepulchrum patrum tuorum, 3. Reg. 13. Item de nonnullis legi in lib. Regum, appoſitus eſt ad patres ſuos. Quibus addit exempla beati Philippi, qui in eodem tumulo condi voluit cum filiabus; & beati Seueri Rauennatum Archiepiſcopi, qui tumulos pro ſe, & ſua familia fieri curauit. Adde can. *Placuit* 13. quæſt. 2.

Relictam etiam ſepulchri eligendi facultatem probatur ex Gregorio can. *Vltima*. 13. q. 2. & canone *Admonere*. 16. q. 1. *Vltima voluntas defuncti modis omnibus conſeruari debet.* Suffragatur Innocentius III. Epiſcopo Claremotenſi, & Abbati Maurianenſi cap. *In noſtra:* in quo electa apud Hoſpitalarios ſepultura, quibus libera erat facultas conceſſa ſepeliendorum fidelium, facta ab habente annos legitimos, probatur, ſolutâ tamen canonicâ portione Eccleſiæ parochiali; & mulieris nuptæ electio quoque valere ſtatuitur. Imo & patrum pro filiis impuberibus, vt, vbi voluerint, faciant ſepeliri, ſi hoc ferat loci conſuetudo Lucius III. decreuit, cap. *De vxore,* eodem tit. Nec obſtat Innocentius III. Genuenſi Archiepiſcopo cap. *Fraternitatem,* eodem tit. qui poſtquam ſtatuit: *Mortuorum ſepulchra, & cæmeteria, apud illas Eccleſias, & Monaſteria* (nota in Monaſteriis parochias olim fuiſſe, & ſepulturas, præſertim pro Fratribus Monaſterij) *ex antiquo eſſe diſpoſita; in quibus Religioſorum Fratrum Conuentus ſunt conſtituti, & orationes, atque Miſſarum ſolennia, tam pro viuis, quàm pro defunctis frequentiùs celebrantur: Vnde*, inquit, *ipſorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui apud hujuſmodi Eccleſias ſepeliri deſiderant, minimè contradicendum.* Hæc adjungit, *Qui verò relictis antiquis Eccleſiis, & patrum, aliorúmque parentum ſuorum ſepulchris, conſuetudinem Patrum veteris teſtamenti, qui cum patribus ſuis ſepulti eſſe leguntur, ad noua, & minùs religioſa loca ſe transferunt, irrationabiliter, & contra antiquam conſuetudinem facere videntur. Vnde ſi P. de Caſtello contra antiquam, & rationabilem conſuetudinem aliquid de corpore ſuo ſepeliendo mandauit, hoc non præjudicat rationi, ſed viribus debet carere; quocirca mandamus, quatenus corpus ipſius Monachis ſancti Stephani reddi facias, & cum ſuis patribus ſepeliri.* Iis enim videtur mihi reſpondendum, agi tantùm eo capite contra eos,

Digitized by Google

qui videntur aliorum precibus, fraudibúſque inducti ad eligendam ſepulturam; vel qui in contemptum Eccleſiæ parochialis, vel ſepulchri majorum, alibi ſe ſepeliri mandant; quorum electionem irritam eſſe ſtatuit, non ſimpliciter omnium; alioquin ſibi ipſi contradiceret cap. *In noſtra* citato. Nec renuit Bonifacius VIII. admittere jurium hac in re eſſe diuerſitatem cap. *Cùm quis.* §. *Si quis*, de ſepulturis in 6. Duplex igitur Eccleſia cõmuniter ad ſepulturam eligitur, ſeu duplex cœmeterium ſepulturæ locus eſt ordinarius, puta Eccleſia parochialis, ſeu ejus cœmeterium, & Eccleſia vel cœmeterium, in quo eſt ſepultura majorum. Nam vel corporis originem carnalem ſpectamus, vel ſpiritualem ejus regenerationem ad immortalitatem ſpectantem; ſi primum, ſepulchro majorum condetur corpus poſterorum. Si alterum, in ea Eccleſia humabitur, in qua Sacramenta quæ ſunt ſemina immortalitatis, ſuſcepit, juxta illud Amulonis Lugdunenſis ad Theobaldum Lingonenſem qui *vnamquamque plebem in Parœciis, & Eccleſiis, quibus attributa eſt, quieſcere exoptat, vbi ſacrum baptiſma accipi, vbi corpus, & ſanguinem Domini percipi, vbi Miſſarum ſolennia audiri conſueuit, vbi à Sacerdote ſuo pœnitentiam de reatu, viſitationem in infirmitate, ſepulturam in morte conſequitur.* Atque adeo ſicut ſpecialiter notatur, quod plebs in ea Eccleſia *decimas, & primitias ſuas offerre præcipitur*, ita ſpecialiter de Eccleſia parochiali obſeruatur quòd portio canonica ei tribuenda ſit; vt vbi quis decimas perſoluebat viuus, ibi ſepeliatur mortuus can. *Vbicunque* citato: & quemadmodum ægrotantis ſollicitudo fuit penes Parochum, & viuenti ſpiritalia alimenta ab eo ſuppeditari debuerunt; ita & temporales liberalitatis fructus ei tribuendi ſint.

Quo ſuppoſito, cautum ab Eccleſia fuit, vt ſi quis apud Regulares priuilegiatos ſepulturam elegerit, ei quidem liberum ſit; ſed tamen facultas iſta æquis quibuſdam conditionibus temperanda ſit. Primò igitur Regularibus priuilegiatis vetitum fuit, ne quemquam inducant ad ſepulturam in Eccleſiis ſuis eligendam. Certè antequam Regulares mendicantes in Eccleſia admiſſi fuiſſent, nulla ferè aduersùs iſtam impulſionem, & inſtigationem querimonia audiebatur;

propter

Digitized by Google

propter quam Epiſcoporum, & Parochorum aduersùs Regulares Mendicantes plurimæ poſtea fuerunt querelæ. Iis mederi conatus eſt Clemens V. in Concilio Viennenſi, Clementina *Dudum*, & Clementina *Eos qui*. Singulariter verò Clementina *Cupientes*, de pœnis. Cui præluxit Bonif. cap. 1. de ſepulturis in 6. his verbis: *Animarum periculis, & ſcandalis, quæ frequenter ex his proueniunt, obuiare volentes, vniuerſis Religioſis, & Secularibus Clericis, cujuſcunque ſtatus, & conditionis exiſtant, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub interminatione maledictionis æternæ, diſtrictiſſimè prohibemus, ne aliquos ad vouendum, jurandum, vel fide interpoſitâ, ſeu aliàs promittendum inducant, vt apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam vlteriùs non immutent. Nos enim, (ſi ſecus actum fuerit) electionem talem decernimus nullius penitus exiſtere firmitatis; ſtatuentes vt hi, qui ſic elegerint, nec apud ſic electas Eccleſias vllatenus ſepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum, aut promiſſum hujuſmodi à ſe factum materiam habeant veniendi) poſſint eligere ſepulturam; ſed, contradictione quacunque ceſſante, ſepeliantur omnino apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de jure fuiſſent, ſi aliàs ſepulturâ non electâ forſitan deceſſiſſent. Si verò iidem Religioſi, vel Clerici prædictos in ſuis Eccleſiis, vel cæmeteriis præſumpſerint ſepelire, ad reſtitutionem, tam ſepultorum corporum (ſi petantur) quàm etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum peruenerint quomodolibet ad eoſdem, infra decennium integraliter faciendam, ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quam niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quas ſepulti fuerint, necnon & cæmeteria earumdem, extunc eo ipſo ſint, & tandiu maneant eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto; donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum.*

Quod confirmat Clementina *Cupientes*. §. *ſanè: Sanè temerarios violatores Conſtitutionis illius, quæ Religioſis, & Clericis Secularibus prohibet, ne aliquos ad vouendum, jurandum, vel fide interpoſitâ, ſeu aliàs promittendum inducant, vt ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel jam electam vlteriùs non immutent, ſimilem ſententiam (pœna in dicta Conſtitutione contenta in ſuo perdurante robore) incurrere volumus ipſo facto, ab alio quàm à Sede Apoſtolica (præterquam in mortis articulo)*

Digitized by Google

nullatenus abſoluendos; nullis priuilegiis, aut ſtatutis, cujuſcunque tenoris exiſtant, ſuper his valituris.

Synodalia Rhemenſia auctore Guillelmo Archiepiſcopo Cardinale Philippi Valeſij Regis auunculo, quem Rhemis coronauit anno 1328. ſepultus ipſe in Eccleſia Rhemenſi anno 1334. apud Bochellum Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ lib. 3. tit. de ſepulturis. *Statutum eſt per Sedem Apoſtolicam* (puta per Bonifacium VIII. & Clementem V.) *vt animarum periculis obuietur, quòd nullus Religioſus, Secularis, aut alius, cujuſcunque conditionis exiſtat, inducat aliquos ad vouendum, jurandum, vel promittendum, quòd ſepulturam ſuam in Eccleſia ipſius, vel cœmeterio eligant; & hoc prohibetur ſub interminatione maledictionis æternæ. Et hoc ſimiliter prohibemus; & ſi ſecus factum fuerit, electio hujuſmodi auctoritate Apoſtolica nulla eſt ipſo jure: ſed tales ſic inducti, ſi decedant, apud Eccleſiam, apud quam de jure ſepeliri deberent, ſi nunquam vouiſſent, ſepelientur, & non alibi; ne contra ſuum votum venire videantur, quacunque conditione non obſtante. Si verò iidem Religioſi, vel alij quicunque aliquem ſic inductum ad vouendum in cœmeterio, vel Eccleſia eorumdem ſepelierint, ad reſtitutionem tam ſepultorum corporum, ſi petantur, quàm etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum peruenerunt quomodolibet ad eoſdem, teneantur: Et ad hoc ſunt de jure vſque ad decem annos efficaciter obligati. Et ſi præmiſſa conſtituere recuſauerint, Eccleſiæ eorum, & cœmeteria, apud quos ſepulti fuerint, extunc eo ipſo ſint, & tandiu remaneant eccleſiaſtico ſuppoſitæ interdicto; donec eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium præm ſſorum.*

Eadem Synodalia cap. 16. *Item ne Religioſi, vel aliæ perſonæ Seculares, cujuſcunque ſtatus, inducant aliquem ad eligendum in ſua Eccl ſia ſepulturam: & ſepelientes ad reſtitutionem, tam ſepulturæ, quàm omnium quæ occaſione ſepulturæ receperunt, infra decem dies faciendam, teneantur. Alioquin ipſorum Eccleſiæ, & cœmeteria extunc interdicto ſubjaceant ipſo facto.*

Synodus Lingonenſis anno 1404. apud Bochell. eodem lib. *Caueant perſonæ Eccleſiaſticæ, ſub interminatione maledictionis æternæ, ne inducant aliquos ad vouendum, vel jurandum, fide interpoſitâ, ſeu aliàs promittendum, vt apud eorum Eccleſias*

eligant ſepulturas, vel jam electas vlteriùs non mutent. Talis enim electio eſt irrita ; & qui ſic elegerit, non debet ad ipſas Eccleſias, nec alibi, vbi elegerit, ſepeliri ; ſed eſt ſepeliendus apud illam Eccleſiam in qua erat ſepeliendus, ſi ſepulturam non elegiſſet. Et Eccleſiaſticæ perſonæ, quæ contra prædicta fecerint, ſunt ipſo jure excommunicatæ : nec abſoluuntur, niſi per Papam, vel in mortis articulo. Perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ præſumpſerint tales, qui ſic, vt prædicitur, ſepulturas elegerunt in ſuis Eccleſiis ſepelire, tenentur ad reſtitutionem corporum ſepultorum, ſi petatur, & etiam omnium, quæ ratione ſepulturæ ad eos peruenerint, integraliter infra decem dies faciendam. Alioquin Eccleſiæ, & cœmeteria, vbi factæ fuerint tales ſepulturæ, ſunt interdicta, vſque ad ſatisfactionem præmiſſorum.

Eadem Synodus. *Quilibet ſanæ mentis, & habens annos diſcretionis, poteſt eligere ſepulturam, & ſepeliendus eſt in cœmeterio, vbi elegerit. Poteſt etiam pater facere ſepelire liberos impuberes vbi voluerit, ſi conſuetudo loci hoc habeat, aliàs non : Filius enim pubes ſine conſenſu Patris poteſt eligere ſepulturam vbi vult. Cùm quis eligit ſepulturam alibi, quàm in ſua parochiali Eccleſia, debetur parochiali Eccleſiæ canonica portio de funeralibus, quæ fiunt in ſepultura dicta. Canonica portio ſecundùm conſuetudinem loci taxatur interdum ad dimidiam partem, quandoque ad quartam. Sed de illis qui eligunt ſepulturam apud Fratres Mendicantes, de jure debetur quarta portio de omnibus funeralibus, & de omnibus relictis ad quoſcunque vſus certos, vel incertos.*

Synodus diœceſana Tholoſana paulò poſt ingreſſum Pontificatus Ioannis de Aurelia, ſeu d'*Orleans*, Franciſci Longæ-villæ filij, qui creatus eſt Archiepiſcopus Tholoſanus, ann. 1515. ingreſſus eſt Tholoſam ann. 1522. teſtimonio Petri Frizon in ſua Gallia purpurata : *Præcipimus, vt omnes Presbyteri ciuitatis, & diœceſis Tholoſanæ publicè, ſaltem bis in anno, moneant omnes, & ſingulos Parochianos, vt nullus eorum abſtrahat, nec abſtrahi permittat aliquem defunctum de domo ſua, ſiue in qua morabatur, pro ſepeliendo, ſine præſentia ſui Rectoris, vel Vicarij Eccleſiæ parochialis, ſeu ejus locum tenentis ; neque portet, vel aſſociet ipſum corpus defunctum ad aliam Eccleſiam, quàm ad Parochiam ipſius defuncti propriam, ſine licentia, vel permiſ-*

Digitized by Google

ſione ſupradicti Rectoris, vel Vicarij Eccleſiæ parochialis, vel ejus locum tenentis, quam præſentiam teneantur exhibere, tam de die, quàm de nocte fauorabiliter, ſine difficultate aliquali. Et paulò poſt: *Prohibemus (vt jam præmiſſum eſt) ne, non vocato, & præſente Rectore Parochiali, aut Vicario, cadauera mortuorum extra ſuas Eccleſias parochiales (niſi aliter auctoritate Iuſtitiæ ordinatum ſit) extrahantur. In his autem locis ſepeliendi ſunt mortui: videlicet primò in loco quem ipſi elegerint. Si autem moriens locum ſepulturæ ſuæ non deſignauit, apponatur in ſepulchro majorum. Si hæc deſunt, in cœmeterio illius Eccleſiæ tumuletur, vbi viuens domicilium habebat. Si autem acciderit aliquem, dum rus inuiſit, vel aliàs peregrè profectus eſt, extra domicilium ab hoc ſeculo migrare, in alterum præfatorum locorum, ſi id commodè fieri poſſit, deferatur.* Et paulò poſt rurſus: *Simili modo eiſdem Rectoribus, & Curatis præcipimus, vt nullus ipſorum Rectorum, ſeu Curatorum deinceps det ſuam præſentiam, licentiam, vel permiſſum, vt corpus alicujus Parochiani defuncti, cujuſcunque ſtatus, conditionis, dignitatis, vel ætatis fuerit, ad Eccleſiam, vel locum aliquem Religioſorum Mendicantium, vel alium pro ſepeliendo portetur, niſi priùs perfectè eis conſtiterit ipſum, dum viuebat, inibi ſuam elegiſſe ſepulturam, aut aliàs in caſibus juris prædictis.*

Synodus diœceſana Carnotenſis ann. 1526. *Inhibemus, ne quis corpus alicujus defuncti in alienam Parochiam transferre præſumat, ſine ſpeciali licentia Curati, in cujus Parochia deceſſit. Et quia juſtum eſt, vt temporalia metat, qui ſpiritalia viuenti miniſtrauit, volumus quòd quocunque in loco quis inhumetur, Canonica portio Eccleſiæ parochiali, in qua domicilium tempore mortis habuit, ſoluatur.*

Synodus prouincialis Rhemenſis ann. 1583. titulo de ſepulturis, duo ſtatuit circa controuerſias, quæ inter Regulares, & Parœcos, atque alios accidere poſſent. Primum numero 9. *Humata ſemel corpora fidelium exhumari, & in alia loca, quantumuis pia, & religioſa, deferri, ſine expreſſa Epiſcopi licentia, vetamus.* Alterum, num. 10. *Et ſi qua controuerſia de efferendo corpore, vel de alia aliqua re ſimili oriatur, ad ejuſdem Epiſcopi judicium referatur, ac illius arbitrio terminetur.*

Concilium Bituricenſe, pariter Prouinciale, & à Summo

Digitized by Google

Pontifice probatum, de ſepulturis habitum ann. 1584. c. 9. & 10. aliqua ad præſens inſtitutum ſpectantia decernit; canone quidem 9. *Omnes Chriſtiani, quibus teſtamenti condendi facultas libera eſt, inter teſtandum, de funere ſuo, & ſepulturæ loco mentionem faciant, aut ſaltem id fidei parentum, & amicorum committant. Quod ſi non fecerint, in propria Paræcia, aut in tumulo parentum, pro arbitrio hæredum, aut executorum inhumentur.* Canone verò 10. *Si teſtator ſe alibi, quàm in Paræcia ſua ſepeliri mandauerit, Parochus corpus defuncti è domo educendi jus habeat, & in Eccleſia, in qua ſepultura electa eſt, dimittat: ſaluo tamen ipſius Parochi jure, tum in quarta funeraria, tum in aliis, quæ jure, conſuetudine, aut diſpoſitione teſtatoris illi debentur. Si contra hanc Conſtitutionem Regulares, aut alij Eccleſiaſtici fecerint, eâve causâ tumultus excitarint, pœnis juris coërceantur.*

Concilium Narbonenſe ann. 1609. cap. 24. de ſepulturis prædicta confirmat: *Super quæſtionibus, quæ oriuntur ratione ſepulturæ defuncti, ſi teſtamento, aut verbo, præſentibus ſaltem duobus teſtibus, eam quis non elegerit, aut habeat ſuæ familiæ propriam, ſummariè per Ordinarium loci prouideatur: cujus ſententia, non obſtante quacunque appellatione, executioni demandetur. Quòd ſi facilè adiri non poſſit Ordinarius, aut cauſa breuiter tractari, tunc corpus defuncti intra cœmeterium Eccleſiæ parochialis, in qua deceſſit, ſepeliatur. Aliò cadauera portantes, fauorem, aut conſilium dantes ad hoc, excommunicentur, donec arbitrio Ordinarij fuerit ſatisfactum: etiamſi ſint Religioſi, aut Mendicantes. Externi verò, aut peregrini Parochiam appellamus eam, intra quam ægrotus deceſſit, à cujus Parocho infirmus Eccleſiaſtica recipere debet Sacramenta Decedentes in Parochia, ſi alibi ſint ſepeliendi, id non fiat, niſi vocato Parocho: & tunc matri Eccleſiæ præſententur, quæ ex funeralibus juribus recipiat juxta conſuetudinem, de qua diligenter inquirant Epiſcopi diœceſim viſitantes. Cruce præeunte, dum itur ab Eccleſia in domum defuncti ad ſepulturam deferendi, vigiliæ mortuorum ſine cantu, voce tamen aliquantulum eleuata, per Clericos, ſiue Seculares, ſiue Regulares ſint, recitentur: vt populus Eccleſiaſtica munia eos obire tunc intelligat.*

Digitized by Google

Conſentiunt Italica Concilia. Synodus Arretina diœceſana, ann. 1587. plurima circa ſepulturas ſtatuit, titulo de funeribus, & exequiis: *Cùm ab omni Sacerdotali actione ſordidæ ſuſpicio auaritiæ, tum vel maximè ab eo pietatis officio, quod mortuis debetur, deceat abeſſe, Apoſtolicis cautum eſt ſanctionibus, vinculo excommunicationis Papæ reſeruatæ, obſtringi Clericos omnes, tam Seculares, quàm Regulares, qui directè, vel indirectè aliquem cogunt, ſeu inducunt ad vouendum, jurandum, vel fide interpoſitâ, ſeu aliàs promittendum, vt ſepulturam apud eorum Eccleſias eligat, vel, jam electam, vlteriùs non immutet: cui pœna alioquin grauiſſimæ, alia arbitratu noſtro pecuniaria accedat.*

Varia alia conſtituit eadem Synodus circa locum peregrinorum, & aduenarum, qui non electâ ſibi ſepulturâ, deceſſerint: item eorum, qui intra alienæ Parochiæ fines interfecti fuerint. Præterea addit *vt, ſi ex febri, alióve morbo quis, dum recreationis, vel alterius rei causâ ruri, vel alibi extra propriam Parochiam reperitur, commoriatur; nec ibi ſepulturam elegerit, Parochus, in cujus Parochia is deceſſit (etſi in adminiſtrandis ægro Sacramentis, curandóque funere omnem laborem ſubierit) tertiam tantùm partem illius eleemoſynæ habeat, quæ Parochiali jure, funeris ratione debetur, reliquáque proprio defuncti Parocho omnino perſoluantur.*

Modum etiam, quo efferri debet cadauer defuncti profert eadem Synodus: *Nullus, tam Secularis, quàm Regularis Clericus audeat vnquam, Parocho defuncti non aſſiſtente, vel ſaltem permittente (ſi Epiſcopi, vel Vicarij licentia non interceſſerit) pro funere Parochiam aliquam ingredi, & inde corpus mortui aſportare. Qui contra fecerit, graui pœna, arbitrio noſtro, plectetur.*

Synodus Veneta ann. 1587. cap. 24. *Licèt cuicunque liberum ſit, in quibuſcunque etiam Regularium Eccleſiis eligere ſepulturam; non tamen parochialibus Eccleſiis quoquo modo præjudicari conceditur. Vnde Capellani quarumcunque ſcholarum, Priores Regularium, & Sacerdotes, ac Clerici quicunque non poſſint cadauera mortuorum in parochiali Eccleſia, in priuata domo, vel in quocunque alio loco exiſtentia eleuare, abſque proprij plebani,*

Digitized by Google

ſiue Procuratoris Capituli aſſenſu, & conſenſu; nec ab aliis ſic eleuari permittant, vel dum eleuantur, aſſiſtant, ſiue ſic eleuata committentur. Qui contra fecerint, ſint, ipſo facto, à diuinis ſuſpenſi, & teneantur nihilominus ad debita mortoria, ſiue funeralia cadaueris ſic eleuati, plebano, & capitulo prædictis ſoluenda, & reſtituenda. Quòd ſi ſemel cadauera ſepulturæ tradita ſint, ex vna ad aliam Eccleſiam non tranſportentur, niſi re cognita, & licentia Patriarchali priùs obtenta. Et ſi fortè electâ ſepulturâ in vna Eccleſia, ad certum tempus in alia Eccleſia deponerentur, vt commodè ad electam ſepulturam deinde transferantur, id expreſſè in libris Eccleſiæ annotari mandamus, ne jurgij aliquando detur occaſio.

Synodus Cremonenſis 2. ann. 1604. auctore Cæſare Speciano Epiſcopo, primùm quod ſupra prolatum eſt aduersùs Regulares inducentes ad eligendam in ſuis Eccleſiis ſepulturam, ſolidè confirmat, his verbis: *Cùm deceptus præſumatur, qui antiquam majorum ſuorum ſepulturam mutat; cùmque, (vt vſu compertum eſt) nonnulli Regulares ignorantes fortaſſe de Apoſtolica Conſtitutione excommunicari eos, qui electionem ſepulturæ in Eccleſia ſui Ordinis alicui ſuaſerint, ad mutandam, ſeu eligendam in Eccleſia præfata ſepulturam hortari Chriſtianos non deſinunt, ſtatuimus, vt in poſterum nulla electionis ſepulturæ ratio habeatur, de qua non aliter, quàm per ipſius Regularis aſſertionem, ſeu atteſtationem conſtiterit: etiam ſi infirmus peccata ſua ei confeſſus, id proteſtatus fuerit. Quòd ſi contra præſentis Decreti tenorem, & ſacrorum Canonum Regulares ſepulturæ electionem in ſui Ordinis Eccleſia ſuaſerint, eo ipſo, præter pœnas à jure ſtatutas, facultate confeſſiones audiendi priuati ſint.*

Præterea decernit circa ordinem funerum in hunc modum: *Clerici omnes Seculares, etiam Cathedralis noſtræ Eccleſiæ Canonici, & cujuſuis Ordinis Regulares, poſtquam ad Eccleſiam peruenerint, non priùs diſcedant, quàm ſepulturæ corpus traditum fuerit, & ſub eodem crucis vexillo, ſub quo venerunt, precéſque deuotè, & ſecretè recitantes, ad ſuas reuertantur Eccleſias, niſi aliquando ex aliqua vrgenti cauſa aliter ab Epiſcopo, vel ejus Vicario diſponatur. Parochus in funeribus ducendis vltra proprium Clerum, ſi alios ſibi coadjutores euocare*

Digitized by Google

debebit, primo loco Sacerdotes tanquam Dei Miniſtros, & Mediatores inter Deum & hominem, deinde Diaconos, & Subdiaconos, poſtea ceteros Minorum Ordinum Clericos, poſtremo verò loco Sodales alicujus Confraternitatis pro arbitrio hæredis defuncti.

Synodus Rauennat. 1. præſide Petro Cardinale Aldobrandino Archiepiſcopo, tit. de exequiis, & funeralibus, num. 2. *Nullius (etiam pueri) defuncti cadauer educatur è domo, vt in ſepulturam Eccleſiaſticam inferatur, niſi adhibitis conſuetis Eccleſiæ cæremoniis, & priùs admonito, ac præſente Parocho, vel alio, cui vices ſuas Parochus commiſerit.* Et can. 9. *Dum mortuorum corpora ſepulturæ mandantur, ſemper Parochus, aut pro eo alius adſtet, vt omnis ſuperſtitionis vitetur occaſio.* Denique, c. 22. *Cùm ſemel alicujus cadauer in aliqua Eccleſia ſeu cæmeterio, etiamſi Regularium ſit, ſepulturæ perpetuæ traditum fuerit, inde ne aſportetur, niſi de noſtra licentia in ſcriptis, & gratis obtenta.*

Federicus Cardinalis Borromæus Synodum Mediolanenſem edidit anno 1629. in cujus appendice varia ſunt decreta, & inſtructiones circa funera, ex quibus hæc præſenti loco inſerenda ſunt.

1° *Nulla vniuerſitas eligat ſepulturam extra Parochialem pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis, præſentibus, & futuris, non impetrata priùs à nobis, vel à noſtro Vicario generali facultate: aliter facta electio irrita omnino cenſeatur.*

Beneficiati decedentes non electâ ſepulturâ, ſepeliantur in ea Eccleſia, in qua beneficium obtinent, & tenentur reſidere, ſi id commodè fieri poſſit, modò ſit in ea Eccleſia peculiaris Eccleſiaſticorum ſepultura: ídque penitus fiat, etiamſi in aliena Parochia, in qua domicilium habeant mortem obierint, ibíque Sacramenta receperint: in quo tamen Parochum neque funeris proſequendi, neque quartæ Parochialis recipiendæ conſuetudine citra ceram capitularem priuare intelligimus. Secus tamen erit de Sacerdotibus, & Clericis non beneficiatis, quamuis alicui Eccleſiæ, quæ ſit extra Parochiam, in qua decedunt, adſcripti inſeruiant; vti etiam de beneficiatis, qui non tenentur reſidere, neque inſeruire per ipſos: eo quòd propterea non ſint tali Eccleſiæ perpetuò

tuo conjuncti, vt proinde ad eam Parochiam omnino pertineant, in qua domicilium habent. Qui allegant ſe habere ſepulchrum familiæ, vel majorum ſuorum extra Parochiam, poſſint à Parocho compelli ad illud probandum. Neque ſufficiat ſola Regularium atteſtatio, id in ſua Eccleſia eſſe affirmantium; cùm poſſit Parochus vti jure ſuo, donec de jure alterius legitimè conſtet.

Nullus audeat, omiſſo, vel neglecto proprio Parocho, defunctum quomodocunque in Eccleſiam Regularium introducere, vt ibi ab ipſis ſepeliatur. Propterea Parochi, quorum jus expreſſè violatur, temeritatem hujuſmodi diligenter aduertant, nóſque faciant certiores, vt contra transgreſſores ſeuerè pro ratione culpæ animaduertamus.

Si cadauer ſit deferendum ab Eccleſia, cui præſit Regularis, ad Eccleſiam, cui Secularis; vel è conuerſo, ſi interueniant ſoli Parochi, aut cum Parocho regulari alij Clerici ſeculares, eadem planè ſeruentur quæ ſuprà. Verùm ſi Parochus regularis ſecum adducat alios Regulares, locus dignior erit Cleri ſecularis, ſeruato Regularibus jure ſuo, quoad alias functiones.

Si ab Eccleſia collegiata ducendum ſit funus ad Eccleſiam Regularium, ſine ipſis Regularibus, aut certè etiam cum ipſis, qui tamen ceram non geſtent manibus, Clero eam geſtante; tunc cera, quam præ manibus habent Canonici, & reliqui de Capitulo, qui capitulariter funeri interfuerint, ipſis acquiratur, vel eorum Sacriſtiæ, prout in Synodo diœceſana 22. ſtatutum, & vſu receptum eſt. Ipſi verò Regulares, ad quorum Eccleſiam defertur cadauer pro ſepultura, contenti ſint medietate illius ceræ, quæ circa feretrum, aut aliter quomodocunque in illo funere adhibebitur. Retineant verò Clerici regulares laudabilem vſum perficiendi funus, & recitandi ſtatutas preces, & aſpergendi cadauer intra Eccleſiam ipſorum Regularium.

Caueant Regulares, ne vel indirectè, quod in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub interminatione maledictionis æternæ prohibitum fuit à Bonifacio VIII. inducant aliquos ad vouendum, jurandum, vel fide interpoſitâ, ſeu aliàs promittendum, vt apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam vlteriùs non immutent.

Eandem Conſtitutionem Bonifacij VIII. inculcat Syno-

Digitized by Google

dus Maceratenſis diœceſana, ann. 1651. cui adjungit: *Si ſecus factum fuerit, electio nulla erit. Si ſepeliatur, Eccleſia, ſiue cœmeterium interdicto ſubjacebit, prout in eadem Conſtitutione præſcribitur.*

Quibus quidem addimus Leonis X. in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 11. Bullam *Dum intra. Parochias autem cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Eccleſias domorum, & locorum eorumdem ſuam elegerint ſepulturam, intrare non poſſint, niſi priùs præmonito, & requiſito, ac non recuſante Parochiano Presbytero; & tunc ſine ejus, ac Ordinariȳ præjudicio: niſi ejuſmodi Fratribus ſuper hoc antiqua conſuetudo, quæ ſit in viridi obſeruantia, & cum pacifica poſſeſſione ſuffragetur.*

Item Decretum ſacræ Congregationis Cardinalium præfectorum negotiis Epiſcoporum, & Regularium, cui hodie neſcio cur non inhæreant Regulares, vtpote, & in Concilio Lateranenſi fundato, nec vſpiam reuocato. Profertur à Stephano Quaranta, tit. *Priuilegia Regularium*, §. *Ne liceat Regularibus leuare defunctorum funera, ſine proprio defuncti Parocho*, his verbis.

Licèt in ſacro generali Lateranenſi Concilio ſtatutum, & ordinatum fuerit, vt Fratres Ordinum Mendicantium, cæteríque Religioſi Regulares non poſſint intrare Parochias cum Cruce, ad leuanda funera eorum, qui apud Eccleſias domorum, & locorum eorumdem ſuam elegerint ſepulturam, niſi priùs præmonito, & requiſito, ac non recuſante Parochiano Presbytero; & tunc ſine ejus, & Ordinariȳ præjudicio: tamen ſignificatum eſt ſacræ Congregationi S. R. E. Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium propoſitæ, nonnullos Fratres, præſertim Ordinis Minorum de Obſeruantia, cujuſdam conſuetudinis prætextu, quam neque antiquitate vallari, neque obſeruantia viridi inniti, neque pacifica, & non interrupta poſſeſſione firmatam eſſe conſtat, contendere ſibi licere defunctorum funera, proprio eorum Parocho abſente, eóque irrequiſito efferre, & leuare; ídque haud leues controuerſias, & altercationes aliquibus in locis, non ſine populi ſcandalo, & Dei offenſione excitaſſe. Ideo volens eadem ſacra Congregatio omnem hujuſmodi diſſenſionum, & ſcandalorum materiam, & occaſionem præcidere, atque in futurum præuidere, vt tam Parochi

Digitized by Google

quàm Fratres ipſi vnanimi inter ſe voluntate, & eâ, qua par eſt, charitate, vltima hæc Chriſtianæ pietatis officia defunctis præſtent, declarat, & hujus decreti tenore ſtatuit, prædictis Fratribus Ordinis Minorum de Obſeruantia, aliiſque quibuſvis Regularibus quorumcunque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, exiſtant, nullomodo licere, etiam ſpecialis alicujus conſuetudinis prætextu, Parochias cum Cruce proceſſionaliter, aut aliàs, ad efferenda, & leuanda defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre; niſi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eóque ibidem præſente, ſi tamen ipſe aliter fieri non conſentiat, & permittat, vel niſi requiſitus venire expreſſè omnino recuſet. Atque ita obſeruari mandat, & diſtrictè præcipit, firmis ceteroqui, & in ſuo robore permanentibus iis omnibus, quæ ſuper quarta funerum, & canonica portione, aliiſque juribus ad ſepulturas pertinentibus, à ſacris Canonibus, & Conciliorum Decretis, Summorum Pontificum Conſtitutionibus hactenus ſancita, & ordinata ſunt; vel aliàs ex particulari conſuetudine, vel alio jure obſeruantur. Romæ die 12. Ianuarij anno 1604.

Demonſtrant autem iſta omnia, ita liberam facultatem ſepulturæ Regularibus conceſſam eſſe, vt tamen quibuſdam conditionibus adſtricta ſit; puta, ne Religioſi ad ſepulturam iſtam laicos inducant, cogant, vrgeant; ne abſente Parocho, aut non conſentiente, cadauer leuent, aut è domo efferant; ne Parochum ad Eccleſiam vſque Monaſterij corpus deferre impediant; ne primas tenere velint procedendo; ne etiam preces publicas in Eccleſia Monaſterij à Parocho fundi impediant, ne vbi aliqua controuerſia accidit, Epiſcopi judicium declinent, & cetera ejuſmodi, quæ, relegendo attentiùs, aduertes.

Vna eſt autem conditio, de qua ſæpius Canones: ſcilicet, vt Eccleſiæ parochiali portio canonica ſoluatur: quam quidem portionem variè aſſignatam fuiſſe ex jure conſtat. Nam dimidiam Leo omnibus fidelibus per Dardaniam conſtitutis relinquit cap. *relatum eſt*, de ſepulturis. Tertia aſſignata eſt, cap. 1. eodem titulo à Leone III. Quarta à Lucio III. cap. *Cùm ſuper*, eodem titulo. Circa quam diuerſitatem

Digitized by Google

conſuetudini ſtandum eſſe judicat Clemens III. eodem tit. cap. *Certificari*, juxta ſenſum ſancti Hieronymi epiſt. ad Lucinium pronuntiantis : *vt vnaquæque Prouincia in ſuo ſenſu abundet.*

Hæc porro canonica portio ferè jam deſiit; illiúſque loco ſumptus funerarij inducti ſunt; quorum etiam partem aliquam cedere debere Eccleſiæ parochiali decernitur, vt mox oſtendetur. Dixi portionem canonicam ferè jam deſiiſſe. Nam portio canonica innitebatur conſuetudini, quæ legis vim habere videbatur, vt quilibet fidelis Eccleſiæ partem bonorum ſuorum relinquere cogeretur titulo, & nomine exequiarum; quod jus mortuaria vocabant cap. *Officij de teſtamentis.* cap. *Conquerente, de officio Ordinarij.* Hunc autem morem antiquum plurima probant. Primum quidem Canon ille ex Auguſt. deſumptus ſerm. 2. *De vita Clericorum*, habetúrque octauus apud Gratian. 13. quæſt. 2. Temperat enim ibi Auguſtinus ſeueritatem quorundam, qui hominis exhæredantis filios ſuos, hæreditatem omnem ſuſcipiebant: *Si quis*, inquit, *iraſcitur filio ſuo, & moriens exhæredat eum; ſi viueret, non eum placarem? non ei filium reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio ſuo volo vt habeat pacem, cujus appeto hæreditatem? ſed planè ſic faciat, quod ſæpe hortatus ſum; vnum filium habet, putet Chriſtum alterum: duos habet, putet Chriſtum tertium: decem habet, Chriſtum vndecimum faciat; & ſuſcipio.* Saluianus Maſſilienſis totum lib. 3. de Eccleſia aduerſùs eos inſumit, qui nihil Eccleſiæ in pauperum, & religionis vſus teſtamento ſuo legant.

Dicebantur iſta à teſtatore pro anima ſua legari, cap. *Requiſiui, de teſtamentis*: & ex iis Epiſcopo aliqua debebantur eodem cap. & cap. *Officij* præcedente, vocabantur *oblationes defunctorum.* Qui Eccleſiis hæc denegabant, ſeueriſſimè puniebantur, vt patet ex Concilio Carthag. 4. can. 95. Vatenſi 1. c. 4. Agath. c. 4. Aurelian. 5. can. 16. & aliis paſſim. Et quæ à majoribus, aut mediocribus perſonis ita legabantur, *pro munere, vel facultate Sacerdotibus, aut Eccleſiis, aut quibuſlibet locis Sanctis, ſtudio mercedis pro juſtitia, pro Dei contemplatione conferri*, dicebantur, vt can. 16. Concilij Aurelian. 5.

Digitized by Google

ſub Clodouæo. Quandiu ergo mos iſte viguit, cautum fuit, & diligenter obſeruatum quota pars ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ parochiali deberetur. Stante quoque eadem conſuetudine nihil pro ſepultura exigi poterat, vt habetur, can. *Quæſta eſt*, can. *Poſtquam*, can. *In Eccleſiaſtico*, can. *Præcipiendum eſt*, 13. quæſt. 2. cap. *Abolendæ, de ſepulturis.* Vbi verò Eccleſiis oblationes fieri deſierunt, vel parciſſimè fieri, ad ſoluendum aliquid pro ſepultura hæredes compelli conſueuerunt cap. *finali, de ſepulturis*, & cap. *Ad Apoſtolicam, de ſimonia.*

Portionem autem iſtam canonicam ſumptuum funerariorum, ſiue legatorum in fauorem Eccleſiæ, in qua quis ſepulturam elegit, perſolui ſtatuit Synodus Tridentina ſeſſ. 25. cap. 13. *de reform.* his verbis: *Decernit ſancta Synodus, vt quibuſcunque in locis, jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, cathedrali, aut parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolui, ac poſtea fuerit ex quocunque priuilegio aliis Monaſteriis, hoſpitalibus, aut quibuſcunque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro jure, & eadem portione, quæ antea ſolebat, cathedrali ſeu parochiali Eccleſiæ perſoluatur, non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, priuilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcunque.*

ARTICVLVS XII.

CVM prædicationis munus ad Epiſcopum pertineat, tanquam præcipuum ejus munus, ei, quàm ſæpiſſime poterit, vacare tenetur, ſaltémque operam dare, vt hæc functio nonniſi per idoneos adminiſtretur. Quapropter Regularibus omnibus, etiamſi exemptos ſe profiteantur, prohibitum eſt, ne in vlla Eccleſia concionem habeant, abſque licentia Epiſcopi diœceſani, & non acceptâ ab eo miſſione, & benedictione, etiam in Eccleſiis ſuo-

ſùs Bohemos probat Henricus Kalteiſen Dominicanus, Theologiæ Profeſſor, oratione habitâ in Concilio Baſileenſi: probat, inquam, ex lege diuina, æterna, Moſaïca, Euangelica, & canonica, praxi Chriſti, praxi Apoſtolorum, praxi Eccleſiæ primitiuæ, Conciliorum, & Doctorum. Quorum omnium explicationem leges ad calcem Concilij Baſileenſis.

Certè Paulus extra ordinem Apoſtolus ex perſecutore Eccleſiæ factus, nec ſine miraculo ad Euangelium prædicandum excitatus; adeóque *non ab hominibus, neque per hominem, ſed per* IESVM CHRISTVM, *ſed per Deum Patrem, Apoſtolus*, quemadmodum ipſe de ſe profitetur initio epiſt. ad Galat. ne tamen miſſioni ſuæ aliquid deeſſe videretur, ſancti Petri, & aliorum Apoſtolorum, qui primi inter ipſos videbantur conſenſu miſſionem ſuam voluit confirmari: quemadmodum ipſe ſcribit cap. 2. ejuſdem epiſt. his verbis: *Deinde poſt annos quatuordecim, iterùm aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito: Aſcendi autem ex reuelatione, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus; ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem:* vnde Hieronymus epiſtola 89. ad Auguſtinum capite ſecundo, & Auguſtinus libro vigeſimooctauo contra Fauſtum capite quarto, Petri, & aliorum Apoſtolorum auctoritate roboratum fuiſſe Paulum aſſerunt, & commendatum.

Circa quod exemplum obſeruandum eſt Paulum, licèt non ab hominibus, ſed à Deo edoctum; licèt non per hominem, ſed per Chriſtum vocatum Apoſtolum; licèt tandem doctrinæ ſuæ certitudini minimè diffidentem, nullum tamen præjudicium auctoritati, ac dignitati ſuæ inferendum exiſtimaſſe, ſi teſtimonium quæreret ab hominibus; atque adeo facto ſuo Regulares monuiſſe, ne cùm ipſi in doctrina Chriſti prædicanda falli, & fallere poſſint, ſic deſipiunt vt recuſent Epiſcoporum, qui Apoſtolis in Eccleſia ſuccedunt, teſtimonium animæ, licèt à Summo Pontifice prædicandi licentiam habeant. Secus, caueant ne Pſeudo-prophetis ſimiles ſint, de quibus hæc apud Hieremiam querimonia

Digitized by Google

legitur cap. 23. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Caueant ne hæreticis quoque ſimiles videantur, qui ſine diuina diſpoſitione, ſine legitima vllius Eccleſiæ Præſidis auctoritate, cathedram conſcendunt; quos quidem redarguit Tertullianus de præſcriptionibus aduersùs hæreticos, maximè verò cap. 39. Cyprianus item epiſt. 59. ad Antonianum, & 77. ad Magnum. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, & alij paſſim. Eccleſiæ ordinem à Deo ipſo inſtitutum, qui *exemplar è cælo habet*, vt loquitur Bernardus lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium poſt medium, non ſibi contemnendum arbitrentur: *Nam*, inquit, *non eſt paruipendendum, quòd & Deum habet auctorem, & de cælo ducit originem: quòd ſi dicat Epiſcopus nolo eſſe ſub Archiepiſcopo, & Abbas (vel quilibet alius Regularis Abbate inferior) nolo obedire Epiſcopo, hoc de cælo non eſt: niſi tu fortè quempiam Angelorum de cælo audiſti dicentem, nolo eſſe ſub Archangelis; aut ex alio quolibet inferiorum ordinum alium non ferentem ſubeſſe cuiquam niſi ſoli Deo.* Verùm iis omnibus leuiter duntaxat perſtrictis alias ejus veritatis probationes vrgemus.

Ac primùm, ad Epiſcopos prædicandi Euangelij munus pertinuiſſe ab initio, præterire non poſſum. Ideo enim ab Apoſtolis eleemoſynarum diſpenſandarum cura, imo ſacrarum menſarum miniſterium in Diaconos initio naſcentis Eccleſiæ tranſlata ſunt, Act. 6. vt ipſi Apoſtoli prædicationi vacarent. Hinc Apoſt. Cor. 9. *Si euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero.* Idémque Timotheum à ſe Epiſcopum conſtitutum monebat, primæ ad Timotheum quarto: *Attende tibi, & doctrinæ.* Atque idcirco deinceps Canones Eccleſiaſtici hoc ipſis munus præſertim imponunt, vt patet ex Apoſtol. canone 58. Clementis epiſtola tertia in principio, Anacleti epiſtola ſecunda, ante finem, Euariſti epiſtola ſecunda in principio, Damaſi epiſtola quarta poſt medium, Gregorij lib. 1. regiſtri epiſt. 24. & lib. 2. Paſtoralis cap. 11. Synodi Carthaginenſis canone vigeſimo, Toletanæ quartæ canone vigeſimo-quarto, & vndecimæ capite ſecundo, Trullanæ

Digitized by Google

Trullanæ can. 19. Nicenæ 2. can. 2. Anglicæ Synodi ſub Hadriano I. c. 11. Variis Conciliis ſub Carolo, Turonenſi c. 4. Rhemenſi c. 14. & 15. Mogunt. c. 25. Cabilonen. quoque c. 1. & 2. Aquiſgran. 1. ſub Ludouico cap. 11. 12. & 13. Aquiſgran. 2. ſub eodem, parte 1. can. 8. Pariſienſ. ſub Ludouico, & Lothario lib. 1. cap. 5. & 10. & libro 3. cap. 1. Meldenſi ſub Carolo Caluo cap. 29. Synodo Romanâ ſub Eugenio II. & Leone IV. cap. 3. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 1. Synodo Baſileenſi ſeſſ 15. & aliorum, tam Conciliorum, quàm Summorum Pontificum Decretis paſſim.

Sed maximè notandum eſt quod in Concilio Tridentino habetur Seſſ. 5. de reform. cap. 2. Euangelij, ſcilicet, prædicationem *præcipuum Epiſcoporum munus eſſe;* quod quidem ex Patribus ſumpſerat Concilium. Nam Gregorius Nazianzenus Oratione prima ante medium, τὸ πρῶτον τῶν ἡμετέρων, *noſtrorum*, id eſt, Epiſcoporum (quorum ſcilicet nomine loquitur) *primum* eſt prædicatio. Chryſoſtomus toto lib. 5. de Sacerdotio, neceſſariam in Sacerdote, ſeu Epiſcopo concionandi facultatem, atque peritiam contendit; eúmque inutilem populo futurum oſtendit, qui in ea arte verſatus non ſit. Prædicandi quoque munus Epiſcopis neceſſarium oſtendit Cyrillus, hom. 1. & 22. de feſtis Paſchalibus. Imo hoc præcipuum munus eſſe, vt fide excellat, & populum ſibi creditum fideliter doceat Epiſcopus, confirmat epiſtola Ioannis Antiocheni, & Orientalium ad Xiſtum Romanum, Cyrillum Alexandrinum, & Maximinum Conſtantinopolitanum. Sanctus Leo de Paſſione Domini ſerm. 7. & 11. epiſt. verò 93. cap. 17. in Epiſcopis deligendis eò majorem ſollicitudinem habendam eſſe docet, quòd fidei prædicandæ officium ſuſceperint. Gregorius Paſtoralis curæ parte 1. cap. 11. *Huic*, inquit, *Moyſi præcipitur, vt Tabernaculum Sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, vt videlicet voces prædicationis habeat, ne ſuperni ſpectatoris judicium ex ſilentio offendat; ſcriptum quippe eſt, vt audiatur ſonitus, quando ingreditur Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur. Sacerdos namque ingrediens, vel egrediens moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur; quia iram con-*

tra ſe occulti Iudicis exigit, ſi ſine ſonitu prædicationis incedit. Ambroſius lib. 1. de Officiis, cap. 1. *Cùm jam effugere*, inquit, *non poſſimus officium docendi, quod nobis effugientibus impoſuit Sacerdotij neceſſitudo.* Auguſtinus, ſerm. 16. de verbis Domini: *Quis non*, inquit, *eligeret tacere, & de vobis rationem non reddere.* Et ſerm. 243. & 244. reum fore ſe, & ante tribunal Chriſti rationem pro animabus redditurum conteſtatur, niſi quædam, quæ ſibi neceſſaria ad morum correctionem videbantur, in medium proferret. Idem agnouit Guntramnus Rex Francorum ad Synodum Matiſconenſ. 2. *Licèt*, inquit, *abſque noſtra admonitione, ad vos* (Epiſcopos) *ſpecialiter prædicandi cauſa pertineat; attamen reliquorum peccatis vos omnino credimus eſſe participes, ſi filiorum veſtrorum culpas non aſſiduâ objurgatione corrigitis.* Idem agnouere ſanctiſſimi illi Epiſcopi quotquot ſunt, qui deflent ſe ad Epiſcopalem dignitatem aſſumptos, compelli priùs docere, quàm didicerint; vt Sidonius, lib. 5. epiſt. 3. Ambroſius loco citato, Ruricius epiſt. 8. & 9. lib. 1. & alij. Paucis verò multa comprehendit Ferrandus Diaconus epiſt. ad Seuerum Scholaſticum: *Loquantur*, inquit, *& prædicent, quibus honor Sacerdotij docendi auctoritatem tribuit.* Addi poſſet Car. Magnus, lib. 1. Capitul. cap. 108.

Quæ omnia, vt rationi, & antiquæ Eccleſiæ praxi conformia, recentiùs agnouerunt Concilia Mediolan. 1. ſub ſancto Carolo anno 1583. Decreto de prædicatione verbi Dei, Rothomag. anno 1581. de Curatorum, & aliorum Officiis num. 38. Burdegal. 1. anno 1582. tit. *De verbi diuini prædicatione.* Turonenſe anno 1583. Bituricenſe anno 1584. tit. 1. can. 3. Aquenſe anno 1585. Tholoſ. anno 1590. & alia paſſim.

Sic autem propria Epiſcopalis officij viſa eſt Euangelij prædicatio, vt pleriſque in locis ſoli Epiſcopi olim concionarentur. Nam teſte Socrate, lib. 5. cap. 21. quod etiam confirmat Nicephorus, lib. 12. cap. 34. *Alexandriæ non concionatur Presbyter: qui mos eo tempore initium habuit, quo Arius perturbauit Eccleſiam.* In aliis pleriſque concionabantur quidem Preſbyteri, ſed non Epiſcopo præſente: vnde Poſſidius in vita ſancti Auguſtini, cap. 5. refert tanquam

Digitized by Google

inuſitatum, quod Valerius Hipponenſis Præſul, *cùm ſe, quod homo natura Græcus eſſet, minúſque Latinâ linguâ, & literis inſtructus, minùs vtilem intelligeret, Auguſtino Presbytero poteſtatem dedit coram ſe in Eccleſia Euangelium prædicandi, ac frequentiſſimè tractandi contra vſum quidem, & conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum. Vnde etiam & nonnulli Epiſcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis, ac prouidus in Orientalibus Eccleſiis id ex more fieri ſciens, vtilitatíque Eccleſiæ ſuæ conſulens, obtrectantium non curabat linguas, dummodo factitaretur à Presbytero, quod à ſe Epiſcopo impleri poſſe minimè cernebat. Vnde accenſa, & ardens eleuata ſuper candelabrum lucerna omnibus, qui in domo erant, lucebat. Et poſtea currente, & volante hujuſmodi famâ, bono præcedente exemplo, acceptâ ab Epiſcopis poteſtate, Presbyteri nonnulli coram Epiſcopis populis cœperunt tractare verbum Dei.*

Ex ea fortè conſuetudine profluxit, vt in Concilio Vaſenſi cap. 6. licentia concionandi Preſbyteris in ſuis Parochiis conceſſa ſit, iis verbis: *Hoc etiam pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro vtilitate totius populi, nobis placuit, vt non ſolùm in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus Parochiis, verbum faciendi daremus Presbyteris poteſtatem: itaut ſi Presbyter aliquâ infirmitate prohibente, per ſeipſum prædicare non poſſit, ſanctorum Patrum homiliæ à Diaconibus probatis recitentur.* Refertur à Burch. lib. 2. cap. 232. Permiſſio autem iſta ſupponit contrarium morem in ea Prouincia Galliæ ſaltem fuiſſe. In Orientalibus verò Eccleſiis prædicabant quidem Preſbyteri præſentibus Epiſcopis, & poſt Epiſcopos, vt patet ex Conſtitutionibus Apoſtol. lib. 2. cap. 57. ita tamen vt præludere ipſi viderentur, & grauiorum materiarum vberiorem tractationem Epiſcopo relinquerent, vt conſtat ex Chryſoſtomi pluribus homiliis, quibus excuſat ſe quòd Epiſcopo ſuo præiuerit, animúmque auditorum ad ſecuturam ejus concionem inducit, vt hom. 1. de Pœnitentia ad calcem, hom. de Natiuitate ad 2. Lucæ caput versùs finem, hom. 2. & 3. de verbis Iſaïæ, & in oratione de beato Philogonio, & quibuſdam aliis.

Fauet etiam nobis illa conſuetudo, juxta quam ab Epiſco-

Digitized by Google

pis præſentibus concionaturi benedictionem accipiunt: quemadmodum in vita ſancti Amandi Trajectenſis Epiſcopi, à Beda venerabili conſcripta, factitatum legimus. Hic enim cùm in inferiori Presbyteratu adhuc eſſet, benedictionem à ſuo Antiſtite ſolitus erat poſtulare. Legimus etiam apud Simeonem Metaphraſt. ab iſtis verbis κύριε εὐλόγησον, *Domine benedic*, ipſum orationem de ſancto Dionyſio auſpicatum fuiſſe, quam habes poſt opera ſancti Dionyſij à Petro Lanſſelio edita. Quod in vſu quoque apud antiquos fuiſſe colligitur ex verbis iſtis Athanaſij πάτηρ εὐλόγησον *Pater benedic*, à quibus ſuam de Aſcenſione Chriſti orationem exorſus eſt, cùm nondum, vt probabile eſt, Epiſcopus eſſet, coram Alexandro Alexandrino; antequam introducta eſſet iſta conſuetudo, quæ poſtea, vt diximus, inoleuit, ne qui Epiſcopus non eſſet, Alexandriæ coram populo diſſereret. Iis ſimilia præmittuntur Oratione 4. beati Chryſoſtomi in die feſto Palmarum, & 5. de Aſcenſione Domini ex Gerardi Voſſij verſione. Qui tandem mos confirmari poteſt ex ſolenni iſta formula recitari ſolita in ſacris precibus, antequam lectio ſacra publicè legatur εὐλόγησον δέσποτα *benedic Domine*, ſeu, jube domne benedicere: quarum priorem à domeſtico, ſeu Præcentore recitari ſolitam apud Græcos refert Ioannes Epiſcopus Citri in reſponſis ad Cabaſilam: poſteriorem in Eccleſiâ Latina vſitatam, Rupertus ſcribit, lib. 1. de diuinis Officiis, cap. 12. & alij plures.

Præter generalia præcepta Patrum, ne quid Preſbyteri inconſulto facerent Epiſcopo, plurima alia ſingularia pro lege iſta adſtruenda ſuppetunt è Canonibus, & probatis auctoribus facilè haurienda.

Primò ſiquidem Leo Magnus epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum Epiſcopum cap. 6. *Monet, vt præter eos, qui ſunt Domini Sacerdotes, nullus ſibi jus docendi, & prædicandi audeat vindicare, ſiue ille ſit Monachus, ſiue ſit laicus, qui alicujus ſcientiæ nomine glorietur* &c. Quod ipſum neceſſariò ſibi præcipiendum fuiſſe, docet epiſt. ſequenti ad Theodoret. Epiſcopum Cyri, *propter improbitatem Monachorum quorundam*, qui docendi officium temerè ſibi arrogauerant. Clariùs autem

Vigilius Papa epiſt. Ruſtico, & Sebaſtiano, quæ lecta eſt in 5. Synodo, collatione 7. *Adjeciſtis etiam*, inquit, *per ſuperbiam execrandam, quæ nec leguntur, ſine Pontificis iuſsione, auctoritatem vobis prædicationis contra omnem conſuetudinem, vel Canones vindicare* &c.

Secundò, in Concilio Cæſarauguſtano ſub Damaſo contra Priſcillianiſtas habito, can. 7. ſtatutum eſt *ne quis Doctoris ſibi nomen imponat, præter has perſonas, quibus conceſſum eſt.* Qui canon manifeſtè oſtendit, quoſdam tempore Damaſi ſeligi conſueuiſſe ab Epiſcopis, qui Doctoris officio fungerentur: quemadmodum olim Doctorem audientium apud Cyprianum, epiſt. 24. poſt diligens examen, conſtitutum fuiſſe legimus. Quales etiam olim Alexandriæ Catechiſtas inſignes fuiſſe ſelectos, Pantænum, Clementem Alexandr. Origenem, Dionyſium, Epiſcopum poſtea Alexandrinæ Eccleſiæ, alióſque ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lectione compertum habemus. Iuxta quam normam præcipit Synodus Meldenſis ſub Carolo Caluo, vt quiſque Epiſcopus talem habere juxta ſe pro viribus decertet, qui juxta puriſſimum ſenſum Catholicorum, de fide, & obſeruationibus mandatorum Dei, ſeu de prædicationis doctrina Preſbyteros plebium aſſiduè inſtruat, & informet. Atque ita ſanctum Vincentium à Valerio Cæſarauguſtano Euangelij prædicandi curam ſuſcepiſſe in ejus vita legimus. Iuxta eandem normam præcipiunt Concilia Aquiſgran. 2. ſub Ludouico part. 2. cap. 11. Valent. ſub Lothario cap. 16. Innocent. III. in Concilio Lateran. cap. 10. vt probatos, & idoneos viros Epiſcopi populis prouideant; qui, ſi ipſi non poſſint, eorum loco populum exhortentur, & doceant. Ita verò Chryſoſtomus in Antiochena Eccleſia, Auguſtinus in Eccleſia Hipponenſi, aliíque ejus imitatione in Africa conſtituti Euangelij præcones hoc munere defuncti ſunt. In Eccléſia autem Conſtantinopolitana τὸν διδάσκαλον τοῦ ἀποστόλου, qui Apoſtolum interpretaretur τὸν διδάσκαλον τοῦ ψαλτηρίου, qui interpretaretur Pſalterium, & τὸν ῥήτορα, ſeu Rhetorem qui ſacras omnes Scripturas interpretaretur, & ex ipſis, ni fallor, apud populum, concionatorio more diſſereret, inter Officiales Eccle-

ſiæ Conſtantinopolit. refert Codinus. Déque his Doctoribus loquens Balſamon in canonem 19. Synodi Trullanæ hæc habet, quæ ad propoſitum maximè faciunt: *Nota ergo*, inquit, *ex hoc canone, quòd populum docere ſolis Epiſcopis datum eſt, & magnæ Eccleſiæ Doctores Patriarchæ iure docent* &c.

Tertiò, in Concilio Trullano, non Preſbyteris ſolùm, ſed & Epiſcopis in aliena ciuitate, propriâ ſcilicet auctoritate, habere conciones interdicitur canone qui 20. recenſetur: *Ne liceat Epiſcopo in aliena, quæ ad ſe non pertinet, ciuitate publicè docere. Si quis autem hoc facere deprehenſus fuerit, ab Epiſcopatu deſiſtat; Presbyteri autem munere fungatur.* Vetus in Eccleſia malum hoc canone damnatum eſt; quòdque in Oriente præſertim plurimorum aliorum ſeminarium fuerat. Nempe cùm minùs populoſarum ciuitatum Epiſcopi in primariis, & populoſiſſimis ciuitatibus, maximè verò in iis in quibus Imperatores habitarent, diù morarentur, & ad habendas ibi conciones Eccleſias ſuas deſererent.

Quartò, Concil. Lateran. ſub Innoc. III. c. 3. eorum audaciam acriter reprehendit, & punit, qui abſque licentia Epiſcoporum cathedras, docendíque munus vſurpare præſumerent: *Quia*, inquit, *nonnulli ſub ſpecie pietatis, virtutem eius, quod ait Apoſtolus, abnegantes, auctoritatem ſibi vindicant prædicandi, cùm ipſe Apoſtolus dicat, quomodo prædicabunt, niſi mittantur: omnes qui prohibiti, vel non miſſi, præter auctoritatem ab Apoſtolica Sede, vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publicè, vel priuatim, prædicationis officium vſurpare præſumpſerint, excommunicationis vinculo innodentur; & niſi quantociùs reſipuerint, aliâ competenti pœnâ plectantur.* Et cap. 62. *Eleemoſynarum quæſtores, quorum quidam, ſe alios mentiendo, abuſiones nonnullas in ſua prædicatione proponunt, admitti, niſi Apoſtolici, vel diæceſani Epiſcopi litteras veras exhibeant, prohibêmus: & tunc præter id, quod in ipſis continebitur litteris, nihil proponere permittantur.* In Concilio quoque Conſtantienſi ſeſſ. 24. inter articulos Wiclephi, tam à Concilio, quàm à Martino V. damnatos 14. loco hìc refertur, *licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei, abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſiue Epiſcopi Catholici.*

Digitized by Google

Quintò, ante tempora Concilij Lateranenſis citati, ſtatuta Synodalia Odonis Pariſienſis, qui floruit ad ann. 1175. in communibus præceptis num. 16. juxta morem iſto tempore receptum ſic ſtatuunt: *Nullus, recipiatur ad prædicandum, niſi ſit authentica perſona, vel ab Epiſcopo, vel ab Archidiacono miſſus.* Et Concilium Normaniæ apud Iullam Bonam ſub Guillelmo Rege Angliæ, Normaniæ Duce art. 42. teſte Orderico Vitali Hiſt. Eccleſ. lib. 5. ſtatuit: *Vt in Parochia Epiſcopi, ſine licentia ejus, nullus audeat prædicare.* Concilium autem Pictauienſe ſub Paſchali II. can. 11. *Vt nullus Monachorum parochiale miniſterium Presbyterorum, baptiſare, prædicare, pecuniam dare præſumat.* Et can. præcedenti, *Vt Clerici Regulares juſſu Epiſcopi ſui baptiſare, prædicare, mortuos ſepelire licenter poſſint.*

Sextò, vno ferè poſt Concilium citatum Lateranenſe ſeculo in gratiam Mendicantium, qui tunc plurimum poterant, & vberrimam concionibus ſuis apud populum meſſem collegerant, relaxata iſta Eccleſiæ diſciplina, non omnino ſublata eſt. Reperio ſiquidem Bonifacium VIII. vt refertur citatâ ſuperiùs Clementinâ *Dudum, de ſepulturis,* Fratribus tam Prædicatoribus vulgo dictis, quàm Minoribus conceſſiſſe: *Vt dictorum Ordinum Fratres in Eccleſiis, ac locis eorum, ac in plateis communibus liberè valerent Clero, ac populo prædicare, ac proponere verbum Dei; horâ illâ duntaxat exceptâ, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolennes prædicari; in qua prædicare ceſſabunt: præterquam ſi aliud de Prælatorum ipſorum voluntate proceſſerit, ac licentia ſpeciali. In ſtudiis autem generalibus, vbi ſermones ad Clerum fieri ſolent, diebus illis quibus prædicari ſolenniter conſueuit, ad funera etiam mortuorum, & in feſtis ſpecialibus, ſiue peculiaribus eorumdem fratrum, poſſunt iidem fratres, & liceat eis, liberè prædicare; niſi fortè illâ horâ, qua ſolet ad Clerum in prædictis locis Dei verbum proponi, Epiſcopus, vel Prælatus ſuperior Clerum ad ſe generaliter conuocaret, aut ex aliqua ratione, vel cauſa vrgente Clerum ipſum duceret congregandum. In Eccleſiis autem Parœcialibus fratres illi nullatenus audeant, vel debeant prædicare, vel proponere verbum Dei, niſi fratres prædicti à*

Digitized by Google

Paræcialibus Sacerdotibus inuitati fuerint, vel vocati, & de ipſorum beneplacito, & aſſenſu, petita licentia fuerit, & obtenta: niſi Epiſcopus vel Prælatus ſuperior per eoſdem fratres prædicari mandarit.

Vtrum autem ſine licentia quacunque etiam generali ab Epiſcopo recepta, fratres vi iſtius Bullæ, prædicare poſſint, non ſatis ex verbis ipſius colligo. At verò reperio Benedictum XI. extrauag. *inter cunctas, de priuileg.* inter extrauag. communes, clariùs approbationem Epiſcoporum tanquam minùs neceſſariam fratribus ad concionandum excluſiſſe iis verbis. *Statuimus de fratrum noſtrorum conſilio, vt Priorum Ordinum fratres, qui ad hoc deputati fuerint, in Eccleſiis, ac locis ipſorum, quæ inpræſentiarum habent, ac inpoſterum obtinebunt, ac in plateis communibus, ſeu publicis liberè, abſque Diœceſanorum, & aliorum Prælatorum petita licentia valeant Clero, ac populo prædicare; eique proponere verbum Dei. Caueant autem omnino ne horâ, in qua Diœceſani prædicti prædicarent, vel coram ſe facerent prædicari, prædicent iidem fratres. Putamus enim dignum, vt maiori minor, & ſuperiori deferat inferior in hac parte*, &c. vt ſuprà. Sed hæc extrauagans Benedicti conſtitutio diù non viguit: quippe cùm ipsâ valere juſsâ, Bonifacianam prædictam Clemens V. in Concilio Viennenſi in vſum reuocarit Clementina *Dudum, de ſepulturis*, vt jam oſtendimus. Concilium autem Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 11. Quod diſſidia inter Seculares, & Regulares in pluribus componit, nihil omnino ſtatuit hac de re.

Vnde non dubitauit Concilium Toletanum Prouinciale habitum anno 1473. quibuſlibet omnino prædicationis officium abſque Epiſcopi licentia interdicere Decreto iſto 13. *Prædicationis officium, quod animarum pabulum eſt ſpirituale, illis duntaxat eſt commendandum, qui non ambitione temporalis ſubſtantiæ, ſed animarum zelo intendant, & profectui. Verùm quia Prælatorum (vt ita dicamus) incuriâ plures Religioſi, & Clerici, ac alii nonnulli per Eccleſias laxatis habenis diſcurrunt, & plebibus varia, & ridiculoſa exponunt, & gratias concedunt innumeras pro exigua pecuniæ quantitate, quas nec*

nec immenſa diuinæ largitatis clementia, nec ſacra Summi Pontificis auctoritas conſueuit erogare in noſtræ Religionis vilipendium, & fidelium periculum animarum. Nos hoſtiles calliditates, & aſtutias in Domino præcludere cupientes, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, ne de cetero quicumque Prædicatores, tam Religioſi, quàm Seculares, per noſtram Prouinciam gratiâ prædicationis exercendæ diſcurrere audeant quomodolibet, noſtrâ, & Epiſcoporum, in quorum diœceſi moram traxerint, non obtentâ licentiâ.

Non dubitauit quoque Concilium Senonenſe in Galliâ anno 1528. parte 1. cap. 35. fuſiùs & diſtinctiùs eamdem legem iis verbis confirmare, quæ Synodus Carnotenſis diœceſana anno 1526. protulerat: *Inuidens ſemper humanæ ſaluti zizaniarum ſator diabolus, quod in agrum dominicum per ſe directè non poteſt, id nonnunquam per ſuos, quos poſſidet, cupiditatis igne ſuccenſos, exquiſitis modis efficere conatur. Siquidem dum nonnulli Prædicatores, quæſtores, ſub falso nonnunquam ſimulatæ religionis habitu ſubintrant prædicationis officium, circumuentis Parochialibus Presbyteris vſurpant nouas doctrinas, & ſæpenumero hæreſes apud rudem plebeculam diſſeminant; & beneuolentiam vulgi captantes, Adminiſtratoribus tam Eccleſiaſticis, quàm Secularibus detrahunt, ſuis majoribus rebelles, & penitus inobedientes reddunt; plantare fingentes, deſtruunt; ſeditiones excitant, ſcandala immittunt; & dum quem venantur quæſtum fuerint aſſecuti, continuò recedentes, anxias ſuorum auditorum animas, promiſſa ſibi ſalutis ſpe, vacuas, ſed & variis expoſitas periculis relinquunt, errorum laqueis multiplicibus inuolutas. Nos ergo talibus viam, quantum poſſumus, cum Deo præcludere cupientes, præcipimus omnibus, & ſingulis Suffraganeis noſtris, ne vllos, cujuſcunque ſtatus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, Prædicatores, quæſtores, Religioſos, ſeu ſeculares, extraneos, ſeu diœceſanos quauis occaſione, ſeu cauſa ad officium prædicationis in Eccleſiis per ſuas diœceſes conſtitutis permittant, tolerèntve; niſi ab ipſis Suffraganeis, eorúmve Vicariis approbati, & ad hoc nominatim miſſi extiterint. Quomodo enim ſecundùm Apoſtolum prædicabunt, niſi mittantur? & veritas ipſa dicit in Euangelio, rogate do-*

Digitized by Google

minum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam, &c.

Non dubitauit etiam Concilium Colonienſe anno 1536. habitum parte 4. cap. 5. poſtquam pſeudoprædicatorum conditiones depinxit, damnáque ab iis Eccleſiæ illata deplorauit, vt iis vtique mederetur, in hunc modum ſtatuere: *Chriſti ergo præceptum, quantum nobis ipſe concedit, ſequentes, quo lupos tam peſtilentes ab ouilibus, ac diœceſibus noſtris abigamus, viſum nobis eſt operæ pretium fore antiquos innouare canones, quibus præcipitur, ne vlli ad verbi miniſterium, ſeu prædicationis officium, niſi juſſi, auctoritatéque ordinaria approbati ſint, admittantur: quomodo enim ſecundùm Apoſtolum prædicabunt, niſi mittantur?*

Ex quibus omnibus conſtat non nouum eſſe Concilij Tridentini decretum, quo ad conciones habendas nemini aditus patet, niſi qui ab Epiſcopo loci approbatus fuerit: imo licèt fortè negligentia Epiſcoporum quibuſdam ante iſtam Tridentinam ſanctionem aditus pateret; nihilominus ne Regularibus quidem jure licuiſſe officium iſtud aſſumere, niſi ab Epiſcopo probatis, & legitimam miſſionem habentibus. Conſtat etiam Benedicti XI. conſtitutionem breuiſſimo tempore viguiſſe; nec niſi ægrè Summos Pontifices alicui vnquam iſtam licentiam concionandi in diœceſibus Epiſcoporum, ſine ipſorum approbatione, multò minùs pluribus integris Ordinibus, dediſſe, præuidentes ſcilicet maxima pericula erroris diſſeminandi ſuboriri poſſe, ſi ij qui Epiſcopis ignoti eſſent, & quorum fides, ac doctrina minùs probata, tam præpropere in cathedras inſiliant, cùm hac ſemel indulta libertate plurimi vitioſi, imo & hæretici mentiti etiam Catholicum nomen, & profeſſionem Regularem, ac ſub ouina Monachorum pelle lupinam tegentes ferociam, in ouile dominicum ad mactandum, & perdendum ſubintrare poſſent; quos nonniſi difficillimè proprius paſtor detegeret, & abigeret. Cujuſmodi proinde hominibus fortiter reſiſtendum cenſebat S. Bonifacius Moguntinus præſul, Martyrque laudatiſſimus, vt patet ex ejus epiſtola ad Zachariam: *Quos contra*, inquit, *contendimus, quia Apoſtolicam Sedem nequaquam contra decreta canonum audiuimus judi-*

Digitized by Google

caſſe: ſubmiſsè tamen, vt decet, auctoritatis Apoſtolicæ reſponſum ſuper iiſdem expetebat, *vt per cautelam doctrinæ Summi Pontificis oues Eccleſiæ non ſeducantur; & lupi rapaces conuicti, & ſuperati pereant.* Quam vtique rationem gerendi ſe cum talibus hominibus, vt etiam tanquam mentitis Apoſtolicæ Sedis licentiam concionandi, ipſis facultas adimeretur, dictus Zacharias epiſt. 1. qua prioribus Bonifacij ſcriptis ſatisfacit, non inuitus approbat cap. 7. *Nam*, inquit, *& de Sacerdotibus illis, qui falſa opinantur, qui etiam adulteri, & fornicatores probantur, & ſibi ab Apoſtolica Sede indultum eſſe teſtantur, & licentiam prædicationis ſibi conceſſam eſſe; hoc nulla ratione credat tua ſancta Fraternitas, ſed ſimiliter in eis canonicam exerce vindictam, quemadmodum de his, de quibus à nobis edoctus monſtraris. Non enim aliud te agere volumus, præterquam quæ ſacri præcipiunt canones, vel etiam ab hac Apoſtolica Sede inſtructus eſſe dignoſceris.* Relinqui igitur Epiſcopis hoc onus debuit, vt in approbandis Concionatoribus toti oculei ſint, quos proinde Athanaſius Conſtantinopolitanus Patriarcha, qui floruit ſub Andronico Imperatore, teſte Nicephoro Gregora lib. 6. epiſt. ad Epiſcopos ad ſuas diœceſes proficiſcentes, monet ad hæc prouidendum, *ne cuiuis pateat aſcenſus in ſuggeſtum, neque docere liceat, niſi ei qui caſtitate etiam, & temperantia, atque pietate præditus ſit,* tom. 3. Biblioth. PP. Annon verò ſatis operoſum hoc examen in deligendo Concionatore, in quo tot dotes neceſſariæ judicantur?

Quamobrem quæ ſuperioribus ſeculis probata; & quæ nonniſi fortè Epiſcoporum negligentia, quibuſdam in locis intermiſſa fuerant, & alibi religiosè obſeruata, vel certè obſeruanda erant; hæc à Tridentino Concilio ſaluberrimis iſtis Decretis confirmata ſunt: quorum primum habetur ſeſſ. 5. de reform. cap. 2. *Regulares verò cujuſcunque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis verò quæ ſuorum Ordi-*

num non ſunt, vltra licentiam ſuorum Superiorum, etiam licentiam Epiſcopi habere teneantur: ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum, nullo modo prædicare poſſint. Ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant. Si verò, quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiamſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quòd ſi hæreſes prædicauerit, contra eum ſecundùm juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat: etiamſi Prædicator ipſe generali, vel ſpeciali priuilegio exemptum ſe eſſe prætenderet; quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolicâ, & tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedat. Quæ vltima verba à Concilio adhibentur ad præcludendam omnem exceptionis viam, ne quis prætextu cujuſcunque priuilegij, legem iſtam ludificari, & pœnam debitam effugere poſſet. Alterum habetur ſeſſ. 24. de reform. cap. 4. quo Canones ſuperiùs à ſe editos, aptiùs præſenti tempori accommodando, mandat, tum vt Epiſcopi ſæpius per ſe, vel per alios, ſi ipſi non poſſint, concionem ad populum habeant; *tum vt nullus Secularis, ſiue Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat.*

Quòd in iis duobus Canonibus examinis faciendi Synodus Tridentina non meminerit, ratio non eſt, quòd examinari concionaturos noluerit; ſed quòd non omnes examinari neceſſarium duxerit; puta eos qui forent probatæ doctrinæ, eruditionis notæ, fidei conſpicuæ. Atenim quòd examinandi ſaltem aliquos, & facultatem Epiſcopis dederit, & id non gratum ſolummodo habuerit, ſed & neceſſarium judicarit, ex eo conſtat, quòd quoſdam rejiciendi, alios verò probandi auctoritatem ipſis tribuerit. Nam ex judicio Concilium id fieri voluit, quod quidem judicium, vt rectum ſit & conſentaneum, non ex fauore, gratia, vel odio ferendum, ſed diſcuſſione, & examine opus eſt. Cùm enim judicandi officium committitur, datur & cognoſcendi, atque inquirendi facultas ex cap. *De cauſis,* de officio juris delegati, & cap. *Licet,* de officio Vicarij in 6. & ex ipſo jure naturali.

Quamobrem Concilium Mediolanenſe 5. ſub Carolo par-

Digitized by Google

te 3. tit. *De examinandi ratione*, ſtatim initio examen ab Epiſcopo, tum in iis probandis, qui Ordinis Sacramento initiandi ſunt, *tum etiam ad Concionatorum, Confeſſariorúmque* probationem adhiberi teſtatur; tréſque ad minùs Examinatores cum Epiſcopo, vel Vicario intereſſe præcipit, variáque diligenter & exactè præſcribit, quæ tam à Confeſſariis, quàm à concionaturis inquirenda ſunt. Pluráque alia paſſim de iiſdem obſeruandis, deferendis, à Cancellario deſcribendis, congregandis, & monendis inculcat: quæ omnia confirmat, & explicat Concilium 7. ejuſdem Prouinciæ ſub Federico, probatum à Paulo V. titulo 1.

Concilium Aquileienſe 1. Prouinciale habitum ann. 1596. à Franciſco Barbaro, & approbatum à ſacra Congregatione Concilij Tridentini, ſimiliter ſtatuit, tit. 3. de Prædicatione verbi Dei: *Vt Regulares cujuſcunque Ordinis, ſi à ſuis Superioribus de vita, & moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, cum illorum licentia, etiamſi in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare affectent, coram Epiſcopis perſonaliter ſe præſentent, & ab eis benedictionem petant, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis tamen, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum, etiam Epiſcopi licentiam poſt examen, ſi Epiſcopo videbitur, habere teneantur; ſine qua in ipſis Eccleſiis nullo modo prædicare permittantur.*

Synodus Arretina ſub Vſimbardio anno 1587. cap. 5. *Regulares*, inquit, *inſuper, cujuſcunque Ordinis, etiam ad hoc munus exercendum à ſuis Superioribus probati, & aſſumpti, illud aggredi nullâ ratione tentabunt, niſi ex ſacri Concilij Tridentini præſcripto, impetrata ab Ordinario debita concionandi licentia, in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt; ſeu benedictione, in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum ſunt; quæ gratis concedetur.*

Synodus Veneta ſub Priolo anno 1587. cap. 15. *Omnium grauiſſimo, & difficillimo negotio præfecti ſunt hi, quibus prædicandi munus committitur, cùm hinc ſalus pendeat animarum. Vnde nihil minùs negligere debemus, quàm approbationem illorum, qui publicè concionantur. Nemo igitur poſthac, Secularis, vel Regularis, in Eccleſiis nobis quomodolibet ſubjectis prædicare poſſit, niſi à nobis priùs approbationem, & licentiam obtinuerit,*

Digitized by Google

& in manibus noſtris fidei profeſſionem emiſerit. In Eccleſiis verò Regularium prædicationis officium nemo exerceat, niſi coram nobis ſe præſentauerit ad petendam benedictionem, & noſtras adhortationes, & monita audiendum. Qui contra fecerit per ſex menſes ſit ipſo facto ſuſpenſus, & Plebanus, ſiue Sacriſta, vel Capellanus cujuſcunque Eccleſiæ, etiam Monialium, qui ad prædicandum ſine noſtra licentia aliquem admiſerit, ſimili ſuſpenſioni ſubjiciatur.

Synodus Cremonenſis 1. ſub Speciano anno 1589. *Nullus Parochus in Eccleſia ſua, ſeu in ejus finibus permittat concionari Sacerdotem, ſiue Secularem, ſiue Regularem, qui priùs ei non exhibuerit legitimam facultatem concionandi, ab Ordinario conceſſam.*

Synodus Rauennatenſis ſub Aldobrandino anno 1607. tit. de Prædicatione verbi Dei, § 5. *Ne permittant Parochi, vt in ſuis Eccleſiis, vel intra fines earum quilibet, ſiue Secularis, ſiue Regularis, ſermones ad populum de rebus diuinis inſtituat; niſi ſcripto probauerit, ſe à nobis ejus muneris obeundi facultatem accepiſſe.*

Synodus Nucerina ſub Lunadoro anno 1608. tit. de verbi Dei prædicatione: *Regulares cujuſcunque Ordinis, à ſuis Superioribus examinati, & probati ad onus prædicandi eligantur; quod obire in Eccleſiis alienis non audeant, niſi datâ ab Epiſcopo facultate; in aliis verò ſuorum Ordinum ab eodem Epiſcopo benedictione acceptâ, ex præſcripto Concilij Tridentini de reformat. ſeſſ. 5. c. 2. Contradicente verò Epiſcopo Clerici, ſeculares nullibi; Regulares item, nec etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare audeant.*

Synodus Tarentina ſub Cardinale Caetano ann. 1614. cap. 4. *Cùm verò docente Apoſtolo ad prædicationis munus nemo accedere debeat, niſi mittatur, Concionatoribus omnibus abſque noſtra approbatione, & licentia prædicandi officium expreſſè interdicimus, & prohibemus. Ideo Eccleſiæ Curati, & Vicarij foranei neminem ad prædicandum admittant, qui noſtræ conceſſionis tenorem in ſcriptis non exhibuerit.*

Synodus Maceratenſis ann. 1651. tit. 4. de cura animarum cap. 1. *Propterea non accedant ad conciones habendas, niſi debita*

Digitized by Google

inſtructi doctrina, & niſi approbati à nobis; vel, ſi Regulares ſint, à ſuis Superioribus; qui tamen in propriis Eccleſiis ſine noſtra benedictione; in alienis ſine beneplacito, id præſtare non poſſunt.

Accedunt prouincialia Concilia Galliæ. Cameracenſe anno 1566. tit. de doctrina, & prædicatione verbi Dei, cap. 4. *Paſtores non ferant quemquam in ſuis Eccleſiis concionari, ſine mandato Ordinarij.*

Concilium Rothomagenſe ann. 1681. tit. de Curatorum, & aliorum Preſbyterorum officiis, §. 38. *Prædicationis munus Epiſcoporum eſt præcipuum* &c.

In eandem ſententiam ac ſuperiùs citata Concilia, Concilium Burdegalenſe anno 1583. tit. de verbi Diuini prædicatione habet: *Ne quis, ſiue ſit Regularis, ſiue Secularis, publicè ad populum verba facere de religione audeat; niſi ab Epiſcopo facultatem, & mandatum id ſpeciatim munus obeundi in ſcriptis habeat.*

Concilium Turonenſe in fidei profeſſione ann. 1583. *Statuimus ne inpoſterum quiſquam ſancto concionandi, & verbum Dei interpretandi muneri præficiatur, qui non ſit ſacro ſaltem Diaconatus Ordine inſignitus, & accurato examine ab Epiſcopo, aut ab eo deputando probatus: quique ſui ad concionandum mandati litteris manu Epiſcopi, & ſigillo, ſeu ejus Vicarij, & Secretarij ſigno firmatis, gratiſque concedendis, fidem faciat.*

Concilium Bituricenſe anno 1584. titulo de prædicatione verbi Dei, can. 4. *Regulares cujuſcunque ſint Ordinis, prædicare non præſumant, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum; niſi priùs examinati, & approbati à ſuo Superiore, & impetrata ab Epiſcopo, aut ejus Vicario, benedictione, & licentiâ.* Et can. 5. *Presbyteri, & Monachi errones, niſi ab Epiſcopo examinati juxta Decretum ſacri Concilij Tridentini, ad prædicationis munus non admittantur, cujuſcunque priuilegij prætextu ſeſe tueantur, & muniant.*

Concilium Aquenſe anno 1585. tit. de concionibus, & verbi Dei prædicationibus: *Nullus autem Secularis, vel Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat. Regulares cujuſcunque Ordinis, perſo-*

Digitized by Google

naliter coram Epiſcopis ſe præſentare, ab eiſque benedictionem petere tenentur, antequam prædicationis munus aggrediantur. In Eccleſiis verò quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam Superiorum ſuorum, etiam licentiam Epiſcopi in ſcriptis habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis, quæ non ſunt ſuorum Ordinum nullo modo prædicent. Priores Eccleſiarum, vel Vicarij perpetui, ab Epiſcopo prædicatorem petant, aut, ſi quem maluerint, proponant, vt ſi ille non fuerit capax, ſibi de aliis prouideri poſſit. Nec vlli Prædicatori per Epiſcopum ad certum locum nominato liceat ſine conſenſu illius, illo relicto, ad alium tranſilire, aut alterum ſibi ſubſtituere. Si quis aliter munus prædicationis vſurpauerit, aut ſi quis quacunque fulgeat dignitate, Prædicatores in præjudicium Epiſcoporum mittere præſumpſerit, excommunicetur.

Concilium Narbonenſe ann.1609. tit. de Diuini verbi Prædicatoribus: *Nulli Regularium alicubi, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum concionari liceat; niſi priùs à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia; cum qua ſe perſonaliter coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis verò quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum Superiorum, Epiſcopi quoque facultatem in ſcriptis habere teneantur; ſine qua in eiſdem nullo modo concionari poſſint.*

Coronidem imponat Gregorius XV. Bullâ *Inſcrutabili*, edit. anno 1621. §. 3. *Atque vt Regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare teneantur. In Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, nullo modo prædicare poſſint ſine Epiſcopi licentia. Contradicente autem Epiſcopo, nulli etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis prædicare præſumant.*

Adduntur in præſenti articulo quædam occaſiones, quibus occurrentibus, etiam in Eccleſiis Regularium delectus concionatoris ad Epiſcopum pertinet: puta ſi publicæ proceſſiones, aut conuentus publici & extraordinarij in eorum Eccleſiis indicantur ab Epiſcopo: in quibus prædicatio eſt veluti acceſſorium, proceſſiones autem, publici conuentus,

tus,

Digitized by Google

tus, & extraordinarij habent rationem principalis; atque adeo juxta regulam juris *acceſſorium ſequi conuenit naturam principalis:* de regulis juris in 6. Alia poteſt eſſe occaſio, vt quando Epiſcopus Eccleſiam Regularem tanquam opportuniorem, & commodiorem populo ex conſenſu Regularium eligit, in qua prædicationes ſtatutæ, & ordinariæ Aduentus, Quadrageſimæ, vel Octauæ habeantur. In poteſtate enim ejuſdem Epiſcopi erit Prædicatores eligere quos libuerit: quia prædicationes iſtæ ſunt potiùs prædicationes communes pro toto populo, quàm peculiares ipſi conuentui. Quod confirmat Concilium Mediolan. 5. à Gregor. XIII. probatum, tit. Quæ ad prædicationem verbi Dei pertinent: *Epiſcopi ſolùm ſit, abrogatis quibuſcunque contrariis conſuetudinibus, & priuilegiis, in Eccleſia cathedrali, & in aliis, non modo juriſdictioni ſuæ ſubjectis, ſed etiam in exemptis, quæ Curatæ ſunt, Concionatorem liberè deligere, atque conſtituere.*

Idémque ad eum ſpectet in Regularium etiam Eccleſiis, vbi pro majore commoditate, conſuetudinis, moríſque eſt populi, Vniuerſitatíſve, aut pij loci, ſcholæ, aut confratriæ etiam laicalis, ſumptibus, vel eleemoſynis collectis, vel legato pio, aliáve hujuſmodi ratione quotannis certo ſtatuto tempore permiſſu Epiſcopi concionem haberi.

ARTICVLVS XIII.

DIVINI verbi præcones, etiam ſi ſe ab Epiſcoporum poteſtate immunes jactent, inter concionandum tamen ab omni doctrina populis proponenda abſtinebunt, ſanctis Decretis, generalibus, aut prouincialibus Conciliis, Conſtitutionibus, vel Statutis ſynodalibus, Epiſcoporum diœceſanorum monitionibus, cenſuris, vel iis quæ ad ipſorum auctoritatem ſpectant, contraria. Contradicentes autem coram Epiſcopo, vel Vicario ejus

Digitized by Google

generali conuenti rationem reddent; & prout grauitas criminis exiget, punientur.

Commentarius ad Articulum decimum-tertium.

PRæcipua ratio, qua nititur hic articulus, inde petenda eſt, quòd Deus Epiſcopos ſingulariter Traditionis Eccleſiaſticæ cuſtodes, Fideiſque Catholicæ vindices, & aſſertores conſtituerit. Nam Apoſtolus Timotheum, quem Epiſcopum conſtituerat, informans: *Depoſitum*, inquit, *cuſtodi* 1. ad Timotheum 6. id eſt Eccleſiaſticæ veritatis, & Catholicæ traditionis pignus tibi traditum ſerua, atque vt inuiolatum, & illibatum perſeueret, diligenter cura, *deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſæ ſcientiæ.* Et 2. ad eundem cap. 1. *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti, in fide, & in dilectione in* CHRISTO IESV. *Bonum depoſitum cuſtodi.* Et cap. 2. ℣. 2. *Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere.* Et cap. 3. v. 14. *Tu verò permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris.* Quibus omnibus in locis Apoſtolus quæ debuerit eſſe Timothei à ſe Epiſcopi conſtituti, quæque debeat eſſe Epiſcoporum omnium (quorum formam in eâ epiſtolâ deſcribit) cura circa doctrinæ ſanæ conſeruationem, oſtendit. Tria verò præſertim ex iis locis colligere licet. *Primum*, ab Apoſtolis Eccleſiaſticam doctrinam, ac diſciplinam accuratiùs Epiſcopis, & abundantiùs traditam fuiſſe quàm ceteris. *Secundum*, eam illis traditam, non vt fundum proprium, quem diſtrahere, & alienare poſſint; ſed vt depoſitum, quod integrum ſucceſſoribus debeant conſeruare. *Tertium*, Epiſcoporum eſſe procurare fideles homines, qui idonei ſint alios docere. Ad hæc autem plurimum valet gratia collata Epiſcopis vi ſuæ ordinationis, vt ipſe docet Apoſtolus 2. ad Tim. 1. v. 6. dum ait: *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, de qua eadem gratia loquitur, dum ſubdit verſu 8. *Collabora Euangelio ſecundùm virtutem Dei.* Hanc enim Dei virtutem ad collaborandum Euangelio,

Digitized by Google

gratiam ipſi in Ordinatione collatam, Patres, tam Græci, quàm Latini interpretantur. Vide Theophylactum in eum locum. Hinc verò cap. 1. citato epiſt. 2. vbi Timotheo præcepit Apoſtolus, vt *formam haberet ſanorum verborum, quæ ab ipſo audierat, & bonum depoſitum cuſtodiret:* Addit *per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis:* ac ſi diceret, mandatam Timotheo Epiſcopo curam Traditionis cuſtodiendæ per gratiam Spiritus ſancti, in Epiſcopatus collatione acceptam. Vide Chryſoſtomum homil. 3. in cap. 1. 2. ad Timotheum. Suffragantur ceteri Patres, Irenæus, lib. 3. aduersùs hæreſes, cap. 3. fusè Epiſcopos ab Apoſtolis inſtitutos, tanquam Traditionis Apoſtolicæ teſtes in fidei negotiis conſulendos probauit: *Etenim,* inquit, *ſi recondita myſteria ſciiſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim, & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valdè enim perfectos, & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſis locum Monaſterij tradentes, quibus emendatè agentibus fieret magna vtilitas; lapſis autem ſumma calamitas.* Atque hæc prima Epiſcoporum ab ipſis Apoſtolis inſtitutorum, gloria ad Succeſſores tranſiuit, teſte Irenæo eodem loco, relato ab Euſebio lib. 5. cap. 6. Eodem argumento aduersùs hæreticos vtitur idem Irenæus cap. 4. ſequenti. Vtitur Ignatius epiſt. 9. ad Philadelphienſes: *Boni,* inquit, *ſunt Sacerdotes, & Diaconi, qui verbo vacant; præſtantior eſt Pontifex, cui Sancta Sanctorum, & ſecreta Dei credita ſunt.* Vtitur Origenes homil. 5. in Leuiticum, dum Pontificibus magis arcana myſteria recludi docet.

Nemini autem dubium eſt, quin doctrina Catholica per ſucceſſiones Epiſcoporum continuas demonſtretur à Patribus. Sic Tertullianus toto libro de præſcriptionibus cap. præſertim 28. & libri 4. contra Marcionem cap. 4. Athanaſius lib. de Synodis pag. 882. Baſilius epiſt. 72. Hieronymus dialogo aduersùs Luciferianos cap. 6. Socrates lib. 2. cap. 32. & alij paſſim: nempe quia Epiſcoporum fides fundamentum Eccleſiæ, & forma ceterorum eſſe debet. Vnde aduersùs profanam hæreticorum doctrinam Tertullianus de

Digitized by Google

admonemus vt vitentur hujuſmodi, qui laborant per terras aliud, quàm illic noſter juſſit agricola ſeminare.

Leo epiſt. 74. vel 76. ad Anatolium Epiſcopum C. P. ante finem: *Illud plurimum mihi diſplicere ſignifico, quòd inter dilectionis tuæ Clericos quidam eſſe dicantur, qui aduerſariorum conniueant prauitati, & vaſa iræ vaſis miſericordiæ miſceantur: quibus inueſtigandis, & ſeueritate congrua coercendis, debet diligentia tua vigilanter inſiſtere: itaut his, quibus prodeſſe non potuerit correctio, non parcat abciſſio. Oportet enim nos Euangelici meminiſſe mandati, quod ab ipſa veritate præcipitur: vt ſi nos oculus, aut pes, aut dextera ſcandalizauerit manus, à compage corporis auferatur: quia meliùs ſit his in Eccleſiis carere membris, quàm cum ipſis in æterna ire ſupplicia. Nam ſuperfluè extra Eccleſiam poſitis reſiſtimus; ſi ab his, qui intus ſunt, in eis, quos decipiunt, vulneramur. Abjicienda prorſus peſtifera hæc à Sacerdotali vigore patientia eſt; quæ ſibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit: ſicut Heli quondam Sacerdos filiorum ſuorum delicta tolerando, cum ipſis diuinæ Iuſtitiæ ſententiam meruit experiri, quia ſegni indulgentia diſſimulauit plectere peccatores.*

Concilium Tridentinum hanc Epiſcoporum poteſtatem, ſi quo fuiſſet priuilegio debilitata, confirmat, & inuiolatam ſeruari vult, ſeſſ. 5. cap. 2. *Si verò, quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiamſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quòd ſi hæreſes prædicauerit; contra eum ſecundùm juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat: etiamſi Prædicator ipſe generali, vel ſpeciali priuilegio exemptum ſe eſſe prætenderet; quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolica, & tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedat. Curent autem Epiſcopi, ne quis Prædicator, vel ex falſis informationibus, vel aliàs, calumnioſè vexetur, juſtámve de eis conquerendi occaſionem habeat.*

Huic Decreto inſiſtentia Gallicana Concilia, Epiſcopos hac poteſtate liberè vti poſſe, ſtatuunt. Concilium Rothomagenſe ann. 1581. de Curatorum, & aliorum Preſbyterorum officiis, num. 41. *Si Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiamſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis*

modi, quæ fuſè referuntur in Concilio prouinciali 1. Mediolanenſi de prædicatione verbi Dei, & in 4. eodem tit.

Peculiariter verò cauere debent Regulares, ne Statuta prouinciæ, vel diœceſis reprehendere audeant, atque ita ſchiſmata, & diſſentiones inducant; ne Epiſcopos ipſos reprehendant; ne à decimis, primitiis, oblationibus, aliiſque ad Epiſcopos, vel Parochos pertinentibus populos reuocent. Hoc vltimum ſtatuit Gregorius IX. cap. 1. de decimis: *Diſcretioni veſtræ mandamus diſtrictiùs inhibentes, ne talia, quæ audientes à decimarum, ſeu aliarum rerum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, vel aliàs animas corrumpant audientium, in ſermonibus veſtris, vel alibi proponere de cetero præſumatis; imo verbo, & opere informetis eoſdem, vt ad ſolutionem prædictorum promptæ voluntatis animo ſint intenti.*

Clementina *Cupientes*, de pœnis: *Illos etiam Religioſos, qui aliqua, vt audientes à decimarum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, in ſermonibus ſuis, vel alibi proferre præſumunt, excommunicationis ſubjacere ſententiæ decernimus ipſo facto.* Quibus prætereà injungit, vt certis diebus expreſsè moneant populos *quòd decimas ſoluere non omittant.* Idque etiam iis inculcent, quorum confeſſiones audiunt. Et ſi ſcienter diebus prædictis hæc ſuadere omiſerint, per Superiores ſuos acriter arguantur, & puniantur. Hanc Clementis V. in Concilio Vienn. Conſtitutionem approbat, & inuiolabiliter à Regularibus obſeruari decernit Leo X. Bulla *Supernæ Majeſtatis*, anno 1516. edita, §. 7. Pro ea quoque facit Decretum Concilij Senonenſis prouinciæ anno 1527. in Decretis morum cap. 36. *Si* (Prædicatores) *Prælatis Eccleſiæ principibus, Sacerdotibúſque detraxerint, ac tandem populum ab obedientia Superiorum retraxerint, eundémque à ſolutione decimarum, ac aliorum, ad quæ jure Diuino, & poſitiuo ſunt omnes obſtricti, abalienauerint, nos volumus tales tam ineptos, & pernicioſos concionatores ab officio prædicationis ſuſpendi, & à ſuis Superioribus pro modo, & menſura exceſſus acriter puniri.* Sixtus IV. ſimiliter cap. *Vices illius*, de treuga, & pace: *Vetat quòd Fratres Mendicantes non prædicent populos parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis diebus Feſtis, & Dominicis. Quod*

Digitized by Google

etiam ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare quòd Parochiani, non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti. Quódque etiam ipſi Fratres in ſermonibus eorum non detrahant Prælatis, & Rectoribus parochialium Eccleſiarum: nec etiam populos à ſuarum Parochialium frequentia, & acceſſu abſtrahant, ſiue retrahant quoquo modo. Similiter Leo X. Bulla *Dum intra*, ſeſſ. 11. Concilij Lateranenſis, non ſolùm in confeſſione præcipit, vt Regulares ad ſoluendum decimas, aliáque bona, ſeu fructus in locis, in quibus ſolui debent, moneant, & hortentur, & ſoluere recuſantibus abſolutionem denegent; verùm etiam ſtatuit, vt *id populo etiam publicè prædicare, & perſuadere teneantur.* Item, *eoſdem inſuper Fratres in virtute ſanctæ obedientiæ monet, vt eoſdem Epiſcopos, loco ſanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita, & noſtra, ac Apoſtolicæ Sedis reuerentia, congruo honore, & conuenienti obſeruantia venerentur.*

Concilium quoque Mediolanenſe 1. tit. de prædicatione verbi Dei: *Ne Epiſcopos*, inquit, *alióſve Prælatos, néve ciuiles Magiſtratus, cum auditorum offenſione aſperiùs objurgent, ſed piè potiùs Concionatores admoneant* &c.

Concilium Cabilonenſe ſub Carolo Magno cap. 97. & Moguntinum ſub Rabano can. 4. quanta Conciliorum debeat eſſe reuerentia apud Concionatorem oſtendunt. *Cùm igitur omnia Concilia canonum, quæ recipiuntur, ſint à Secerdotibus legenda, & intelligenda, & per ea ſit eis viuendum & prædicandum, neceſſarium duximus, vt ea, quæ ad fidem pertinent, & vbi de extirpandis vitiis, & plantandis virtutibus ſcribitur, hæc ab eis crebro legantur, & bene intelligantur, & in populo prædicentur.*

Hanc legem ex profeſſo ita probat Cyprianus epiſt. 55. Cornelio: *In Deuteronomio loquitur Dominus Deus dicens: Et homo quicunque fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat Sacerdotem, aut judicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille: & omnis populus cùm audierit, timebit; & non agent impiè etiam nunc. Item ad Samuelem, cum à Iudæis ſperneretur, Deus dicit, non te ſpreuerunt, ſed me ſpreuerunt. Et Dominus quoque in Euangelio: qui audit vos, inquit, me audit, & eum, qui me miſit, & qui rejicit vos, me rejicit: qui me rejicit, rejicit eum qui me miſit. Et*

Digitized by Google

Et cùm leproſum mundaſſet, Vade, inquit, & demonſtra te Sacerdoti. Et cùm poſtea tempore Paſſionis, alapam accepiſſet à ſeruo Sacerdotis; cùmque ei dixiſſet; ſic reſpondes Pontifici, aduersùs Pontificem Dominus nihil contumelioſè dixit, nec quidquam de Sacerdotis honore detraxit, ſed innocentiam ſuam magis aſſerens, & oſtendens: Si malè, inquit, locutus ſum, exprobra de malo, ſi autem bene, quid me cædis? Item in Actibus Apoſtolorum poſtmodum beatus Apoſtolus Paulus cùm ei dictum eſſet; Sic inſilis in Sacerdotem Dei maledicendo? quamuis Domino jam crucifixo, ſacrilegi, & impij, & cruenti illi eſſe cæpiſſent, nec jam quidquam de ſacerdotali honore, & auctoritate retinerent; tamen ipſum quamuis inane nomen, & vmbram quandam Sacerdotis cogitans Paulus: Neſciebam, inquit, Fratres, quia Pontifex eſt: Scriptum eſt enim, Principem populi tui non maledices. Cùm hæc tanta, ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus ſacerdotalis auctoritas, & poteſtas de diuina dignatione firmatur; quales putas eſſe eos qui Sacerdotum hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri judicij vltione terrentur? Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduersùm Sacerdotum collegium quidquam moueret; nemo poſt diuinum Iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret: nemo diſsidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens, ac tumens ſeorſum foris hæreſim nouam conderet, niſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis, vt putet ſine Dei judicio fieri Sacerdotem &c.

Idipſum reprehendit ſanctus Bernardus epiſt. 323. ad Henricum Moguntinum aduersùs Fratrem Radulphum, qui contra ſententiam Epiſcoporum, Iudæorum neci delatus eſt, conſenſiſſe: *Homo ille, de quo agitur in litteris veſtris, neque ab homine, neque per hominem, ſed neque à Deo miſſus venit. Quòd ſi ſe Monachum, aut Eremitam jactat, & ex eo ſibi aſſumit libertatem, vel officium prædicationis, poteſt ſcire, & debet, quòd Monachus non habet docentis, ſed plangentis officium; quippe cui*

oppidum carcer eſſe debet, & ſolitudo paradiſus. Hic verò à contrariis & ſolitudinem pro carcere, & oppidum habet pro paradiſo. O hominem ſine pectore! O hominem ſine fronte! cujus ſtultitia eleuata eſt ſuper candelabrum, vt appareat omnibus, qui ſunt in domo. Tria ſanè ſunt in eo reprehenſione digniſſima, vſurpatio prædicationis, contemptus Epiſcoporum, homicidij approbati libertas. Nouum genus potentiæ. Nunquid tu major es Patre noſtro Abraham, qui eodem prohibente gladium depoſuit, quo jubente leuauerat? Nunquid tu major es Principe Apoſtolorum, qui quæſiuit à Domino; Domine ſi percutimus in gladio? ſed inſtructus es omni Sapientia Ægyptiorum, id eſt, ſapientia hujus mundi, quæ malitia eſt apud Deum. Aliter ſoluis quæſtionem Petri, quàm ille qui dicit: Mitte gladium in locum ſuum. Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit. Nonne copioſiùs triumphat Eccleſia de Iudæis per ſingulos dies, vel conuincens, vel conuertens eos, quàm ſi ſemel, & ſimul conſumeret eos in ore gladij? &c.

Denique Leo X. Bulla *Supernæ majeſtatis*, §. 5. Regularibus præcipit, *vt pacem, ac dilectionem mutuam à Redemptore noſtro tantopere commendatam vbique fouentes, non ſcindant veſtem inconſutilem Chriſti; ſed ab Epiſcoporum, & Prælatorum, ac aliorum Superiorum, eorúmque ſtatus ſcandaloſa detractione; quos coram vulgo, & laicis, non modò incautè, ſed etiam intemperanter reprehendunt, & mordent; & ab eis malè geſtorum, expreſſis quandoque nominibus, aperta, & manifeſta redargutione abſtineant.*

ARTICVLVS XIV.

QVONIAM Abbates, Priores, Capitula, & Societates Religioſæ, nomine, & titulo primitiuorum Curatorum, ſeu parochialium Rectorum, occurrentibus ſolennioribus feſtis, ſeu annualibus, vt vocant, ſeu Patronorum, ſeu per ſeipſos, ſeu per quoſdam Religioſos, aut alios deputatos, concionandi, confeſſiones excipiendi, Sacramenta adminiſtrandi, futurum Matrimonium publicè denun-

Digitized by Google

ciandi (quæ omnes Parochiales ſunt functiones) jus ſibi vindicant : interdicatur hujuſmodi Abbatibus, Prioribus, Religioſis, aut ab iis deputatis vllam ex iis functionibus exercere ; niſi ab Epiſcopo priùs, vel ejus Vicario generali fuerint approbati.

Commentarius ad Articulum decimum quartum.

VT tota hæc quæſtio euoluatur, & ratio definitionis accipiatur, notandum eſt, Monachos olim, non ſolùm qui ſub ſancti Benedicti regula militant ; verùm etiam Canonicos Regulares, qui ſancti Auguſtini regulam amplexi ſunt, Eccleſias olim poſſediſſe, eáſque aliquando etiam rexiſſe tanquam Parochos. Eorum enim pietas cùm plurimorum Epiſcoporum pietatem alliceret, variis de cauſis inducti ſunt Epiſcopi, vt eis Eccleſias regendas, atque poſſidendas committerent. Nihil vtique hac obſeruatione communius apud veteres Monaſteriorum Hiſtoricos, nihil vulgarius in antiquis eorumdem Monaſteriorum chartis, & tabulariis, quàm iſtæ Epiſcoporum donationes. Legimus ea de re ſcriptam aduersùs iſtas donationes Eccleſiarum, & decimarum Epiſtolam increpatoriam Hugonis Pontiniacenſis, & ſancti Bernardi Clareuallenſis ad Abbatem majoris Monaſterij. Quanquam hac in epiſtola legimus quidem Monachos Eccleſias poſſediſſe, ſed non rexiſſe. Nam Hugo, & Bernardus juſtam iis poſſeſſionem denegant, quòd regimini ſeſe non immiſcerent, vt colligitur ex his verbis : *Quâ audaciâ, ô Monachi, præſumitis, ſeu vinum de vinea, quam non plantaſtis ; ſeu lac de grege, quem non paſcitis ? quo pacto ibi exigitis, vbi nihil exhibebitis ? certè ſi ita vultis, baptiſate naſcentes, ſepelite morientes, viſitate jacentes, copulate nubentes* &c.

Eadem Bernardi aduersùs Cluniacenſes fuit querimonia : à qua accuſatione Petrus venerabilis dictus, Cluniacenſis Abbas ſeſe excuſans epiſt. 28. libro 1. Bernardo Clareuallenſi ſcripta, cenſum, & reditum Eccleſiarum ſibi, & Monachis ſuis tantùm aſſumit, non regimen animarum. Nam alimen-

torum titulo decimas ſibi, & ſuis datas vindicat, non autem titulo adminiſtrationis Sacramentorum: *Nam ſi tribui Leui*, inquit, *hæreditas inter Fratres ſuos data non eſt, vt expeditiores ad Dei cultum, & circa diuina myſteria redderentur, neque ab eis, ſecularibus impedimentis reuocarentur, atque ideo primitiis, decimis, & oblationibus aliorum alerentur; rectè eadem Monachis conceduntur, qui, ſicut illa tribus, rerum temporalium hæreditate priuati ſunt, ac diuinis ſeruitiis die, noctùque inſiſtunt. Quinam enim juſtius fidelium oblata ſuſcipiunt? an Monachi, qui aſſiduè pro peccatis offerentium intercedunt; an Clerici, qui nunc, vt videmus, ſummo ſtudio temporalia appetentes, ſpiritualia, & quæ ad animarum ſalutem pertinent, omnino poſtponunt? Et qui de ſuis non curant, quomodo aliorum animas ſaluare contendent? malè quippe medebitur alteri, qui ſuo languori ſubuenire non prævalet. Et, vt Dominus ait, cæcus cæco ſi ducatum præbuerit, ambo in foueam cadent. Hoc dicimus, ſaluo intellectu illo, quo nouimus per officium Clericorum diuinis quidem myſteriis Eccleſiam ſaluari, ſed quorumdam talium parùm orationibus adjuuari. Quia ergo Monachi ex maxima parte, fidelium ſaluti inuigilant, licèt Sacramenta minimè miniſtrent; æſtimamus ipſorum primitias, decimas, & oblationes, & quæque beneficia eos dignè poſſe ſuſcipere: quoniam & reliqua populo Chriſtiano neceſſaria à Presbyteris, & Clericis faciunt exhiberi. Iſta verò dicendo, nequaquam Clericos ab Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum rerum poſſeſſionibus excludere volumus; ſed Monachos hæc omnia legitimè poſſe obtinere, iſtis rationibus, & auctoritatibus approbamus.*

Probatæ ſunt hujuſmodi donationes in Concilio Toletano 3. c. 4. relatò à Gratiano canone *Si Epiſcopus* 12. quæſt. 2. *Si*, inquit, *Epiſcopus vnam de Parochianis Eccleſiis ſuis Monaſterium dicare voluerit, vt in ea Monachorum regulariter congregatio viuat; hoc de conſenſu conſilij ſui habeat licentiam faciendi: qui etiamſi de rebus Eccleſiæ pro eorum ſubſtantia aliquid, quod detrimentum Eccleſiæ non exhibeat, eidem loco donauerit, ſit ſtabile. Rei bonæ ſtatuendæ, ſanctum Concilium dat conſenſum.*

Eædem confirmantur c. 5. Toletani 9. adhibita moderatione, quam leges apud Gratianum c. ſequenti. *Bonæ rei* 12. quæſt. 2. confirmantur etiam à ſancto Gregorio, lib. 2.

Digitized by Google

indictione II. epiſt. 17. Gratioſo Subdiacono, quæ habetur c. vltimo cauſæ citatæ quæſt. 2. Porro donatio iſtiuſmodi vocabatur paſſim donatio *Eccleſiarum*, ſeu redituum Eccleſiaſticorum, vt patet ex omnium Monaſteriorum chartis : cui opponebatur donatio Altarium, ſeu oblationum, quæ ex Sacramentorum adminiſtratione, & diuinorum officiorum celebratione percipiebatur: quam diſtinctionem Eccleſiarum, & Altarium doctiſſimè probat D. de Marca illuſtriſſimus, & ſacræ Theologiæ, ac totius Diſciplinæ Canonicæ ſcientiſſimus Archiepiſcopus Toloſanus ad c. 7. Conc. Claromontani ſub Vrbano II. Quin etiam eiſdem Monachis conceſſum, vel ab eis potiùs vſurpatum, vt nonniſi per Vicarios Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrarent, aliáque ſpiritalia officia explerent, communicatis tamen cum Vicariis reditibus Altaris, ſeu oblationibus, oſtendit luculentiſſimè idem Archiepiſcopus & doctiſſimus Scriptor. Atque ita reditus quos Eccleſia initio cum Monachis communicarat, Clericis integros ferè eripere ipſi voluerunt, relicto eis modico lucello, in quos totum onus rejecerant.

Indigentia, inquam, Monachorum prima cauſa fuit, ob quam Eccleſiarum prouentibus ditati fuerint, & ab Epiſcopis donati. Primùm enim cùm inopes eſſent, & egeni, prælati ſunt ceteris pauperibus, vt Eccleſiaſticis beneficiis donarentur : & tunc temporis ad exemplum Apoſtolorum Actuum 18. & 20. primæ ad Corinth. 4. & 9. labore manuum victitabant, terras vt plurimum propriis manibus excolebant 10. quæſt. 3. c. *Cauendæ* 16. quæſt. 1. c. *Prædicator*. Quod quidem exempla ex vitis Patrum deducta innumera confirmant. Ad alimenta igitur Eccleſiæ ipſis ſunt conceſſæ, v. g. Carthuſianis cap. 2. de decimis in 6. Fratribus Prædicatoribus cap. *Nimis*, de exceſſibus Prælatorum, & cap. 1. de decimis in 6. Monachis ſancti Benedicti à Ioanne XXI. in Chronico Caſſinenſi lib. 2. cap. 1. Eremitis Camaldulenſibus ab Innocentio III. lib. 2. epiſt. 12. Imo & Ciſtercienſibus cap. *Ad audientiam*, de decimis : licèt ipſi, vt vidimus ex epiſt. Hugonis Pontiniacenſis, & Bernardi Clareuallenſis hujuſmodi donationibus aduersùs Cluniacenſes, & ma-

joris Monaſterij Monachos exarſiſſe viſi ſint. Contra quas omnes donationes ſubiratè ſcripſit Petrus Bleſenſis epiſt. 82. Probauit tamen Summus Pontifex, quod idem Petrus dixerat, his verbis: *Si Dominus Papa indulgentiâ ſpeciali priuilegiauit vos, dum Ordo veſter in paupertate gaudebat, potuit tolerari ad tempus. Nunc autem quando veſtræ poſſeſſiones multiplicatæ ſunt, etiam in immenſum, priuilegia hæc potiùs ambitionis, quàm religionis inſtrumenta ſunt.*

Sicut autem donationibus Epiſcoporum, ita & donationibus laicorum Eccleſias aliquas Monachi habuerunt. Nam cùm laici olim, vel Principum temporalium auctoritate, vt de Carolo Martello, & Hugone Capeto paſſim referunt: quorum hic nobilibus, vt regnum ſuum firmaret; ille militantibus aduersùs Saracenos Eccleſiaſtica bona dicitur contuliſſe: quod & aliis occaſionibus Imperatores, Reges, principéſque ſponte aliquando, interdum verò inuitè fecerunt, vt leges apud Guaguinum lib. 6. & Trithemium in Chronico: cùm, inquam, laici Principum auctoritate, vel certè ſacrilegâ præſumptione Eccleſiarum decimas, ſeu potiùs decimarum fructus (quia propriè decimas poſſidere non poſſunt cap. 2. *de locato*, quia ſpiritales ſunt capite *Olim*, de præſcriptionibus) ſibi temerè vindicaſſent, Summorum deinceps Pontificum inualeſcente auctoritate, & ſollicitiore curâ, ac diligentiâ, prout ingraueſcebat malum, territi ſunt comminatione Cenſurarum, quales præſertim Victor II. Gregorius VII. Vrbanus II. Intentaſſe leguntur.

Hinc factum eſt, vt laici complures, decimas, quas malè acceptas, aut detentas injuſtè habebant ab Eccleſia, retinere ſibi non licere putantes, in Monachos eas tranſtulerint, & quamuis jam à tempore Vrbani Concilium Melfitanum ſub eodem anno 1090. habitum interdixiſſet, *Ne vllus laicus decimas ſuas, aut Eccleſiam, aut quicquid Eccleſiaſtici juris eſt, ſine conſenſu Epiſcopi, vel Romani conceſſione Pontificis, Monaſteriis, aut Canonicis offerre præſumat*, eas tamen Summi Pontifices ex poſtfacto datas Monachis probarunt; præſertim ſi ipſarum donationes Concilium Lateranenſe præcederent, quaſi verò ipſis ante conceſſiſſent. Vnde in pri-

Digitized by Google

uilegio quod Alexander III. Petro Abbati ſancti Ioannis Reomaenſis omnium Eccleſiarum Monaſterio olim quoquomodo conceſſarum, confirmat anno 1164. earum donationes aliquas conceſſione Pontificum, alias largitione Regum, vel Principum, necnon Epiſcoporum conceſſione, eos poſſediſſe affirmat.

Et quidem de diuerſis iſtis poſſidendi rationibus conſultus Iuo Carnotenſis, ſic cenſet epiſt. 192. *Licèt enim decimæ, & oblationes principaliter Clericali debeantur militiæ; poteſt tamen Eccleſia omne quod habet cum omnibus pauperibus habere commune; quantò magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis, bajulantes Chriſti crucem, ſequuntur pauperem Chriſtum? Eſt tamen in quo Abbatibus, & Præpoſitis Monaſteriorum parcendum eſſe non æſtimo, ſi ab illis, ad quos non pertinent, ideſt, à laicis, decimas, & oblationes accipiant; ſi inordinatè eas à quibuſcunque perſonis adquirant; ſi terminos tranſgrediantur antiquos, ideſt, ſi ſtipendia Presbyterorum antiquitùs inſtituta minorent, ac ſibi vſurpent.*

Præter eas donationes, vi quarum Monachi ſolam temporariam habebant poſſeſſionem Eccleſiarum, nec aliud vllum jus ſpirituale, niſi fortè jus Patronatus, fuere aliæ donationes factæ Monachis, tam Eccleſiarum, quàm Altarium, vt & reditus ſtabiles perciperent, & vt ipſi Eccleſiæ Parochiali deſeruirent, omniáque Parochialia Officia in Eccleſia obirent: de quibus Eccleſiis ad miniſtrandum conceſſis Preſbyteris Monachis habetur 16. cauſa quæſt. 2. Et quamuis inſtitutionem eorum quoque Monaſterio datam videatur admittere Ioannes Papa epiſt. ad Iſaac Syracuſanum, canone *viſis*, quæſtione citata: tamen Vrbanus II. contrarium ſtatuit capite *Sanè*, quæſt. citata: *Sanè*, inquit, *quia Monachorum quidam Epiſcopis jus ſuum auferre contendunt: ſtatuimus ne in parochialibus Eccleſiis, quas tenent, abſque Epiſcoporum conſilio Presbyteros collocent; ſed Epiſcopi parochiæ curam cum Abbatum conſenſu, Sacerdoti committant: vt ejuſmodi Sacerdotes de populi quidem cura Epiſcopis rationem reddant: Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monaſterium pertinentibus, debitam ſubjectionem exhibeant: & ſic ſua cuique jura ſeruentur.* Et poſtea *in pa-*

Digitized by Google

rochialibus Eccleſiis Presbyteri per Epiſcopos inſtituantur, qui eis reſpondeant de animarum cura, & his, quæ ad Epiſcopum pertinent. Conciliatio duorum iſtorum Canonum à Gratiano tentata, non mihi videtur ſatisfacere. Hanc propono, vt Ioannes Papa minimè loquatur de Eccleſiis parochialibus, ſed de Eccleſiis *pro quiete Monachorum* ab Epiſcopis ipſis conceſſis, id eſt Eccleſiis, in quibus degunt, & orant Monachi, quæ olim Parochiales erant, ſed poſtea Monachis regulariter congregatis datæ: cujuſmodi ſunt eæ, de quibus ſermo can. *Si Epiſcopus;* & canone *Religioſam* 12. quæſt. 2. ad quas regendas, & Sacramenta Monachis adminiſtranda inſtitui Clericos ab Abbate, vel Monachorum Congregatione nihil vetat, militántque rationes à Ioanne Papa adductæ. Vrbanus autem loquatur de Eccleſiis parochialibus Monachis ad regendum conceſſis, vt textus oſtendit, quarum Rectores ab Epiſcopo inſtitui debent: immo nec poteſt Epiſcopus jus iſtud inſtitutionis ſuæ auctoritati inſitum cedere, & ſe poteſtate Epiſcopali omnino abdicare, vt habet gloſſa verbo *Tradite* in canonem *viſis* citatum. Vel certè loquatur Ioannes, non de canonica inſtitutione, quæ dat poteſtatem ſpiritualem, quæ ſemper fuit ab Epiſcopo, ſed de nominatione, & præſentatione, ac defenſione præſentati, vt in poſſeſſionem mittatur, niſi juſta ei exceptio opponatur: Vrbanus verò de inſtitutione canonica. Abrogatum poſtea Monachis jus iſtud Parochias regendi per ſeipſos: relictum verò jus nominandi Clericos. Iuo Carnotenſis epiſt. 69. *Lemouicenſem Epiſcopum in Synodo agentem, interdixiſſe omnibus Regularibus Clericis & regimen Parochiarum, & confeſſionem pænitentium* refert: quòd factum non probat quidem; ſed ferendum Galterio Sirpenſis Eccleſiæ Præpoſito, conſulit. Fuſiùs quoque epiſt. 213. Clericos regulariter viuentes à regimine animarum ſcribit non eſſe repellendos. Bertholdus in Chronico ad ann. 1095. ait Concilium generale congregatum in Galliarum ciuitate Oſtione ab Hugone Archiepiſcopo Lugdunenſi Sedis Apoſtolicæ Legato: in quo Monachis interdicta fuerunt Parochialium Sacerdotum officia in Parochiis. Vrbanus III. lib. 3. Decretalium tit. de Capellis Monachorum cap. 1. *In Eccleſiis,*

Digitized by Google

ſiis, inquit, *vbi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur; ſed Capellanus, qui populum regat, ab Epiſcopo per conſilium Monachorum inſtituatur: itaut ex ſolius Epiſcopi arbitrio; tam ordinatio ejus, quàm depoſitio, & totius vitæ pendeat conuerſatio.* Alexander quoque III. in Concilio generali Lateranenſi cap. 10. relato de ſtatu Monachorum cap. *Monachi*, eis vetat: *Ne ſinguli per villas, & oppida per quaſcunque Parochiales ponantur Eccleſias; ſed in majori Conuentu, aut cum aliquibus Fratribus maneant; nec ſoli inter ſeculares homines, ſpiritualium hoſtium conflictum expectent, Salomone dicente: Væ ſoli; quia cùm ceciderit, non habet qui ſubleuet eum.*

Ab eo tempore videntur Monachi, non autem Clerici Regulares, Eccleſiis parochialibus renuntiaſſe, ab iiſque regendis abſtinuiſſe; niſi fortè per Clericos ſeculares: quales mihi videntur ij fuiſſe, qui ab Honorio III. cap. *Ea quæ.* §. *Præcipimus.* tit. *De Statu Monachorum*, memorantur in Monaſterio recepti: quos præcipit vt nec vocem in Capitulo, nec locum in dormitorio, vel refectorio, ſeu clauſtro ſibi vindicare contendant: ſed beneficiis ſibi conceſſis contenti conuerſentur honeſtè, opportuna obſequia in Monaſteriis fideliter impendentes. Tales etiam aliquos fuiſſe ante iſtud Concilium, cùm Monachos jam Parochialium Officiorum tæderet, mox videbitur. Preſbyteros autem mercede conducere, ac conductitios habere Monachi nitebantur. Quod Aquiſgranenſe 2. ſub Ludouico, parte 3. cap. 16. Gregorius VII. in Concilio Romano anni incerti, cap. 31. Innocentius II. in Synodo Romana cap. 8. Eugenius III. in Synodo Rhemenſi cap. 10. aliàs 11. Alexander III. in Concilio Turonenſi, Concilium habitum in Germania ſub Conrado Cardinali Legato cap. 12. diſtrictè prohibuerunt, & eos qui ad regendas parochiales Eccleſias deinceps aſſumerentur, Vicarios perpetuos eſſe voluerunt, qui à nullo quàm ab Epiſcopo, vel Archidiacono, de hujus auctoritate inſtituerentur, vel deſtituerentur.

Similiter abuſum alium Concilia correxerunt, quem vſurpabant Epiſcopi, nempe redemptionis, vt vocabant, Altarium. Quod commune malum penè totius terræ vocat Gre-

Digitized by Google

gorius VII. lib.4.epiſt.7.ad Hugonem Dienſem Epiſcopum; cujus ſe reum fatebatur Archidiaconus quidam, qui ideo interdicendus declaratur à Gregorio VII. Illúdque malum Vrbanus II. diſtrictè vetuit in Concilio Claromontano, vt patet tum ex Canonum compendio, tum ex epiſtola Paſchalis II. citata, tam ab illuſtriſſimo Archiepiſcopo Tholoſano ad Canonem 7. Concilij, quàm à Sirmundo in Notis ad epiſtolam 12. Gaufridi Vindocinenſis, Vlgerio Andegauenſi Epiſcopo, quâ quidem epiſtolâ Paſchalis II. Iuoni Carnotenſi, & Renulfo Sanctonenſi hæc ſcribit: *Ipſi*, inquit, *Aruernenſi Concilio adfuiſtis, in quo, præſidente prædeceſſore noſtro, bonæ memoriæ, Papa Vrbano, conſidentibus Galliarum Epiſcopis decretum eſt, vt Altaria, quæ ab annis 30. & ſub Vicariorum redemptione Monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quiete deinceps, & ſine moleſtia qualibet Monaſteriis ipſis firma permaneant. Vos autem huic ſimplicitati incongruas duplicitates innectitis, & perſonarum redemptionem, mutatis nominibus, extorquere conamini. Verùm oportet nos hujuſmodi verſutiis ſinceritate veritatis Apoſtolicæ obuiare. Præcipimus ergo, vt Decretum illud omnino teneatur integrè, nec ſuper illud quidquam vlteriùs pro eiſdem Altaribus exigatis.* Scilicet, vt inſuper docet fuſiùs citata epiſtola Gaufridi Vindocinenſis, cùm ſolerent Epiſcopi ad mutationem quarumlibet perſonarum, quæ pro Vicariis offerebantur à Monachis, deſeruituræ ad tempus Eccleſiis parochialibus, exigere inueſtituræ cauſa certam pecuniam: ita poſtea pro redemptione illius juris caduci, cùm Vicarij illi cœperunt eſſe perpetui, certàm pecuniæ ſummam pro redemptione Altarium, id eſt oblationum, quæ pro diuinis, & ſpiritualibus miniſteriis concedebantur, exigere cœperunt Epiſcopi. Nam jura iſta omnia ad modum feudorum temporalium metiebantur. Vnde quemadmodum ad mutationem perſonarum, quæ feudum obtinent, domino feudi perſoluuntur aliqua à feudum tenentibus, & pro extinctione feudi, quando in manum, vt vocant, mortuam cadunt, aliqua item perſolui mos eſt: eodem jure agebant Epiſcopi, quia jure communi omnes Eccleſiæ in Epiſcoporum eſſe poteſtate videntur.

Digitized by Google

Ex quibus diſces Curatos primitiuos vocari eos, quibus vel Altarium, vt tunc vocabant, id eſt oblationum omnium, tam quæ fierent in Altari, quàm quæ dabantur pro ſepultura, pro confeſſionibus, pro baptiſteriis, pro purificationibus feminarum, pro nuptiis, aliiſque hujuſmodi miniſteriis ſacris reditus ex integro perſoluebantur, cum obligatione aſſignandi Vicariis perpetuis congruam ad victum portionem; vel quibus oblationes iſtiuſmodi ex parte pacificè poſſidendæ relinquebantur. De quibus lege Notas Sirmundi ad epiſtolam 40. libri 3. Gaufridi Vindocinenſis, & epiſtolam ipſam, quæ eſt Petro Sanctonenſium Epiſcopo, & Goſcelino Archidiacono.

His notatis, facilè eſt Decreti contenti hoc in articulo rationem reddere. Nam nullo titulo Regulares, qui ſe primitiuos Curatos dicunt, aut ſacrificium Miſſæ ſolenniter in Eccleſiis parochialibus inuitis Parochis, aut non approbati ab Epiſcopis celebrare poſſunt: multò minùs prædicare, vel confeſſiones audire.

1°. quidem non vtuntur hoc jure propter redituum certorum temporalium vſurpationem: tum quia hæc odioſa eſt: tum quia cùm temporale in beneficiis ſit acceſſorium; ſpirituale verò debeat eſſe principale (beneficij ſiquidem jus eſt percipiendi temporalia propter ſpiritualia,non viciſſim; vnde beneficij venditio ſimoniaca eſt, & nefaria) ideo jus ad temporalia percipienda alicui olim beneficio adnexa trahi non poteſt ad miniſteria, & functiones ſpiritualium.

2°. Neque ex eo quòd receperint temporales reditus per Epiſcoporum donationes, ob antiquam eorum paupertatem, in alimentum ſcilicet, & ad vſus neceſſarios, jus aliquod exinde nacti ſunt. 1° enim rectè notat Gloſſa verbo *ad menſam*, Clementina vnica, de exceſſibus Prælatorum, Eccleſiam quæ habet Monachos, Curatos primitiuos dictos, *ad menſam illorum, non autem ad curam, & ſollicitudinem* cenſeri vnitam; quia vnio facta eſt tantùm *ob cauſam alimentorum* ex canone *Religioſam*, c. *Bona rei*, 12. quæſt. 2. c. *Quoniam*, 16. quæſt. 1. aliiſque pluribus ſuperiùs allegatis. Donatio verò ad menſam Monachis facta nihil eos juuat ad miniſteria Eccleſia-

ſtica in Eccleſiis vnitis exercenda. Quin potiùs ſicut olim qui matriculæ Eccleſiarum ad ſtipem colligendam adſcripti erant, eo titulo Eccleſiis obnoxij erant, vt in confeſſo eſt apud omnes; ita Monachi, quibus ad alimenta ex rebus Eccleſiæ aliquid collatum eſt, deberent potiùs Eccleſiis obnoxij eſſe, quàm Curatorum dignitatem præripere.

3°. Ius forſan quod prætendere poſſunt Monachi, inde petitur, quia olim fuerunt ipſi Curati iſtarum Parochiarum, quemadmodum non dubitamus in Eccleſiis ſaltem vicinis Monaſteriis ſuis eos fuiſſe aliquando Parochos, & Parochialia munia exercuiſſe; ſicut & jam Canonici regulares, & in proximis Eccleſiis, & in diſſitis curam animarum gerunt. Sed hæc ratio nullius eſt momenti, tum quia vbi ſemel juri ſuo renuntiarunt, vel à Parochiis rejecti ſunt, in eas nullam ampliùs retinent poteſtatem: tum quia ſi ſaltem agamus de Monachis, qui ad parochialium Eccleſiarum regimen olim aſſumpti ſunt, duplicis ipſi fuerunt generis. Quidam Eccleſiis alienis, à Monaſterio nullo pacto dependentibus, adſcribebantur, vt patet ex canone 27. Concilij Agatenſis: & ordinatio hujuſmodi Monachorum in Parœciis, nullum jus acquiſiuit vnquam Monachis, à quibus tranſlati erant, dum Clero adſcripti ſunt ſicut reliqui Clerici, quemadmodum aſſumi poſſe ſtatuerat Syricius Papa epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem c. 13. Alij verò in Eccleſiis Monaſteriorum ordinabantur quidem; ſed jubentur *Epiſcopo de plebis cura reſpondere: Abbati verò pro rebus temporalibus rationem exhibere*, canone *Sanè quia*, 16. quæſt. 2. Proindéque nec Monachi ceteri iſto tempore curæ Parochiali ſeſe intromittebant; ſed ij ſolùm ex Monachis, qui ad regimen animarum ab Epiſcopis fuerant inſtituti. Ergo nullum jus reliquis Monachis inde acquirebatur. Vbi verò Monachi à regimine ipſo excluſi ſunt, juſſúmque eſt, vt in Eccleſiis vbi Monachi habitant, populus per Capellanum regeretur, qui ab Epiſcopo per conſilium Monachorum inſtitueretur, ita vt ex ſolius Epiſcopi arbitrio, tam ordinatio ejus, quàm depoſitio, & totius vitæ penderet conuerſatio cap. 1. de Capellis Monachorum. Et cum in Eccleſiis ſuis è ſpiritalibus nihil jure habent,

Digitized by Google

præter præſentationem Preſbyterorum Epiſcopo faciendam, itaut Preſbyteros ſemel inſtitutos remouere non poſſint. Profectò quis dicat aliquid eos ſpiritale in Eccleſia paræciali poſſe agere; præſertim ſi ab Epiſcopis probati non ſint. Addit Panormitanus in prædictum caput de Capellis Monachorum, quod licèt Monacho regimen animarum olim commiſſum ſit, illud tamen *non eſt collatum ipſi collegio Monachorum, cùm ſint ibi Monachi, non vt exerceant curam, ſed vt regulariter viuant.*

4°. Ius fortè prætendere poſſunt Monachi in ſpiritalia, ratione juris Patronatus. Verùm reſtringi debet jus Patronatus ad ſolam præſentationem Curati faciendam. Adde quòd olim mera erat gratia, non jus; ideóque ad diſparata, & diuerſa trahi non debet; præſertim verò cum etiam feminis Monialibus; & laïcis, tam maribus, quàm feminis jus Patronatus conuenire poſſit, vt leges toto titulo de jure Patronatus, & alibi paſſim.

Denique nullum jus Monachis competit, ex eo quòd Altaria, vt tunc appellabant, ſeu oblationes fidelium ipſis, vel ab Epiſcopis, vel à laicis data fuerint: tum quia jus illud Altarium ab initio vt plurimum jniuſtum erat, vt ex prædictis patet: ſiquidem oblationes quæ ſunt propter miniſterium, ab ipſo miniſterio diuulſæ erant contra ipſarum rationem, & conditionem; tum quia eo ipſo tempore, quo de iſtis oblationibus cum Epiſcopis, & Clericis altercabantur Monachi, inter ceteras rationes, quæ aduersùs eos proferebantur ab Epiſcopis, ea erat præcipua, quòd ſpiritale nihil ab eis in populorum ſalutem conferretur, vt ex citata ſuperiùs Gaufridi epiſt. conſtat. Tum quia jus iſtud Altarium etiam Monialibus confirmatum fuit, vt patet ex Annalium Nouiamenſium cap. 91.

Digitized by Google

Articvlvs XV.

Cvm Ordinum collatio juris ſit purè Epiſcopalis, prohibitum eſt, ne quocunque priuilegio prolato, minores Ordines, imo nec tonſuram vllus recipiat, neque vllum Epiſcopum ad Monaſteria ſua accerſat ad celebrationem ſacrorum Ordinum, aut ad alias functiones Epiſcopales, ſine licentia Epiſcopi diœceſani: ac proinde cauebunt Epiſcopi ne Ordines conferant, Confirmationem tribuant, ſolenniter officium Pontificale peragant, aut aliam functionem exerceant extra propriam diœceſim, ſine licentia, & permiſſione diœceſani Epiſcopi. Contrarium facientes, præter pœnas à jure inflictas, in quas incident, omni, tam actiuo, quàm paſſiuo ſuffragio in quibuſlibet Conuentibus, tam Prouincialibus, quàm Generalibus priuabuntur,

Commentarius ad Articulum decimum-quintum.

Præterquam quòd Ordinum collatio in Monaſteriis exemptis, abſque Epiſcopi licentia ſingulariter hoc articulo prohibetur; generaliter quoque Pontificalium omnium exercitium in iiſdem Monaſteriis interdicitur. Sermo autem eſt præſertim de Monaſteriis exemptis; cujuſmodi ſunt Monaſteria Mendicantium, quorum Monaſteria ejus ſunt diœceſis in qua ſita ſunt; quorúmque exemptio reſpicit potiùs perſonas, quàm locum ipſum: non autem de iis, quæ prædita ſunt indubitata juriſdictione Epiſcopali, vel quaſi Epiſcopali, cujuſmodi olim fuerunt Lindiffarnenſis inſulæ Monaſterium apud Bedam, & alios: Caſſinenſe apud Leonem in Chronico Caſſinenſi, & alia paſſim, de quibus hoc loco non agitur ex profeſſo: quia cùm ſint nullius diœ-

Digitized by Google

cęſis, nullus eſt proprius Epiſcopus iſtorum locorum, nec in vlla diœceſi ſita dicuntur. In aliena autem diœceſi nullum Epiſcoporum Pontificalia, ſeu propria Epiſcoporum officia obire poſſe, teſtantur ex veteri vſu Apoſtolorum canon 35. in Græco, in Latino 36. Concilium Nicenum 1. c. 15. Antiochenum c. 13. & 22. Conſtantinopolitanum c. 2. in Græco, 2. 3. & 4. in Latino. Carthaginenſe 1. c. 10. & 12. Carthaginenſe 2. c. 11. Carthaginenſe 3. c. 20. Mileuitanum c. 21. Africanum c. 87. Innocentius I. epiſt. 8. ad Florentium Epiſcopum; Bonifacius I. epiſt. 3. in fine; Cæleſtinus epiſt. 2. c. 4. Hilarius Papa epiſt. 2. in medio ad Leuntium, Concilium Turonenſe 1. c. 9. Aurelianenſe 3. c. 15. Aurelianenſe 5. c. 8. Aruernenſe 1. c. 10. Martinus Bracarenſis cujus collectio in Concilio Lucenſi probata eſt; Zacharias epiſt. 1. Concilium Vernenſe ſub Pipino c. 13. Capitularium Caroli Magni lib. 1. c. 11. Synodus 8. Conſtantinopolitana c. 23. Concilium Vormaſienſe c. 62. Anglicum c. 2. & alia plurima. Ex iis verò pleraque Ordinationem extra diœceſim fieri diſertè prohibent.

Exempla obſeruati iſtius moris ſunt Athanaſius Alexandrinus, qui accuſatus legitur, quòd in alienis Parochiis in itinere Ordinationes celebraſſet, apud Socratem lib. 2. cap. 19. in fine & 21. Sozomenum lib. 3. cap. 20. Nicephorum lib. 8. cap. 26. Chryſoſtomus eandam ob cauſam pariter reprehenſus apud Palladium in ejus vita, & in actis Synodi ad Quercum, quæ habentur in Bibliotheca Photij; Epiphanius, qui à Ioanne Hieroſolymitano propter Ordinationem Pauliniani fratris Hieronymi redargutus eſt, vt indicant epiſtolæ Hieronymi ad Pammachium, & Epiphanij ad Ioannem Hieroſolymitanum apud Hieronymum. Itémque à Chryſoſtomo apud Socratem lib. 3. cap. 13. Quibus adde teſtimonia ſancti Auguſtini, tum epiſt. 168. in qua hæc ſcribit: *In aliis enim ciuitatibus tantùm agimus, quoad Eccleſiam Dei pertinet, quantùm vel nobis permittunt, vel nobis imponunt earumdem ciuitatum Epiſcopi, fratres, & conſacerdotes noſtri.* tum epiſt. 225. *ad Albinam,* in qua refert ipſe, quòd cùm Pinianum ſpopondiſſet, ſe non ordinaturum in-

Digitized by Google

uitum, populúſque Hipponenſis ejus Ordinationem in Preſbyterum acriùs vrgeret, promiſſúmque Auguſtini eluſurum ſe crederet, ſi Pinianum ab alio Epiſcopo, neſciente ſancto Auguſtino, procuraret ordinari, hanc euaſionem refellit his verbis: *Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in abſidem honoratiores, & grauiores aſcenderant, nec à promiſsi fide me poſſe dimoueri, nec ab alio Epiſcopo in Eccleſia mihi credita, niſi me interrogato, ac permittente, poſſe ordinari.*

Idem nouo jure cautum eſt, quod veteri. Nam Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. De reformatione, *Nulli*, inquit, *Epiſcopo liceat, cujuſuis priuilegij prætextu, Pontificalia in alterius diæceſi exercere; niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm. Si ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi.*

Idem ſeſſ. 14. c. 2. De reform. *Nemo Epiſcoporum, qui titulares vocantur, etiamſi in loco nullius diæceſis, etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cujuſuis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cujuſuis priuilegij, ſibi de promouendo quoſcunque ad ſe venientes pro tempore conceſsi, alterius ſubditum etiam prætextu familiaritatis continuæ, commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis, ad aliquos ſacros, aut minores Ordines, vel primam Tonſuram promouere, ſeu ordinare valeat. Contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum; taliter verò promotus ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.* Denique idem Tridentinum ſeſſ. 23. De reformatione cap. 10. *Abbatibus, ac aliis quibuſcunque, quantumuis exemptis, non liceat inpoſterum, intra fines alicujus diæceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius ſint diæceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram vel minores Ordines conferre: nec ipſi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcunque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſecularibus, vt ab alijs ordinentur, concedant, ſed horum omnium Ordinatio, ſeruatis omnibus, quæ in hujus ſanctæ Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum*

diæceſi

Digitized by Google

diœceſis fines exiſtant, pertineat, non obſtantibus quibuſuis priuilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus.

His capitibus Concilium apertè docet, & ſolidè confirmat quæcunque hoc articulo tradita ſunt. Primò enim caput quintum ſeſſionis 6. Pontificalia omnia cujuſuis priuilegij prætextu, ſine licentia Ordinarij loci, nec niſi in perſonas eidem Ordinario ſubjectas exerceri vetat, adhibita etiam hac pœna, vt Epiſcopus ſecus faciens, ab exercitio Pontificalium, ordinati verò ab exercitio Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi. Ac proinde non ſolùm in vniuerſum vetat Pontificalia in aliena diœceſi exerceri, verùm prohibet expreſſè Ordinationes fieri: quod primum caput eſt præſentis articuli. Pontificalia autem dicuntur ſacra omnia munia, quæ ad ordinem, & conſecrationem Epiſcopalem ſpectant: cujuſmodi ſunt ordinatio Clericorum, benedictio Virginum, Altarium, & Eccleſiarum conſecratio; vt patet ex Gloſſa verbo *à Pontificalibus* in extrauagantem *Suſcepti regiminis* de electione.

Hæc autem Pontificalia munia attrectari vetantur ab alieno Epiſcopo, præterquam ex licentia Ordinarij loci expreſſa; non autem Prælati cujuſuis inferioris exempti, vt declarauit ſacra Cardinalium Congregatio apud Farinacium parte 4. deciſionum in caput iſtud 5. ſeſſ. 6. Concilij Tridentini. Quin etiam eadem congregatio declarat ipſos Patriarchas, vel Primates in aliena diœceſi aliquas habentes Eccleſias ſibi immediatè ſubjectas: verbi gratia, Capitulorum quorumdam, Cathedralium, vel Collegiatorum, hanc licentiam dare non poſſe, ſcilicet vt in iſtis Epiſcopi alieni ſacros Ordines celebrent: quia monſtroſum eſt diuerſa Eccleſiæ capita in vna Eccleſia apparere. Idem jus in Eccleſia Orientali ſeruatum, vt nec Patriarchæ, nec Primates in Eccleſiis ſibi ſubditis, alieno Epiſcopo licentiam ordinandi concederent, docet Balſamon in canonem 14. & 35. Apoſtolorum. Sed nec Vicarios Epiſcopi generales, niſi ſpecialiter eis mandatum ſit, hanc licentiam dare poſſe prædicta Congregatio reſpondit, cui affine eſt decretum, quod nec

Digitized by Google

Vicariis generalibus prohibet dimiſſorias concedere, niſi ſpecialiter illud ipſis demandatum ſit, capite *nullus* de temporibus Ordinationum in 6. & cap. 2. ac 3. de Officio Vicarij eodem libro.

Addit eadem Congregatio ad iſta verba, *& in perſonas, 1. Epiſcopum in alterius diœceſi, de licentia Ordinarij loci non poſſe ordinare perſonas quæ non ſunt ſubjectæ illi Ordinario, niſi habeant dimiſſorias generales à ſuis Ordinariis, nec eis poſſe de licentia Ordinarij miniſtrare Sacramentum chriſmatis. 2. non excludi propterea Clericos aliarum diœceſum, ſi ſuas litteras dimiſſorias habeant, quominus poſſint ab Epiſcopis extraneis in aliena diœceſi, de licentia Ordinarij, Pontificalia exercentibus, ordinari. 3. Neque Epiſcopum, qui nullum habet Epiſcopatum, poſſe in ſua Eccleſia juriſdictionali, veluti ſi eſſet præpoſitura, ſine expreſſa licentia Epiſcopi, intra cujus fines diœceſis præpoſitura exiſtit, Chriſma conferre, nec alia Pontificalia exercere. 4. Nec poſſe Epiſcopum Pontificalia exercere in loco exempto, & juriſdictionis non Epiſcopi, ſed inferioris: modò ille inferior Prælatus non habeat juriſdictionem Epiſcopalem, aut quaſi Epiſcopalem, & locus non ſit nullius diœceſis: tunc enim poſſe declarauit Gregorius XIII.*

Alterum decretum Concilij Tridentini, quod 2. eſt, ſeſſ. 14. de reform. ſpeciale quid conſtituit circa Epiſcopos titulares, vt vocant, quos negat vigore cujuſuis priuilegij, etiamſi in loco nullius diœceſis, ideſt, cujus Prælato conceſſa eſt juriſdictio quaſi Epiſcopalis, poſſe alterius ſubditum ordinare, etiam ad minores Ordines, aut ad primam Tonſuram promouere, etiam prætextu familiaritatis continuæ: & contra facientem per annum ab exercitio Pontificalium Epiſcopum ſuſpendit; taliter verò promotum ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit.

Quæſtio verò naſci poteſt, vtrum Epiſcopus habens clerum, & populum in loco exempto, qui tamen ſit alicujus diœceſis, ſine licentia Epiſcopi diœceſeos, poſſit Tonſuram, & minores Ordines ſibi ſubdito Clerico conferre. Adhibenda eſt diſtinctio: Nam vel locus iſte eſt nullius diœceſis, vel eſt alicujus diœceſis: ſi nullius eſt

Digitized by Google

diœceſis, poteſt conferre, ex declaratione Gregorij XIII. & Dominorum Cardinalium citata. Cui etiam fauet ratio: quia in perſonam ſibi ſubditam Pontificalia exercet ex hypoteſi; in loco nullius diœceſis; de licentia Prælati illius loci: nulli proinde Epiſcopo injuriam infert, nullius jurisdictionem violat: ergo non ſolùm Tonſuram, & minores Ordines; verùm etiam ſacros, ſi exemptio, & prærogatiua loci certæ ſint, conferre ſibi ſubdito poterit; præſertim cum 7. Synodus generalis c. 14. Abbati in proprio Monaſterio Lectoratum conferre poſſe ſubdito ſibi Monacho cenſuerit. Quod etiam Concilium Pictauienſe Decreto 1. Alexander III. cap. *Requiſiuit*, de Ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiauit, Innocentius III. cap. *Cum contingat*, aliáque jura ad Tonſuram, & minores Ordines extendunt. Si verò locus ſit alicujus diœceſis, rectè articulo præſenti ſtatuitur non licere Epiſcopo, ſine licentia Ordinarij loci ad Tonſuram aliquem promouere, vel Ordinem conferre: tum quia Epiſcopis titularibus alieno diœceſano conferendi non ſolùm Ordines ſacri, verùm etiam minores Ordines, ac prima Tonſura interdicuntur cap. 2. ſeſſ. 14. de reformat. Tum quia quorumlibet Pontificalium in alterius diœceſi exercitium, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, interdicitur ſeſſ. 6. Tridentini, cap. 5. de reform. Atqui inter Pontificalia Tonſuræ, & minorum Ordinum collatio recenſetur. Quare cùm nec nos diſtinguere debeamus vbi lex non diſtinguit, perperam de majoribus, & minoribus Ordinibus differentiam adhibebimus: præſertim cùm ad Tonſuram, vel minores Ordines promouendus examinari debeat; in quo quidem examine quædam videtur eſſe forma judicij. At verò vniuerſim ſtatuitur, quòd quæcunque cauſæ cognitionem deſiderant, debent fieri pro tribunali, lege 3. ff. de officio Prætoris 2. q. 3. c. *Si quem*, §. *Si quis*. 3. quæſt. 1. c. *Iudicis*, §. *A Iudice*. Item conſtat Præſidem Prouinciæ, ſi Prouincia exceſſerit, priuatum eſſe, lege *Præſes*, ff. de officio Præſidis. Legatum extra locum legationis cenſuras ferre non poſſe, cap. *Nouit*, de officio Legati. Nullum Epiſcoporum extra diœceſim ordinare, judicare, diſponere quidpiam poſſe 9. quæſt. 1. c. 3. vno

Digitized by Google

verbo extra territorium jus dicenti impunè non pareri, lege vltima, ff. de juriſdictione omnium Iudicum. Igitur non videtur quòd in loco quantumlibet exempto, qui ſit tamen intra fines alicujus diœceſis, Epiſcopus vllus, etiam ſibi ſubdito, etiam non ſolenniter, Tonſuram, aut minores Ordines conferre poſſit : quia ſpeciatim hæc ſunt ei interdicta ; & conſuetudo, ſaltem in Gallia, obſiſtit, quominus Epiſcopi aut Tonſuram, aut minores Ordines extra diœceſim conferant. Et verò licèt ſolenniter non conferrentur, tamen ſolenne deberet eſſe teſtimonium, quod eorum collationi ab Epiſcopo exhiberetur.

Articvlvs XVI.

NVlli Epiſcopi Religioſos ad Ordines admittent prætextu cujuſcunque priuilegij, exemptionis, & poſſeſſionis immemorabilis, niſi præter teſtificationem morum, & probatæ vitæ, quam à ſuis Superioribus accipient, qui certo Monaſterio addicti ſunt, litteras quoquę dimiſſorias Epiſcopi adferant. Qui verò Monaſteria ad habitationem mutare ſolent, Monaſterij in quo habitant, vel Epiſcopum adeant, vel teſtimonium, quòd Ordines minimè tunc temporis celebret, ab ipſo poſtulent.

Commentarius ad Articulum decimum-ſextum.

QVòd regulares teſtimonium vitæ, & morum à præpoſitis ſuis Regularibus adferre debeant ad Epiſcopum, à quo Ordinationem ſuſcipere expetunt, extra controuerſiam eſt : qua de re lege Concilium Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 8. & 12. Fuſiùs verò Mediolanenſe 4. tit. de iis quæ ad Sacramentum Ordinis pertinent, & 5. de initiandis

Digitized by Google

Ordinis Sacramento: necnon edictum de ſacra Ordinatione Actorum Mediolanenſium parte 3. Et in Gallia Aquenſis Prouinciæ Concilium, tit. quæ ad Sacramenti Ordinis adminiſtrationem pertinent, idem habet.

Quod autem primarium eſt in hoc articulo, illud eſſe videtur, an ab Epiſcopo Monaſterij, in quo Monachus vel fixam habet ſedem, & perſeuerantem manſionem, vel in quo tunc temporis reperitur, & habitat, debeat ordinari; non autem ab alio quoquam, niſi ex conſenſu illius.

Antiquitùs Regulares, æque ac Seculares, à nullo alio, quàm ab Epiſcopo proprio ordinari poterant abſque litteris dimiſſoriis. Probatum illud in Concilio Carthaginenſi 5. c. 13. & in Concilio Africano c. 47. quod quidem ſub Bonifacio & Cæleſtino dicitur habitum, refertúrque à Gratiano c. *Si quis* diſtinctione 58. *Si quis de alterius Monaſterio (repertum) vel receptum, vel ad Clericatum promouere voluerit, vel in ſuo Monaſterio Majorem Monaſterij conſtituere; Epiſcopus qui hoc fecerit, à ceterorum communione ſejunctus, ſuæ tantùm plebis communione contentus ſit: & ille neque Clericus, neque præpoſitus perſeueret.* Vnde cùm Colinianum fratrem Hieronymi ordinaſſet Epiphanius Salaminæ in Cypro Epiſcopus, in Eleuteropolitano territorio, teſte Hieronymo epiſt. *61.* ad Pammachium & *62.* ad Theophilum: & Ioannes Hieroſolymitanus Bethleemitici Monaſterij, quòd ad ſuam diœceſim ſibi vindicabat, Monachum ab alio, quàm à ſe ordinatum conquereretur, non priuilegium Monachorum allegatum eſt, quo poſſent Monachi à quolibet Catholico Antiſtite ordinari, ſed allegata neceſſitas vrgens & ratihabitio, quam propter charitatem Chriſti ſibi inuicem impendere ſolebant Epiſcopi iis in occaſionibus vrgentibus. Tantum verò abeſt, vt Monachi liberiores olim fuerint, quin imo eo titulo magis addicti erant ſuo Epiſcopo. Conſtat enim antiquitùs etiam alienæ originis homines ſolitos fuiſſe ab Epiſcopis vbique ordinari; ſed non ſimiliter Monachos, qui de vno Monaſterio tranſire ad aliud ſine Epiſcopi ſui commendatione, & conſenſu vix poterant ex Concil. Chalcedonenſis c. 6. & c. 4. Synodi in æde ſanctorum Apo-

Digitized by Google

ſtolorum habitæ. Vnde cùm beatus Fulgentius à Monaſterio, quod conſtruxerat, humilitatis ſenſu clam aufugiſſet, reuocatus à Fauſto Epiſcopo prioris Monaſterij, *Epiſcopali auctoritate ſuum eſſe Monachum Fulgentium allegante, ſibíque reddi, & vbi ipſe juſſerit, viuere debere, confirmante; ipſum verò Fulgentium, niſi conſentiat, inobedientibus ſimilem pronuntiante judicandum;* redire ipſe coactus eſt ad prius Monaſterium: cui vt ſtrictiùs alligaretur, Preſbyter ab eodem Epiſcopo, licèt ex aliena diœceſi oriundus, conſecratus eſt. Quamobrem, Carolus Magnus libri 1. Capitul. cap. 3. decretum refert in *Nicæno Concilio, necnon Antiocheno ſimul & in Chalcedonenſi, vt fugitiui Clerici, & peregrini à nullo recipiantur; nec ordinentur ſine commendatitiis litteris, & ſui Epiſcopi, vel Abbatis licentia.*

Concilium Arelatenſe 3. cauſam inſulæ Lirinenſis inter Theodorum, & Monachos Lirinenſes agitatam ita diremit, *vt Clerici, atque Altaris Miniſtri, à nullo, niſi ab ipſo* (ſupple Theodoro) *vel cui ipſe injunxerit, ordinentur.* Nota apud Marculſum formulam exemptionis Monaſteriorum lib. 1. cap. 1. in qua ad Monachos hæc ſcribere ſolebant Epiſcopi priuilegium concedentes, *vt de veſtra Congregatione, qui in veſtro Monaſterio ſancta debeant bajulare officia, quum Abbas cum omni Congregatione popoſcerit à nobis, vel Succeſſoribus noſtris, ſacros percipiant gradus.* Quare vſitatum non erat Monachis eo tempore exemptiones quærere, ſed Ordinationis beneficium à ſolis ordinariis Epiſcopis expectabant; ipſíque Epiſcopi exceptionem Ordinationis à ſe, ſuíſve ſucceſſoribus faciendæ adhibebant; vt patet ex priuilegio exemptionis Monaſterij Corbeïenſis, à Betefrido Epiſcopo Ambianenſi factæ, accedentibus pluribus Epiſcopis, qui cartæ ſubſcripſerunt, regnante Clotario Rege an. 7. regni ipſius: Item ſancti Martini Turonenſis ab Adeodato Papa ad preces, & commendationem Crodeberti Epiſcopi Turonenſis datum. Referuntur tomo 1. Conciliorum Galliæ. Quibus non diſſimile eſt priuilegium Grimbergenſis Eccleſiæ, dum Præmonſtratenſis Ordinis viris traditur, à Lietardo Cameracenſi Epiſcopo tributum cap. 88. Donationum Auberti

Digitized by Google

Minei. Cui etiam congruit quod in priuilegio indulto Monaſterio ſancti Caſſiani apud Maſſiliam à ſancto Gregorio lib. 6. epiſt. 12. reſpectæ Abbatiſſæ Maſſilienſi conceſſum ſit, vt obeunte antedicti Monaſterij Abbatiſſa, non extranea, ſed quam Congregatio ſibi de ſuis elegerit, ordinetur. Item priuilegium ab eodem Papa lib. 11. epiſtola 10. ad Senatorem Abbatem Xenodochio Auguſtodunenſi conceſſum, reſeruatâ Ordinationis poteſtate, ſed non ſine conſenſu Abbatis. Item quod Monaſterio ſancti Dionyſij conceſſum eſt à Landerico Epiſcopo Pariſienſi, reſeruato Chriſmate, & oleo ab Epiſcopatu Pariſienſi petendo.

Legimus quidem Barſem, & Eulogium Monachos apud Theodoretum lib. 4. cap. 34. & Nicephorum lib. 11. cap. 40. Lazarum quoque Monachum cap. 23. in Monaſteriis ſuis Epiſcopos conſecratos, ſed honoris causâ: quos proinde Epiſcopalem nullam conſecrationem in Monaſteriis ſuis peregiſſe probabile eſt.

Legimus pariter apud Leonem Hoſtienſem in Chronico Caſſinenſi lib. 2. cap. 17. S. Adelbertum Pragenſem Epiſcopum à Bohemis expulſum, & monaſticam vitam Romæ profeſſum, in Monaſterium Caſſinenſe veniſſe: vbi cùm ſeniores quidam dicti Monaſterij eum conuenientes, dicerent: *Bonum eſt, Pater, vt hìc nobiſcum maneas, hìc monaſticam ſuſcipiens veſtem, hìc Deo placitam exigas vitam; quoniam cùm ſis Epiſcopus, & Eccleſias noſtras dedicare, & noſtros promouere Clericos ad ſacros Ordines decentiſſimè poteris.* Eum grauiſſimè hæc verba tuliſſe, & ſi, credimus vitæ ſancti Adelberti cap. 18. apud Caniſium, iſta reſpondiſſe: *Vtrum me hominem, vel aſinum putatis? vt cum amota Filiorum cura Epiſcopus eſſe deſiſterem; nunc ſub nomine Epiſcopi veſtras domos conſecrarem.*

Priuilegium primum, cujus meminerim, Monachis conceſſum vocandi quem vellent Antiſtitem ad Fratres ſuos ordinandos, eſt priuilegium Furrado Abbati à Stephano II. conceſſum. Similis facultas conceſſa legitur ab Vrbano II. Monachis Congregationis ſanctæ Iuſtinæ, apud Rodericum prima in collectione Bullarum; & ab Eugenio IV. Monachis omnibus Congregationis Italiæ Ordinis ſancti Benedicti;

Digitized by Google

quam eandem facultatem ſibi quoque communicari petierunt Mendicantes.

Conceſſit Clemens IV. *licentiam, & facultatem liberam, vt FF. Minores promoueri poſſent ad Ordines ſacros per quoſcunque Catholicos Epiſc. communionem, & gratiam Sedis Apoſt. habentes.*

Refertur in monumentis Ordinum Mendicantium impreſſione 1. folio 56. & 2. folio 146. conceſſione 212. Conceſſiſſe Sixtum IV. *Vt quilibet Epiſcopus Catholicus poßit celebrare Ordines ſacros, temporibus ad hoc in Eccleſia deputatis, in locis Fratrum Minorum de Obſeruantia, pro Fratribus prædictis duntaxat*

Conceſſiſſe etiam dicitur Leo X. libro prædicto monumentorum 1. impreſſ. fol. 63. & 2. folio 67. *Quòd quilibet Catholicus Epiſcopus poßit in locis, & perſonis Fratrum exercere omnes actus Epiſcopales.*

Sed videtur hoc falsò dici: Nam idem Leo X. ſeſſione 11. Concilij Lateranenſis cap. *Dum intra*, expreſsè derogat prædictæ Bullæ Clementis IV. & Sixti IV. Si veræ ſunt; multò minùs additamentum, quod ei affingitur, approbat. Nam in Bulla iſta, quæ publica eſt, data toto audienti Concilio, in publica ſeſſione Concil. Lateranenſis, anno Incarnationis Dominicæ 1516. 19. Decembris, Pontificatus anno 4. *Fratres*, inquit, *ad Ordines promouendi, debent ab Ordinario de grammaticali ſufficientia examinari, & dummodo competenter reſpondeant, per eoſdem Ordinarios debent admitti. At nullatenus in eorum Eccleſiis, ſeu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio, quàm à diœceſano Epiſcopo, vel ejus Vicario ſuper hoc cum debita reuerentia requiſito, & abſque rationabili cauſa contradicente; vel à diœceſi abſente, ad dictos Ordines promoueri debent.* Igitur conueniri vult Epiſcopum diœceſanum à Mendicantibus, vt ordinari ab eo debeant: nec ſine ejus, vel Vicarij ejus generalis licentia ordinari poſſint; niſi vel abſens ſit à diœceſi, vel irrationabiliter contradicat. Sed vide quàm modicam ab ordinando ſufficientiam requirat: puta qualemcunque grammaticalem ſcientiam, vt exinde agnoſcas quàm propenſus in Mendicantes fuerit, vel quàm parcus diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſeruator: fortè quod temporis iſtius ignorantia ſeueriores leges non ferret.

Concilium

Digitized by Google

Concilium Tridentinum hanc diſciplinæ relaxationem non tulit, ſicque ſtatim ſeſſione 23. de reformatione cap. 8. *Vnuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinetur: quòd ſi quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſuis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur; niſi ejus probitas, ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur: ſi ſecus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum; & ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.* Idem ferè habet aliis in locis, vt ſeſſ.6. c.5.& ſeſſ.14.c.2.

Pius V. conceſſerat Fratribus Mendicantibus vt à quolibet Catholico Antiſtite promoueri poſſent, Bulla, *Et ſi Mendicantium.* Hanc ſtatim poſt ejus obitum, ex parte jam ab ipſo Pio reuocatam, tanquam diuino cultui contrariam, & *animarum detrimento, ac populorum ſcandalo exiſtentem*, ad terminos Iuris,& Concilij Tridentini reduxit Gregorius XIII. Bulla *In tanta rerum.*

Ad hæc Concil. Mediolanenſ. Prouinciæ quintum ſub ſancto Carolo Borromæo cap. de initiandis Ordinis Sacramento, conſentaneè ſtatuit, *Ne Abbates etiam baculi, & mitræ jure vtentes, alióue ejuſmodi priuilegio, & auctoritate conferendi minores Ordines, munitos, patiatur Epiſcopus diœceſanus, Tonſuram, neque minores Ordines, id quod Tridentina Synodus vetuit, aliis conferre, quàm iis, qui Regulares ſunt & eorum juriſdictioni ſubjecti, niſi & ipſius Epiſcopi conſenſus antecedat, & illi initiandi à ſuo Epiſcopo, vel regulari Superiori attulerint litteras dimiſſorias, non generatim, ſed ſpeciatim conceſſas. Nec verò quibuſuis Abbatibus id permitti liceat; ſed iis tantùm, qui Sacerdotio initiati ſunt, ſtatutis benedictionis precibus conſecrati.* Quin etiam eodem capite, ſtatim initio hæc habet: *In iis, quæ Oecumenica Synodus Tridentina de ſacra Ordinatione ſtatuit, vberiùs etiam Prouincialium Conciliorum decretis explicata multa ſunt, quorum diligens ratio, etiam in Regularibus habenda eſt: atque eorum quidem capita quædam præcipua infra hoc decreto complexi ſumus. Videat igitur Epiſcopus, vt quicquid de iis ipſis capitibus, vel eodem Tridentino Concilio, vel Synodis Prouincialibus, etiam generatim con-*

Digitized by Google

ſtitutum eſt, in illis initiandis, quàm diligentiſsimè ab ipſo ſeruetur.

Synodus Arretina diœceſana anno 1598. §. *Et quoniam. Sciant tam regulares, quàm ſeculares Clerici, qui ante ætatem legitimam ad ſingulos ſacros Ordines promouebuntur, vt etiam, qui cùm ex vrbe, vel diœceſi Arretina oriundi ſint, abſque legitimis dimiſſoriis, ab alieno Epiſcopo aliquem ex ipſis ſacris Ordinibus acceperint, ſe à prædictorum Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſos eſſe, ex Pij II. Pont. Conſtitutione, qua durante ſuſpenſione, ſi in iiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrere.*

Cremonenſis 1. 1599. Præſide Cæſare Speciano, titulo quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis: *Apoſtolico ſanctiſſimi Domini noſtri Decreto, ſub die 15. Martij 1596. edito, quod in fine hujus Synodi deſcribetur, inhærendo, Mandamus, ne quiſpiam, cujuſvis Ordinis, Regularis ad vllos Ordines promoueri poſſit extra hanc diœceſim.*

Nucerina ſub Simone Lunadoro, titulo in quibus viri, & loca regularia Epiſcopali ſubjaceant juriſdictioni: *Regulares, licèt à ſuis Superioribus examinati, & dimiſſi, nihilominus ſine diligenti Epiſcopi examine ordinandi non ſunt; nec ab alio, quàm ab Epiſcopo loci, vbi ſuorum Superiorum mandato degunt, ſi is ſacras Ordinationes habuerit, promouendi erunt.*

Hæc omnia Decreta videntur Concilio Tridentino accuratè inhærere: itaut nullus omnino Regularis, niſi à proprio Epiſcopo, aut ex ejus conſenſu, promoueri poſſit: quod tamen aliqua exceptione infirmat declaratio Congregationis Cardinalium, de mandato Clementis VIII. edita, & citata in Synodo Cremonenſi 1. quæ ad Regularium petitionem videtur facta ad formam, quam inſinuauerat in Concil. Lateranenſi Leo X. Bulla *Dum intra,* citata: vt quandocunque abſens eſſet Epiſcopus à ciuitate, vel diœceſi, aut Ordinationes minimè celebraturus eſſet, licere Regularibus ab aliis Epiſcopis extra diœceſim petere, & accipere. quam formam ſecuta eſt prædicta Congregatio; quamuis aliqua ex parte abuſum corrigere tentauerit in hunc modum: *Congregatio Concilij cenſuit Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito, item Regu-*

Digitized by Google

lari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere; ad Epiſcopum tamen diœceſanum, nempe illius Monaſterij, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit: & ſi diœceſanus abfuerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus diœceſanus vel abſuturus, vel nullas habiturus eſſet Ordinationes: verùm cùm à Superioribus Regularibus, Epiſcopo diœceſano abſente, vel Ordinationem non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis vtique hujuſmodi cauſam abſentiæ diœceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis ſuæ adminiſtrationis, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ priuationis, & aliàs arbitrio ejuſdem S. D. N. Papæ reſeruatas pœnas incurrent. In quorum fidem &c. *Datum Romæ, die 15. menſis Martij 1596.*

Complectitur hanc declarationem Concilium Toletanum in Hiſpania anno 1583. habitum, actione 3. cap. 47. Simile aliquid ſtatuit Cleri Gallicani Ordo ann. 1625. & 1645. vt præſens articulus oſtendit Ad Concilium Tridentinum propiùs reducit Concilium Prouinciale Burdegalenſe habitum à Cardinale de Sourdis Archiepiſcopo Burdegalenſi anno 1624. de Ordine, num. 12. *Superioribus Monaſteriorum, in quibus Religioſi fixam, & firmam commorandi ſedem habent, prohibemus, ne litteras dimiſſorias Religioſis ſuis, vt à quocunque ordinentur, concedant; ſed à ſuo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia, ordinandos eſſe duntaxat decernimus. Eos verò, qui pro inſtituto ad varia domicilia certis temporum interuallis transferuntur, cum litteris Prouincialium ſuorum, de voto Religionis emiſſo fidem facientibus, ab Ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantùm præcipimus, ab aliis nunquam, niſi atteſtatione præhabita à Pontifice loci, ſeu Vicario generali obtentâ, quâ cur apud ſe nequiuerint ordinari, perhibeatur. Omnes autem litteras Ordinis proximè ſuſcepti, ordinanti Epiſcopo exhibere, aut aliàs de eodem ſuſcepto fidem facere teneantur.*

Patribus Societatis IESV priuilegium à Gregorio XIII. conceſſum, vt à quocunque Antiſtite Catholico, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ obtinente, promoueri

Digitized by Google

poſſint, refert Henriches lib. 10. Summæ cap. 23. §. 4. Sed illud Rodericus quæſtionum Regularium tomo 1. quæſt. 18. art. 6. à Sixto V. reuocatum affirmat. Simile priuilegium Fratribus militiam ſancti Ioannis Hieroſolymitani profeſſis conceſſum ſe vidiſſe, ac legiſſe refert Auguſtinus Barboſa parte 2. allegatione 4. num. 65. de officio, & poteſtate Epiſcoporum. de iis nihil apud me certi.

Hoc vnum certum videtur, quòd Abbas Monaſterij nullius diœceſis, qui quaſi Epiſcopali poteſtate præditus eſt, (modo priuilegia vera ſint, & non fictitia) litteras dimiſſorias Monachis ſibi ſubditis concedere poſſit, vt à quocunque Antiſtite probato, ac legitimo valeant ordinari. Ipſi verò, ſi ſint Sacerdotes, Tonſuram, & minores Ordines, quemadmodum ſuprà docuimus, eiſdem dare queat. Quia talis Abbas ipſorum eſt ordinarius Prælatus, vt colliges ex capite *Cùm ab Eccleſiarum Prælatis*, de officio Iudicis ordinarij. Oſtendítque Concilium Tridentinum poſſe illum ſibi ſubditis Monachis Tonſuram, & minores Ordines conferre ſeſſ. 23. cap. 10. de reform. Et ſanè cùm habeat in Monachos ſuos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, nullúſque ſit illorum diœceſanus Epiſcopus, ipſe vnus eſt, qui litteras eis dimiſſorias poſſit concedere. Talem poteſtatem circa Clericos ſeculares quibuſuis Abbatibus, Collegiis, Capitulis, quantumlibet exemptis, negat Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 10. de reform. cui ſuffragatur Concilium Narbonenſe anno 1590. auctore Cardinale de Ioyoſa habitum parte 4. cap. 16. num. 6.

Articvlvs XVII.

PRæterea, cùm dicti Religioſi fuerint ordinati, litteras accipere tenebuntur teſtimoniales Ordinis ſuſcepti, gratuitò ipſis concedendas: in quibus non ſolùm Religionis nomine deſignabuntur, verùm etiam nomine proprio, & familiæ ſuæ

Digitized by Google

cognomine, quibus, dum inter Seculares viuerent, denotabantur. Sine quibus litteris, & obedientia Superioris, nec ad celebrationem Miſſæ, nec ad prædicationem, aut confeſſionem admitti poterunt.

Commentarius ad Articulum decimum-ſeptimum.

REGVLARES ſuſcepti Ordinis litteras teſtimoniales ab Epiſcopo accipere debere, tradunt Concilium Mediolanenſe 5. Prouinciale ſub ſancto Carolo, probatum à Gregorio XIII. tit. de initiandis Ordinis Sacramento. Et Aquenſe anno 1585. probatum à Sixto V. tit. quæ ad Sacramenti Ordinis adminiſtrationem pertinent. Quæ duo etiam à Regularibus, dum ad ſuperiorem Ordinem contendunt, teſtificationem Ordinis proximè accepti proferri volunt.

Antiqua ea de re conſtitutio eſt Concilij Mileuitani 2. c. 4. & Africani c. 57. *Vt quicunque deinceps ab Epiſcopis ordinantur, litteras accipiant ab Ordinatoribus ſuis, manu eorum ſubſcriptas, continentes conſulem, & diem, vt nulla alteratio de poſterioribus, vel anterioribus oriatur.*

Similis eſt conſtitutio Hincmari Rhemenſis in Concilio apud ſanctum Medardum, refertúrque canone *Legum* 2. quæſt. 1. *Legum Eccleſiaſticarum conſuetudo, & auctoritas talis eſt, vt in cauſis geſtorum ſemper ſcripturam requirant: adeo vt qui ad ſacrum fontem accedit, ſuum dare nomen præcipiatur: qui ad ſummum Sacerdotium prouehitur, decreto manibus omnium roborato eligitur: ordinatus autem à ſacris Ordinatoribus litteras accipere jubetur.*

Fauet ratio: nam maximi momenti eſt, ne vllus ordinatum ſe eſſe mentiatur: ideóque vnumquemque Ordinis ſuſcepti litteras teſtimoniales habere debere neceſſum eſt. Quod ſi nec ipſos Monachos in laïca communione receptos olim Conciliorum auctoritate animaduertimus, abſque Epiſcopi litteris; ſic enim decernunt Agathenſe c. 38. Turonenſe 2. c. 15. Veneticum c. 6. Andegauenſe c. 8. quantò minùs

Digitized by Google

in communione Clericali admittentur, vt Sacramenta conferant, quibus fortè præditi non ſunt.

Si enim qui habitum Clericalem induunt, & militiam Clericalem profitentur, hujuſmodi ſuſpicione laborare poſſunt, quidni & Monachi? nulla adeo ſancta veſtis, quam non hypocritæ, & mendaces induere poſſint. *O ſerui Dei!* (inquiebat Auguſtinus de opere Monachorum cap. 28.) *milites Chriſti, itanè diſsimulatis callidiſsimi hoſtis inſidias, qui bonam famam veſtram, tam bonum Chriſti odorem, ne dicant animæ bonæ, poſt odorem vnguentorum tuorum curremus, & ſic laqueos ejus euadant; omni modo cupiens obſcurare putoribus ſuis, tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum vſquequaque diſperſit, circumeuntes Prouincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes: alij membra Martyrum, ſi tamen Martyrum, venditant: alij fimbrias, & phylacteria ſua magnificant: alij parentes, vel conſanguineos ſuos in illa, vel in illa regione ſe audiſſe viuere, & ad eos pergere mentiuntur: & omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis*, &c. Quid ab iis hominibus non timeas? Iiſdem coloribus illos depingit Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Officiis cap. 15. ex quo præſertim hæc nota, *alij honores, quos non acceperunt, ſe habuiſſe proteſtantur*, an non fortè honorem Sacerdotij mentientur? ab ignotis, certè peregrinis, & vagis hoc periculum imminet: quale eſt genus Monachorum quos Iſidorus Hiſpalenſis loco citato *circumcellionum* vocitat, qui circum cellas diſcurrunt; & vt ipſe explicat, alludens ad prædicta Auguſtini verba, *Qui habitu Monachorum vſquequaque vagantur, venalem circumferentes hypocriſim, circumeuntes prouincias, nuſquam manentes, nuſquam fixi, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes*, &c. Eos ergo, ſicut & ceteros ad ſacra facienda non admitti, niſi oſtenſis Ordinis conuenientis litteris par eſt.

Antiqua fuit Eccleſiæ conſuetudo vt *nullus externorum Epiſcoporum, vel Presbyterorum, vel Diaconorum ſine commendatitiis recipiatur;* vt habet canon Apoſt. 33. ad quæ Matthæus Blaſtaras, *commendatitiæ quidem ſunt, quæ Clericis, ad alteram ciuitatem tranſeuntibus, dantur ab Epiſcopis, qui ipſos ordinarunt, commen-*

Digitized by Google

dantes, ſiue notificantes vel ipſorum Sacerdotij gradum, vel &c. Et paulò poſt; *Oportet*, inquit, *Clericum peregrinari volentem duas adferre Epiſtolas, commendatitiam videlicet, & abſolutoriam, ſeu dimiſſoriam; vt altera* (commendatitia nimirum) *in commendationem vtatur de ipſius integritate fidei, & de irreprehenſibili vita; itémque de ejus ſacerdotali gradu* &c. quod ipſum aſſerit Balſamon. *Aliis autem*, inquit, *canonibus cauetur, licèt commendatitias litteras habeant, & de fide rectè ſentiant, dimiſſorias tamen litteras ſuorum Epiſcoporum oſtendere oportere, alioquin ſacris non operaturos. Per commendatitias enim litteras eos eſſe ſacratos probatur: licere autem iis in aliena terra ſacrificare, non ex iis, ſed ex litteris dimiſſoriis oſtenditur.* Concilium Chalcedonenſe c. 13. prohibet *externos Clericos & ignotos in alia ciuitate, ſine proprij Epiſcopi commendatitiis litteris vſquam vllo modo miniſtrare;* Quæ ſint autem litteræ commendatitiæ, explicat ibi Balſamon: mihi autem videtur hic canon de commendatitiis litteris definire, quæ Clerici ordinationem declarant, eúmque dimittunt, vt etiam alibi miniſtret, & operetur: quo loco dimiſſorias confundit cum commendatitiis; quemadmodum & commendatitias c. 11. ejuſdem Concilij ſumi pro iis, quæ etiam laïcis dantur, quibus à ſuſpicione criminis purgantur, & immunes cum examine declarantur. Idem in canonem 17. Quiniſextæ Synodi in Trullo habitæ: *Sæpius diximus*, ait, *quod omni Clerico, qui foris ordinatus eſt, duas ſcripturas adferre opus eſt ejus qui eum ordinauit, commendatitiam ſcilicet, & dimiſſoriam: vt illa quidem vtatur ad comprobationem illius gradus, qui ei ineſſe dicitur, hæc verò, vt circa vllum impedimentum ab alia Eccleſia in Clerum cooptetur.*

Synodus 7. ſub Imperatore Conſtantino, & Irene c. 10. *Clericos ſua relicta Parrochia in alias Parrochias excurrere, & in Principum Oratoriis Miſſas facere, in quauis Æde, vel Eccleſia recipi, ſine commendatoria proprij Epiſcopi, & dimiſſoria epiſtola, vel Conſtantinopolitani Patriarchæ decreto* prohibet. Scilicet ſupplere putarunt Græci proprij Epiſcopi conſenſum auctoritatem Conſtantinopolitani Patriarchæ, ejúſque diſcuſſionem. Porro ex iis Canonibus, & Inter-

Digitized by Google

pretibus Græcis Græcorum Canonum, patet non fuiſſe ſolitas litteras teſtimoniales Ordinis ſuſcepti dari Clericis, præterquam peregrinantibus, ſolitáſque eas litteras teſtimoniales, ſimiliter probitatem, & integritatem morum ordinati commendare, ac proinde recens ſcribi ſolere: quia quandiu in propria Eccleſia manebat, & in propria diœceſi, non cenſebatur indigere Epiſcopi teſtimonio, quo ipſius gradus Sacerdotalis probaretur; è contra verò ex Concilij Mileuitani 2. c. 4. Africani c. 57. & Hincmari decreto in Concilio apud ſanctum Medardum patet in Occidente ſtatim poſt ordinationem, litteras teſtimoniales ordinatos ab Ordinatoribus ſuis accipere conſueuiſſe.

Vtut ſit neceſſitas ſaltem in peregrinis, & ignotis habendarum litterarum teſtimonialium Ordinis ſuſcepti, confirmari poteſt ex iis, quæ inferiùs adjungemus. Nam Concilium Sueſſionenſe ignotos ideo Epiſcopos, & Preſbyteros ad miniſterium, ſine probatione, non admittendos ſtatuit c. 5. & Concilium Romanum ſub Zacharia Papa actione 1. 2. & 3. falſum Sacerdotem Aldebertum, & alios falſos Sacerdotes nominat, eoſdémque hæreticos, & ſchiſmaticos, Epiſcopos Pſeudoepiſcopos, item alios variis epiſt. Bonifacius ad Zachariam, quorum quia conſecrationes incertæ erant, ideo & incertæ factæ ab ipſis Ordinationes. Nec omitti debet quod Aquiſgranenſe Concilium 2. ſub Ludouico Pio c. 23. & 24. ſtatuit periculum eſſe, *ne Clerici qui de Parochiis venientes, in Palatio morantur, vel metu perpetrati criminis fugiunt, vel eorum aliquis, licèt non ſit ordinatus, ipſe tamen abſque litteris ordinatum ſe atteſtetur:* quo canone duo continentur, & conſuetudo litterarum teſtimonialium habendarum, & mendacium circa Ordines ſuſceptos non fuiſſe inuſitatum. Nec minùs de Monachis poſtulandum eſſe ſubdit, vt & ipſi *in publicis locis ſine ratione decenti diſcurrere prohibeatur* &c. Plura etiam collige ex Bochello lib. 6. decretorum Eccleſiæ Gallicanæ tit. 11. in Concilio prouinciali apud Cognacum an 1238. decerni, *vt nemo poſt hac aliena diœceſis ad celebrandum diuina in ſacris Ordinibus recipiatur, niſi ſui Ordinatoris, vel ſucceſſoris ejus litteras omni*

ſuſpicione

Digitized by Google

ſuſpicione carentes oſtendat, ſuſcepti Ordinis mentionem expreſſam, & cauſam peregrinationis idoneam continentes; alioquin, tam recipiens, quàm receptus, Superioris arbitrio puniatur. Inter alias rationes hanc aſſignat, *Nouimus & alios quoſdam mentientes ſe promotos, cùm non ſint; cùm falſis quandoque litteris ab indiſcretis Eccleſiarum Prælatis admittantur.* Similiter in Synodo Andegauenſi an. 1270. querimonia eſt contra Quæſtores multas falſitates committentes, non ſolùm circa litteras Epiſcoporum, ſed etiam circa indulgentias Summi Pontificis; quæ querimonia perſeuerauit in Synodo Andegauenſi an. 1577. ſed magis appoſitè ad propoſitum querimonia alius Andegauenſis Synodi an. 1293. *Quia*, inquit, *plerumque aliqui ignoti, alienigenæ, Presbyteros ſe dicentes, extra partes ſuas ad partes longinquas ſe transferunt, qui in partibus ſuis grauia, & enormia perpetrarunt, & qui aliquando Presbyteri non ſunt, vel qui ſunt alicui Religioni adſtricti, vel aliàs inhabiles, aut irregulares exiſtunt; juxta antiquorum Patrum ſtatuta ſtatuimus, & ordinamus, quòd de cetero alienigenæ, & incogniti non admittantur, vel recipiantur à quocumque, quovſque à nobis mediantibus litteris commendatitiis ſuper promotione, eorum vita, & moribus confectis, fuerint approbati.*

Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. De reform. cap. 16. *Nullus*, inquit, *Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Ordinarij litteris, ab vllo Epiſcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur.*

Synodus Senonenſis an. 1524. *Nullus ab alio, quàm nobis, aut de mandato, & permiſsione noſtra, vel mediantibus litteris noſtris dimiſſoriis, ad Presbyteratum ſe promotum dicens, in hac noſtra diœceſi Miſſas, aut alia diuina Officia Sacerdotalia celebrare permittatur, niſi nobis, aut Vicariis noſtris litteras ſuæ promotionis exhibuerit, & permiſsionem celebrandi obtinuerit. Et qui alienæ fuerit diœceſis, dictam permiſsionem non obtinebit, niſi cum præmiſsis litteris ſuæ promotionis, litteras commendatitias authenticas ſui Diœceſani oſtendat* &c.

Synodus Turonenſis prouincialis an. 1583. *Omnibus etiam Epiſcopis, Prælatis, Capitulis, Monaſteriis, Conuentibus, ac Parœcialium Eccleſiarum Rectoribus vetamus, ne dictos Clericos*

Digitized by Google

à ſuis Paræciis recedentes, recipiant, vel ad ſacra peragenda admittant, abſque litteris teſtimonialibus, probato ſigillo firmatis, ac diligenti ſuper eorum vita, & moribus inquiſitione; niſi etiam legitimè docuerint de ſua ad Ordines promotione, per Ordinarium loci approbata, Hæc omnia habes apud Bochellum tit. citato. Ex quibus non tantùm litterarum teſtimonialium Ordinis ſuſcepti à Regularibus habendarum, innoteſcit neceſſitas: verùm etiam pœnas decerni conſtat in eos, qui litteras iſtas teſtimoniales, & obedientiam Superioris non habeant, ſcripto conſignatam. Priuantur enim facultate celebrandi Miſſam, prædicandi, confeſſiones audiendi, quemadmodum articulo præſenti ſtatuitur.

In quo etiam præſcribitur, vt in litteris illis teſtimonialibus ſuſcepti Ordinis, non ſolùm nomine, quo in Ordine ſuo vocantur; verùm etiam & nomine, & cognomine, quibus antè in ſeculo nuncupabantur, ſignificentur: nimirum, vt agnoſci poſſint pro ordinatis, ſi ad Epiſcopalem ſtatum perueniant; ſi in alium Religionis ordinem migrent; ſi ab Ordine ſuo expellantur, vel deficiant; ſi in terris infidelium, vel hæreticorum morentur, & nomine religioſo vocari noluerint. Intereſt enim ordinatum propriis quibuſdam characteribus ita indicari, vt litteræ teſtimoniales ei vſui eſſe poſſint. Accidere poteſt & alius caſus: Puta, fieri poteſt vt aliquis ante ſuſceptum Religionis habitum, Tonſura, vel minoribus Ordinibus, aut etiam quibuſdam ſacris initiatus ſit, & poſt hæc alios aſſumat; tunc ergo vt ſeries Ordinationis legitimè decurſa, nec per ſaltum promotus Regularis appareat, conſentaneum eſt, vt iiſdem ſemper nominibus deſignetur.

ARTICVLVS XVIII.

CVM experimento notum ſit Regulares plurimos è domibus, & ſocietatibus Religioſorum, poſt ſuſceptos ordines ſub titulo Communitatis, & religioſæ paupertatis, ejici; qui proinde de Mo-

Digitized by Google

naſteriis egredientes remanent abſque titulo, pauperes, & indigentes, in deſpectum, & opprobrium Eccleſiæ: quod quidem directè Canonicis Decretis repugnat. Vt huic malo occurratur, curabunt Epiſcopi, ne qui Regulares ad ſacros Ordines admittantur antè, quin domus, ex quibus erant, obſtringant ſe ad ipſos retinendos, vel ſaltem alendos, fouendóſque, quacunque de cauſa, vel prætextu exeant. Si autem domus nullis adhuc inſtructa ſit reditibus, conueniant Epiſcopus, & Regulares, ne vllus ab ea domo, vel Congregatione expelli poſſit, niſi Epiſcopi conſilio, vel Vicarij ejus generalis.

Commentarius ad Articulum decimum-octauum.

HIc Articulus ſpectat præſertim Patres Societatis IESV. Quamuis enim plurimi Regulares putent ſe ad incorrigibiles, & pertinaces in ſuis Ordinibus retinendos minimè obligari; tamen vix aliquando Preſbyteros, alióſue ſacro Ordine initiatos ejiciunt; ſed carceribus, & ſtrictiori cuſtodia, aliiſque pœnis reprimunt, & coercent. Quæ ratio diſciplinæ apud Patres Ieſuitas locum non habet: ſed qui quartum votum non emiſerunt, lubentiùs, tanquam ſolutos, dimittunt; qui verò ad quartum iſtud votum progreſſi ſunt, minùs quidem libenter, ſed tamen aliquando expellunt.

Benedictus Anianæ Abbas, auctor Concordantiæ Regularum cap. 37. plurima colligit ex diuerſis Regulis, quibus incorrigibiles, qui ſæpius correcti ſe non emendauerint, à Monaſterio ejicere liceat: ídque ſanè vſitatum ſcribit ſanctus Auguſtinus cap. 23. ſuæ Regulæ, ſanctus Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 318. ſanctus Fructuoſus apud Caniſium tomo 5. antiquarum lectionum, & §. 1. citati capitis Concordantiæ: alter Fructuoſus cap. 8. Macarius in ſua Regula §. 2. & 3. di-

Digitized by Google

ĉti capitis Concordantiæ, Iſidorus Hiſpalenſis §. 4. ibidem; Baſilius §. 5. 6. & 7. ejuſdem Regulæ Orientalis §. 10. Regulæ cujuſdam incerti §. 12. & 13. Ex quibus quidem habentur plura apud Smaragdum. Idémque de Lirinenſibus Monachis refert Euſebius Gallicanus, qui creditur eſſe Eucherius Lugdunenſis, vel Hilarius Arelatenſis homil. 3. ad Monachos; ſolúſque videtur obſiſtere Iſidorus Hiſpalenſis cap. 16. ſuæ Regulæ; *Quamuis*, inquit, *frequentium, grauiſſimorúmque vitiorum voragini ſit quiſque immerſus, non eſt tamen à Monaſterio proijciendus, ſed juxta qualitatem delicti coercendus eſt, ne fortè, qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari, dum proijcitur, ore diaboli deuoretur.*

Nihilominus neque Presbyterum, neque Diaconum ſine conſenſu Epiſcopi ejici poſſe, Regula eſt ſancti Benedicti, vt refertur cap. 69. prædictæ Concordantiæ Regularum §. 1. vbi de Presbytero Monacho, & Diacono: *Regulam*, inquit, *à Decanis, vel Præpoſitis conſtitutam ſibi ſeruare ſciat: quòd ſi aliter præſumpſerit, non Sacerdos, ſed rebellis judicetur, & ſæpe admonitus, ſi non correxerit ſe, etiam Epiſcopus adhibeatur in teſtimonium: quòd ſi nec ſic emendauerit ſe, clareſcentibus culpis, proijciatur de Monaſterio, ſi tamen talis fuerit ejus contumacia, vt ſubdi, aut obedire Regulæ nolit.* Idémque videtur fuiſſe judicium Concilij Arelatenſis 3. in cauſa inter Abbatem Lirinenſem, & Theodorum Epiſcopum Forojulienſem, ſeu, vt probabilius, Antipolitanum, jam Graſſenſem, Ordinarium Monaſterij Lirinenſis, qui dicitur: *Hoc ſibi tantummodo vindicaturus, quod deceſſor ſuus S. Leontius Epiſcopus vindicauerat; id eſt, vt Clerici, atque Altaris Miniſtri à nullo, niſi ab ipſo, vel cui ipſe injunxerit, ordinentur: Chriſma nonniſi ab ipſo ſperetur: Neophyti ſi fuerint, ab eodem confirmentur: peregrini Clerici, abſque ipſius præcepto in communionem, vel ad miniſterium non admittantur. Monaſterij verò omnis laica multitudo ad curam Abbatis pertineat: neque ex ea ſibi Epiſcopus quicquam vindicet, aut aliquem ex illa Clericum, niſi Abbate petente, præſumat; hoc enim & rationis, & Religionis plenum eſt, vt Clerici ad ordinationem Epiſcopi debita ſubjectione reſpiciant; laica verò omnis Monaſterij Congregatio.*

Digitized by Google

ad ſolam, ac liberam Abbatis proprij, quem ſibi ipſa elegerit, ordinationem, diſpoſitionémque pertineat, Regulâ, quæ à Fundatore ipſius Monaſterij dudum conſtituta eſt, in omnibus cuſtoditâ. Idem judicium Friderici Archiepiſcopi Colonienſis epiſt. ad Adelberonem Epiſcopum Leodienſem apud Rupertum lib. 4. in Regulam ſancti Benedicti cap. 2. Vbi enim omnes ſacris Ordinibus initiatos ſub cura eſſe, tum Epiſcopi, tum Abbatis, præmiſit, mox ex citato ſancti Benedicti textu infert: *Neque à ſolo Abbate ſuper Monachum Presbyterum judicium eſſe definiendum, niſi Epiſcopus adhibeatur in teſtimonium, juxta ipſius beati Benedicti inſtitutum ſanum, ac legitimum.*

Certum eſt autem in quibuſdam Monaſteriis, non exemptis, petitum aliquando fuiſſe, ne quis Monachus, ſine Epiſcoporum conſenſu, è Monaſterio ejiceretur. Nota eſt Concilij Meldenſis ſub Sergio IV. Papa, & Carolo Caluo Sententia can. 59. *Vt Monachus de Monaſterio, ſine conſultu, vel præſentia Epiſcopi, aut Vicarij ejus non ejiciatur, cujus diſpoſitione, aut auctoritate, de cetero, vita, & conuerſatio ejecti, ne perditus perpetuò fiat, ſi aliquando ſaluari poteſt, ordinari debet, atque decerni.*

Certum eſt quoque in Monaſteriis non exemptis à poteſtate Epiſcopi, potuiſſe Monachum ejectum à Monaſterio, Epiſcopi juſſu eum innocentem declarantis recipi, & Abbatem ad id exequendum adſtringi. Sic enim, v. g. Arnulfus Epiſcopus Lexouienſis epiſt. 13. ad Abbatem ſancti Ebrulfi, de recipiendo Guillielmo Monacho mandaſſe, minâſque addidiſſe legitur: *Quod ſi*, inquit, *fraternitas tua præſentibus detrectauerit obedire mandatis, ab Altaris officio te noueris, ea, qua tibi præeminemus auctoritate, ſuſpenſum; donec & fratri de injuria, & nobis ſit de contemptu ordine judiciario ſatisfactum.* Sed hic caſus non congruit præſenti inſtituto. Nam hic ſermo eſt de reo, & incorrigibili, quem olim, ſi ſacris initiatus eſſet Ordinibus, ſine Epiſcopi teſtimonio, ejici non potuiſſe è Monaſterio docuimus.

Imo Monaſterium Vadimonium pro Clerico, quem ordinandum petit, ſe conſtituiſſe, ne ejectus egeſtate prematur in opprobrium Eccleſiæ, videtur oſtendere Pius V. Bulla

Digitized by Google

Romanus Pontifex, edita ann. 1568. dum, quod de Clerico ſeculari ſtatuitur à Concilio Tridentino ſeſſ. 21. de reformat. cap. 2. de beneficio, vel patrimonio, aut penſione ſufficientibus in eo exigendis, qui Diuino miniſterio adſcribi volunt, itaut nec beneficium reſignari, nec patrimonium, aut penſio vendi, vel alienari poſſint, niſi aliundè ſuppleantur, id ampliat, & extendit etiam ad Regulares: *Cùm,* inquit, *non deceat diuino miniſterio adſcriptos, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quaſtum exercere; à ſacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps Clericus ſecularis, quamuis aliàs moribus, ſcientia, & ætate eſſet idoneus, ad ſacros Ordines promoueretur, niſi quod ſibi ad victum honeſtè ſufficeret, pacificè poſſideret: vel aliàs ordinari non poſſet, niſi juxta Decreti ab ipſo Concilio deſuper editi, formam, & tenorem. Cùm autem nulla in hujuſmodi Decreto Religioſorum Clericorum mentio facta fuerit: ac propterea nonnulli, vti moleſtè accepimus, certorum Ordinum Religioſi, ſeu Canonici, vel Clerici, intra clauſtra Monaſteriorum, ſeu domorum, ſeu more Regularium, in communi viuentes, qui nunquam, nonniſi ad certum tempus, profeſſionem emittunt, & ex clauſtro exire, vel dimitti, ad ſeculum redire liberè, & licitè poſſunt, Religionis prætextu, titulo ſufficientis beneficij, nec juxta dicti Decreti tenorem ad ſacros Ordines ſe promoueri prætendunt, & à nonnullis Epiſcopis paſſim promoueantur, atque inde plerumque illud inconueniens eueniat, vt ſic promoti, & è clauſtro exeuntes, & per ſeculum vagantes, vel mendicare, vel ſordidum quaſtum exercere, non ſine ipſorum dedecore, ac Ordinis vilipendio, & quamplurimorum Chriſti fidelium ſcandalo, cogantur. Nos igitur, qui ſingulorum Dei Miniſtrorum honorem, & decus, quantum in nobis eſt, ſinceris exoptamus affectibus, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, déque Apoſtolica poteſtatis plenitudine, hac perpetuò valitura ſanctione, Decretum prædictum de Clericis ſecularibus loquens, ad omnes, & ſingulos, etiam cujuſcunque Ordinis Clericos Religioſos, ſiue Seculares, more Religioſorum viuentes in communi, non profeſſos, harum ſerie extendimus, & ampliamus, ac Religioſis, & aliis prædictis non profeſſis, ad ſacros Ordines promoueri; necnon omnibus, & ſingulis venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epi-*

Digitized by Google

ſcopis gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus, Ordines hujuſmodi Religioſis perſonis impendere, niſi obſeruatâ formâ dicti Decreti, nos virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœna, interdicimus, & prohibemus; ac contrafacientes per annum à præſtatione talium Ordinum ipſo jure ſuſpendimus.

Intentum Pij V. eſt, vt quemadmodum Clerici ſeculares non poſſunt ordinari ſine beneficio Eccleſiaſtico, patrimonio, vel penſione certis; ita nec Regulares poſſint. Vt verò certa ſit penſio ſupra Monaſterium conſtituta, ita vt obligetur Communitas ad alendum, fouendúmque Clericum regularem, duo ſunt neceſſaria: Primum, vt Clericus ordinatus profeſſus ſit, quatenus è Monaſterio ſponte egredi non poſſit: Alterum, vt profeſſum Clericum Regularem Communitas ejicere, & emittere nequeat inuitum. Alioquin enim facilè accidet incommodum, quod præcauere vult Pius V. ſcilicet, ne ſordidè viuat Clericus, & mendicare cogatur in opprobrium Cleri. Quare licèt Concilium Mediolan. 2. tit. 1. decreto 23. ad executionem iſtius Bullæ hoc tantùm conſtituat; *Epiſcopus ne Clericum vllum Regularem, neque ſecularem, qui Regularium more in communi vita diſciplina ſit, beneficiúmque Eccleſiaſticum non habeat, Ordinibus ſacris adſcribat, niſi à Superiore fidem ille attulerit, ſe religionis, cui adſcriptus eſt, profeſſionem confeciſſe; juratúſque affirmet, ſcripto manu ſua ſubſignato, coram Epiſcopo ſe id ſponte feciſſe, aut ratum habuiſſe. illud autem ſcriptum in Archiuio aſſeruandum Epiſcopus curet.* Nihilominus poſterius quoque à paritate rationis ex hoc decreto inferendum eſt, ne inuitos Communitates Regulares Clericos ejiciant, niſi ipſis ejectis penſionem, ſeu alimenta tribuant, quod vltimum Sixtus V. in explicatione capitis prædicti Concilij Tridentini declarauit, & Societatis IESV Communitates viginti aureorum nummorum reditum annuum ejectis à ſua Societate dare juſſit. Quæ declaratio edita habetur Turnoni an. 1521. Lugduni poſtea, & Duaci. Habetúrque eadem declaratio DD. Cardinalium in Concilium apud Philibertum Marchinum, *De Sacramento Ordinis*, parte 6. cap. 5. *De Subdiaconatu*, impreſſ. Lugdunenſ. pag. 207.

Digitized by Google

Quoad Ieſuitas, cùm poſt Sacerdotium exire non poſſint, niſi à Superioribus deÿciantur, prouideatur illis, de reditu quadraginta aureorum ex bonis Religionis: quoad alios, qui arbitrio ſuo exire, quando volunt, poſſunt, ne detur illis occaſio exeundi, vt fruantur illo reditu, vocentur priùs, & intelligant quâ alia via proſpici poſsit, deinde maturè deliberandum. Quæ concilientur, ſi poſſint, cum priuilegiis quæ referuntur in compendio priuilegiorum Societatis IESV, lib. *Ordo*, §.1.

Hoc ipſum verò inſuper probatur auctoritate duorum Conciliorum Gallicanorum, primum eſt Rothomagenſe: approbatum à Gregorio XIII. quod titulo de Monaſteriis §.34. hæc habet: *Peruenit ad nos, à quibuſdam Superioribus de Ordinibus Religioſorum, etiam Mendicantium, prætextu ſuæ Regulæ, aut priuilegiorum à Sede Apoſtolica obtentorum, quos etiam Presbyteros, in ſuis Conuentibus judicarunt incorrigibiles, habitu Monachali exui, & ſeculari, ac presbyterali indui, fierique de eorum indulgentia apoſtatas: ipſis denique poteſtatem dari vt in noſtris diœceſibus vagentur Presbyteri ad celebrandam Miſſam, & prædicandum verbum Dei; interea fiunt peiores Clerici, quàm fuerant Monachi, vnde infinita naſcuntur ſcandala. Monemus in Domino Superiores Ordinum, etiam Mendicantium, ne ad Eccleſiæ deſtructionem abutantur indultis Apoſtolicis, aut Regula ſuorum Ordinum, nec ſuos incorrigibiles à ſuis domibus dimittant; ſed in firma cuſtodia detineant, ac potiùs alios, à ſuis Monaſteriis fugitiuos, inueſtigent, ne ſuis Ordinibus, & noſtris Eccleſiis ſcandala præbeant. Si ſecus fecerint, contra ipſos juxta ſanctiones canonicas procedetur. Quiſquis verò, etiam de eorum licentia, vagus Presbyter, & apoſtata inter noſtros deprehenſus, & cognitus fuerit, non permittatur celebrare Miſſam, nec prædicare, ac ne quidem admittatur ad laïcam communionem; ſed cogatur ad clauſtrum redire, aut incarceretur, aut fiat ſicut vnus de apoſtatis.* Alterum eſt Burdegalenſis Prouinciæ, habitum ab Eminentiſſimo Cardinale de Sourdis anno 1624. cap. 6. *De Ordine*, tit. 4. *De Subdiaconis*, cujus decretum his verbis expreſſum eſt: *Regulares autem quicunque ſine litteris Superiorum ſuorum, quibus conſtet eos vota Religionis emiſiſſe, non ordinentur; promoti verò ſi quando*

quando ab hujuſmodi Superioribus, pro criminis exigentia, puniri conueniat, & vrgeat neceſſitas; ne poſsint tamen habitu religionis priuari, ita vt extra Monaſteria in contemptum Eccleſiæ dejiciantur mendicaturi, ſed intra eorumdem Monaſteriorum ſepta detineri, puniri, & ſuſtentari deberet; & ad id prædicti Superiores per Ordinarios compellantur.

Alibi eadem quæſtio à me tractata eſt, nec ſine quorundam offenſione, cùm tamen nihil minùs cogitarem, qui ſincerè dixi quod cenſebam, Epiſcoporum ſecutus ſententiam, quorum auctoritatem reuereor.

ARTICVLVS XIX.

NON poterunt prædicti Religioſi prætextu exemptionis, mandata Epiſcoporum, ad eos ab Epiſcopis directa, ad publicationem ipſorum, rejicere. Dies quoque feſtos in diœceſi obſeruabunt. Officium Sanctorum localium dicent. Proceſſionibus publicis, quæ ipſis indicentur, adſiſtent.

Commentarius ad Articulum decimum-nonum.

HIc Articulus expreſsè continetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 12. de Regularibus, & Monialibus, his verbis: *Cenſuræ, & interdicta, nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſeruentur: dies etiam feſti, quos in diœceſi ſua ſeruandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, ſeruentur.* Hæc autem omnia præcipiuntur Regularibus eandem ob cauſam: ſcilicet propter vnitatem diſciplinæ. Abſurdum enim videtur, vt in eadem ciuitate, eadémque diœceſi conſtitutiones, quæ communiter obſeruantur, eæ ab aliis rejiciantur. Nam vt ait Auguſtinus: *Turpis omnis pars eſt ſuo vni-*

Digitized by Google

uerſo non congruens, lib. 3. confeſſionum cap. 8. citatúrque à Gratiano c. *Quæ contra*, diſtinctione 8. cui congruit Gloſſa verbo *Præfato in Extrauagantem quorundam*. Ioannis XXII. & Gloſſa *finalis* in Canonem *alienus* 24. quæſt. 1. Fauet & alia ratio petita à Concilio Toletano 11. cap. 3. relato à Gratiano. c. *De iis*, diſtinctione 12. *Iuſtum eſt vt inde vnuſquiſque ſumat Regulas magiſterij, vnde honoris conſecrationem accipit, vt juxta majorum decreta, ſedes, quæ vnicuique Sacerdotalis dignitatis eſt mater, ſit Eccleſiaſtica magiſtra rationis.* Ex quibus duo deducit; primum, vt eundem pſallendi modum omnes Prouinciæ teneant, quem Metropolitanam Sedem habere cognouerint; quod videtur etiam ſtatutum in Concilio Bracarenſi 1. c. 19. ſeu c. ſequenti eadem diſtinctione. Alterum, vt *Abbatibus indultis officiis, quæ juxta voluntatem ſui Epiſcopi regulariter illis implenda ſunt, cetera officia publica, ideſt, Veſperas, Matutinum, ſiue Miſſam aliter, quàm in principali Eccleſia celebrare non liceat.*

Ex eodem itaque principio deducitur ad iſtam ſeruandam vnitatem, conſenſum, & conformitatem, neceſſarium Eccleſiæ viſum fuiſſe, vt quamuis ab Epiſcoporum poteſtate in pluribus Monaſteria quædam exempta eſſent, nihilominus non deberent Epiſcopalium mandatorum publicationem rejicere, non interdicta in diœceſi lata contemnere, ad deſtructionem diſciplinæ; non dies feſtos in diœceſi obſeruatos negligere; non officia Feſtorum localium Sanctorum, qui in honore ſunt apud populos, prætermittere; non Proceſſionum ad communes preces faciendas, conuentum renuere, & aſpernari.

Speciatim autem præcipitur Regularibus, vt mandata Epiſcoporum populis promulgent, ſi neceſſarium fuerit, ne conſonantiam populorum cum Epiſcopis ſuis impediant, & ſubordinationem iſtam interuertant; quod vtique iniquiſſimum foret, vt qui opitulatores Epiſcopi inſtituti ſunt, ejuſdem mandata deferre ad populum contemnant.

Quod ad dierum Feſtorum celebrationem attinet, in ea cum populis diœceſeos Regulares concordare debere, Concilium Prouinciale 5. Mediolanenſe tit. *Quæ ad dies Feſtos.*

Digitized by Google

§. *Quos dies*, Conſtitutiones Arretinæ in Synodo habita à Petro Vſimbardio cap. 4. Synodus Nucerina an. 1608. tit. *In quibus viri, & loca Regularia Epiſcopali ſubjaceant juriſdictioni.* § *Cenſuras*, & alia Concilia Gallicana, & Italica demonſtrant.

Sacra Rituum Congregatio, apud Gauantum commentario in rubricas Breuiarij, ſectione 3. cap. 12. decreuit ſæpius *Regulares etiam teneri ad feſtum de Patrono loci, & officium ſolenne, juxta Bullam Gregorij XIII. die 30. Decembris 1573. non tamen teneri ad octauam;* quod nouo Decreto firmatum eſt à ſacra Rituum Congregatione die 27. Martij ann. 1628.

Quod ad Proceſſiones ſpectat, expreſſa eſt ſententia Concilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 13. de obligatione Regularium, vt interſint Proceſſionibus ab Epiſcopo indictis, & de ordine illo ſeruando inter procedendum, quem Epiſcopus etiam de plano ſtatuerit: *Nam*, inquit, *controuerſias omnes de præcedentia, quæ perſæpe cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas, tam ſeculares, quàm regulares, cum in Proceſſionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, in deferenda vmbella, & aliis ſimilibus, Epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcunque, componat; exempti autem omnes, tam Clerici ſeculares, quàm regulares quicunque, etiam Monachi ad publicas Proceſſiones vocati, accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò viuunt.*

Hoc decretum explicant accuratiùs Concilia Prouinciæ Mediolanenſis. Primum, titulo de Proceſſionibus, & ſupplicationibus, his verbis, *ad hujuſmodi Proceſſiones Epiſcopi, cùm eis videbitur, ex Concilio Tridentino vocent Regulares omnes, quamuis exemptos. Si qua controuerſia ſit de priore loco ab Epiſcopo ex auctoritate ejuſdem Concilij, tollatur* &c. Secundum, titulo 2. decreto 7. 8. & 9. Varia circa ordinationem inſtituendarum Proceſſionum infra octauam Corporis CHRISTI, circa Proceſſiones propter Concilium Prouinciale indictum celebrandas, circa ordinem, & modeſtiam in Proceſſionibus ſeruanda decernit. Prouinciale 3. de iis quæ ad diuina Officia pertinent: *Tridentini*, inquit, *Conci-*

Digitized by Google

lij auctoritate Epiſcopus cum Regularibus agat; propoſitis etiam cenſuris, & pœnis, vt tum in vrbe, tum in diœceſi, vbicunque ij Monaſteria habent, vnà cum reliquo Clero ſeculari, Proceſſiones publicas ad Tridentini Concilij præſcriptum, ipſi obeant; iiſque interſint. Prouinciale 4. parte 2. de Proceſſionibus, *Cùm ſupplicationes publicas, ſolennéſque fieri opus erit; primùm earum causâ Proceſſiones agantur; deinde Miſſa ſolenniter celebretur, niſi aliter ob cauſam Epiſcopus aliquando juſſerit. Clerus etiam Regularis, piarúmque confratriarum homines, populus denique omnis cùm ad Eccleſiam, vbi ſupplicandi causâ ſtatio fiat, proceſſerint, inde ordine item redeant ad Eccleſiam, vnde diſceſſerint; vt etiam primo Concilio Prouinciali decretum eſt, niſi Epiſcopi præſcripto in Eccleſia, ad quam ventum eſt, Proceſſio abſoluenda, & dimittenda ſit: túncque inde ad ſuas quique Eccleſias, benedictione Epiſcopali, aut miſſione de more facta, collegiatim, cruce præcedente, abeant, peractis antè ſupplicationum, prout ritus eſt, ſolennibus precibus, atque orationibus.*

Iiſdem veſtigiis inſiſtunt variæ Synodi Italicæ, variáque Decreta diſciplinæ: v. g. generalia Decreta Hieronymi de Federicis, Epiſcopi Laudenſis, Nuncij cum facultate Legati de latere, & Viſitatoris à Gregorio XIII. in toto dominio Ducis Sabaudiæ deputati, in viſitatione edita: quibus docetur titulo de Regularibus parte 4. Regulares cujuſcunque Ordinis, *exceptis iis qui arctiori clauſuræ ſe perpetuò dicauerunt, vel peculiari Sedis Apoſtolicæ priuilegio muniti accedere non tenentur,* (cujuſmodi ſunt Carthuſiani, & Ieſuitæ) non in vrbe ſolùm, ſed in diœceſi etiam, vbi Monaſteria habent, accedere oportere, & judicio Epiſcopi in dirimendis de præcedentia controuerſiis, ſtare debere.

Synodus Cremonenſis 1. ann. 1599. quæ circa Proceſſiones varia alia diſciplinæ capita definit.

Synodus Arretina, quæ cap. 30. de Proceſſionibus, publicas Proceſſiones generales, tum ordinarias, tum extraordinarias, Summi Pontificis, aut Epiſcopi juſſu fieri notat, vocatis etiam Regularibus, & Sodalitatum Confratribus: *Hoc ſemper ſeruato, quod Synodo prouinciali Florentina ſancitur, vt Capitulum cathedralis Eccleſiæ ad locum, vnde diſceſſit,*

Digitized by Google

ab omnibus reducatur, ſub pœnis Epiſcopi arbitrio, imponendis. Et qui hujuſmodi proceſsionibus intereſſe neglexerit; ſeu qui ad præfixam horam, ſeu ſaltem antequam Proceſsio ineatur, non venerit, Clerici ſeculares pœnam vnius aurei, & majorem etiam: Regulares verò, & Sodalitatum Confratres, pœnam quadruplicatam incurrant, aut aliam Epiſcopi arbitrio.

Nucerina ann. 1668. titulo *In quibus viri, & loca Regularia Epiſcopali ſubjaceant juriſdictioni*, §. *Regulares, & Monachi*, idem ſtatuit cum Tridentina. Ferrarienſis ann. 1589. decreto 123. Regulares quoſcunque *ſub pœnis, & cenſuris arbitrio Epiſcopi imponendis, accedere teneri ſtatuit, ſicut Decreto Concilij Tridentini ſtatutum eſt, ac etiam litteris Card. Paleotti, tunc temporis ſacræ Congregationis Cardinalium ſuper Epiſcopis, & Regularibus præfecti, ſub die 2. Iulij 1596.*

Denique Maceratenſis ann. 1651. *Ad Proceſsiones omnes, tam ordinarias, quàm extraordinarias, conueniat*, inquit, *vterque Clerus, tam Secularis, quàm Regularis, & juxta ciuitatis noſtræ morem Confraternitates cum vexillis, & ſaccis* &c. cap. 9. de Proceſſionibus.

Adde Concilium prouinciæ Aquenſis in Gallia ann. 1585. §. *Exempti*, tit. de Proceſſionibus: *Exempti autem omnes, tam Clerici Seculares, quàm Regulares, quicunque etiam Monachi ad publicas Proceſsiones vocati, accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò viuunt.*

Non dubium eſt quin antiquior ſit hæc Conſtitutio Concilio Tridentino, cujus ſit mentio in variis vitis Sanctorum apud Surium. ſit etiam in Synodo Ioannis d'Amboiſe Epiſcopi Lingonenſis ann. 1491. Rege Carolo VIII. apud Bochellum, tit. 18. de Proceſſionibus: *Statuimus, & ordinamus omnibus, & ſingulis Dominis Abbatibus, Abbatiſsis, Prioribus, Prioriſsis, maximè conuentualibus, Capitulis, Collegiis, necnon Curatis, & Rectoribus Eccleſiarum parochialium noſtrarum ciuitatis, & diœceſis, mandamúſque, & iniungimus, quòd de cetero ſinguli primis diebus Dominicis cujuſlibet menſis Proceſsiones generales in ſuis Monaſteriis, Eccleſiis, Collegiis, ac Parochiis ſolenniter faciant, & de cetero continuent pro ſalute, quiete, tranquillitate, & proſperitate Chriſtianiſsimi Domini noſtri Regis, ac Regni ſui* &c.

Digitized by Google

Iuſtinianus Nouella 123. cap. 32. Monachos interfuiſſe Proceſſionibus ſatis videtur oſtendere, dum pœnas aduersùs perturbatores Proceſſionum decernit *Monaſteriorum, & Reuerendiſſimorum Monachorum diſpoſitione*. Imo & Moniales Proceſſionibus interfuiſſe conſtat ex ejuſdem Nouella Conſtitutione 59. cap. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.

Quemadmodum autem Clerici, tam Regulares, quàm Seculares, ad generales Proceſſiones conuenire jubentur; ita abſque Epiſcopi juſſu, eoſdem ſolennes Proceſſiones celebrare vetatur.

Iuſtinianus Nouella 123. cap. 32 *Omnibus laicis interdicimus Litanias facere, ſine ſanctis Epiſcopis, &, qui ſub eis ſunt, reuerendiſſimis Clericis*; ſeu, vt interpretatus eſt Iulianus anteceſſor Conſtitutione 115. cap. 479. *Non liceat laicis Litanias facere ſine Epiſcopo, & Clericis, qui ſub ipſo ſunt.*

Innocentius III. lib. 13. epiſt. 31. Antipolitano Epiſcopo, *vt Abbati, & Monachis Lirinenſibus liceat in Eccleſia memorata celebrare diuina, & exercere cetera Eccleſiaſtica Sacramenta; ita videlicet vt circuitiones cum aqua benedicta, Proceſſiones, & etiam Litanias non faciant abſque Antipolitani Epiſcopi licentia, vel aſſenſu* &c. Et epiſt. 32. Abbati, & Monachis Lirinenſibus, *Proceſſiones, & etiam Litanias non faciatis abſque Antipolitani Epiſcopi* &c. Prædicta quoque Concilia recentiora id jubent. Nam, verbi gratia, Maceratenſis Epiſcopus in Synodo citata cap. 9. num. 12. *Noua*, inquit, *Proceſſiones ſine noſtra licentia à nullo, & nullibi inſtituantur ſub pœna ſcutorum decem.*

Synodus Cremonenſis 1. ann. 1599. tit. de Proceſſionibus quibuſcunque: *Nulla inpoſterum Proceſſiones à Clericis, tum Secularibus, tum Regularibus, aut à Confraternitatibus laicorum fiant, vltra limites ſuæ parochialis Eccleſiæ, pœna quinquaginta aureorum locis piis applicandorum, arbitrio* &c. Idem repetitum in Synodo Cremonenſi 2. titulo de Proceſſionibus: *Ne Regulares, aut Seculares quicunque, quemadmodum in ſuperiori Synodo Decretum eſt, Proceſſiones vllas, vltra limites parochialis Eccleſiæ, quibus ſubſunt, vel aliàs ſubeſſent, ſub eadem pœna quinquaginta aureorum obire audeant.*

Synodus Arretina, §. *Clericis*, cap. 30. *Clericis, tam Secu-*

Digitized by Google

laribus, quàm Regularibus, Parochias non habentibus, & Confratribus Sodalitatum poſthac non liceat Proceſſiones publicas per ciuitatem habere, Vicario generali inconſulto; nec minùs illis, qui Parochias habent, liceat per alienam Parochiam proceſſionaliter pertranſire, niſi ſaltem à proprio Parocho facultatem impetrent; in diœceſi verò eas abſque eadem Parochiali licentia agere, omnibus ſit pœnitus interdictum.

Synodus prouincialis Aquenſis, tit. de Proceſſionibus: *Regularibus ſub excommunicationis pœna interdicitur, ne Proceſſiones ſolennes, & publicas ipſi ſoli in ciuitatibus, aut oppidis inſignioribus obeant, abſque facultate in ſcriptis ab Epiſcopo impetrata, ac etiam Capituli, vbi id ex conſuetudine ſeruatur, ſed cum aliqua ex cauſa Proceſſionem illos obire neceſſe eſt, eam obire liceat in Eccleſia ſua, vel in ſuo cæmeterio, vel in clauſtro Monaſterij. Terminos autem ſui Monaſterij, nullo modo propria auctoritate, egredi liceat, ſub pœna prædicta.*

ARTICVLVS XX.

OMNES Religioſi, aliíque, qui ſe exemptos jactant, diœceſanum Epiſcopum cum habitu Pontificali, & Archiepiſcopum cum cruce erecta, quoties eis placuerit ad ipſorum vrbes, Monaſteria, & Eccleſias proficiſci, cum debita reuerentia excipiant; poſsíntque ibi Antiſtites diuinum Officium celebrare in habitu Pontificali, concionari, benedictionem dare, ſacrum Confirmationis Sacramentum adminiſtrare, aliáſque Epiſcopales functiones implere, abſque eo quòd vllam declarationem ſcripto dare teneantur, qua notum omnibus faciant non eſſe intentionis ſuæ, hoc facto immunitates, & priuilegia dictarum domuum, aut Religioſorum infringere.

Digitized by Google

Commentarius ad Articulum vigeſimum.

DVOBVS his Articulis 20. & 21. ſequenti, conſulitur reuerentiæ, & honori, quæ à Religioſis exemptis Epiſcopo diœceſano debentur. Quorum quidem articulorum ratio fundamentalis hæc eſt, quia priuilegia, & exemptiones non diſſoluunt jus primæuum, & diuinum, quo religioſi tanquam filij, ratione præſertim ordinationis, Epiſcopis adſtringuntur. Nam certum eſt Epiſcoporum ordinem eſſe generatorem Preſbyterorum, & Miniſtrorum per Ordinationem: ſicut Preſbyterorum Ordo per Baptiſmum generatiuus eſt laïcorum, quos CHRISTO hoc Sacramento regenerat, filios eos conſtituens Patris æterni, hæredes Dei, cohæredes CHRISTI, quemadmodum vtrumque docuit Epiphanius aduersùs Aerianos hæreticos. Quemadmodum igitur filius naturalis à reuerentia, & honore perſoluendis patri naturali eximi nunquam poteſt, quamuis per adoptionem, vel arrogationem in aliorum poteſtatem tranſeat, lege *non putauit*. §. *in adoptionem*. ff. *de bonorum poſſeſſ.* contra tabulas, Lege penultima codice *de adoptionibus*. §. *Sed ea omnia, inſtitutionum, de hæred. ab inteſtato;* Lege *filio quem*, ff. *de liberis, & poſthumis*, & alibi. Atque vt filij emancipati nunquam amittunt reuerentiam Patri debitam, vnde nec aduersùs Patrem experiri poſſunt, niſi venia impetrata, lege *finali*, codice de in jus vocando, & Gloſſa finalis in legem *actiones*. ff. de actionibus, & obligationibus, Lege *ſi filij tui* codice *de donationibus inter virum*, & aliis paſſim: ſimiliter nec Regulares amittunt obligationem, qua tanquam filij, per Ordinationem Epiſcopis obſtringuntur, nec debitum honorificè eos tractandi, & excipiendi, è quorum poteſtate per emancipationem quandam canonicam exierunt, vel in aliam familiam tranſierunt, facti filij ſpeciales Papæ, & membra Eccleſiæ Romanæ. Quod ipſum illuſtrari poteſt exemplo manumiſſionis, quæ non ſoluit obligationem quam habent qui è ſeruitute ad libertatem peruenerunt, vt liberti jam facti reuerentiam patronis exhibeant, operáſque etiam quaſdam reddant, vt habetur innumeris

Digitized by Google

innumeris Iuris Ciuilis locis ; ſimiliter nec exemptio à poteſtate Epiſcoporum videtur ſoluere, & reſcindere obligationem omnem, qua obſtringebantur ante exemptionem, ad reuerentiam Epiſcopis ſuis diœceſanis exhibendam.

Adde alium titulum reuerentiæ, quam Monachi Epiſcopis debent, à quorum poteſtate videntur ſecundùm legem ordinariam, omnino auulſi (quandoquidem eorum Monaſteria nullius diœceſis dicantur) quos tamen conſtat vel Epiſcopis, quorum Eccleſia Cathedralis Monaſterio proximior eſt, nemine refragante, vel aliis à Concilio Prouinciali electis, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, ita ſubdi, vt juridicè ab iis viſitari poſſint, juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reform. cap. 9. *Quæ aliàs*, inquit, *ſub fel. rec. Paulo III. & nuper ſub beatiſſimo domino noſtro Pio IV. in hoc eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiorum, etiam exemptorum, viſitatione, conſtituta ſunt. Eadem etiam in iis Eccleſiis ſecularibus obſeruentur, quæ nullius diœceſis eſſe dicuntur, vt ab Epiſcopo, cujus Cathedralis Eccleſia eſt proximior, ſi id conſtet; alioquin ab eo, qui ſemel in Concilio Prouinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato viſitentur; non obſtantibus priuilegiis, & conſuetudinibus quibuſcunque, etiam immemorabilibus.*

Nihilominus non eſt par ratio Monaſteriorum, quæ nullius ſunt diœceſis, de quibus articulus iſte non loquitur, & illorum, quæ duntaxat exempta ſunt, & in alicujus Epiſcopi ſunt diœceſi. Nam eorum quæ nullius diœceſis ſunt, & Epiſcopalem habent juriſdictionem, eadem ferè ratio eſt, quæ locorum extra diœceſim poſitorum. Quare in iis Monaſteriis timendum eſt, ne poteſtas Epiſcopalis, ſeu quaſi Epiſcopalis violetur, quæ Monaſterio conceditur. Reuereri enim debent ipſi Monachi Epiſcopalis conditionis eminentiam : & cùm Abbati ſubjiciantur tanquam Epiſcopo, & ipſe Preſbyteros faciendi, eo titulo, poteſtatem habeat, quod Epiſcopos, quos libuerit, aduocandi pro Pontificalibus officiis, obtineat facultatem; ideo in iis quidem nullum actum, aut juriſdictionis contentioſæ exercere, aut etiam publicæ juriſdictionis voluntariæ, vtpote extra diœceſim, & Prouinciam

Digitized by Google

conſtitutis Epiſcopi poſſunt, niſi vocati fuerint, aut ea illis permiſſa ſint: tum verò fieri omnia debent honorificè, & ſine imminutione Epiſcopalis dignitatis. Nam ſi, verbi gratia, Epiſcopis concedatur ad Eccleſiam nullius diœceſis procedere, & ſtationem habere; eo ipſo conceditur Miſſam in Pontificalibus publicè celebrare, benedicere, prædicare, quia hæc proceſſioni publicæ accedunt: nec dignitati Epiſcopali debet derogari, ex eo quòd Epiſcopum admiſeris; multò minùs ſi vocaueris, ſi inuitaueris. Non enim potes in dignitate conſtitutum recipere, niſi honorificè. Vnde cautum antiquitùs, vt Epiſcopum in alienam Parochiam aduentantem, Epiſcopus alterius Eccleſiæ honorificè exciperet, Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 58. *Si Epiſcopus, ex Parœcia aduenint, cum Epiſcopo ſedeat, eodem honore ab eo acceptus, rogabíſque eum Epiſcope, vt ſermonem habeat apud populum docendi causâ: eſt enim hortatio, & monitio hoſpitum grata, & mirum in modum vtiliſsima. Siquidem nemo Propheta, inquit Dominus, acceptus in patria ſua. Deinde Epiſcope committes ei, vt offerat Euchariſtiam: ſi verò tanquam ſapiens propter reuerentiam erga te, quò tibi honorem ſeruet, offerre noluerit, coge, vt ſaltem benedicat populo.*

Concilium Carthaginenſe 4. cap. 33. (refertur 7. quæſt. 1. c. 38.) Epiſcopum causâ viſitandæ Eccleſiæ alterius Epiſcopi ad Eccleſiam venientem, *& in gradu ſuſcipi, & tam ad verbum faciendum, quàm ad oblationem conſecrandam inuitari*, jubet. *Peregrino Epiſcopo locum ſacrificandi dari*, ſtatuit Arelatenſe 1. c. 20. Quantò magis Monachos gradu inferiores decet Epiſcopum ad ſe aduentantem, & ipſorum Eccleſiam inuiſentem, in gradu ſuo ſuſcipere, permittendo, vt habitum ſuum, ornatúmque Pontificalem gerat: num debent ad verbum quoque faciendum, ac ſacrum peragendum Epiſcopum inuitare, & honore præuenire? nullum ei faceſſentes negotium. Sed nec ipſi Epiſcopi munus vllum præſumant in Monaſteriis nullius diœceſis, niſi rogati, & inuitati, tanquam in ſua diœceſi, peragere, ne aliena potiùs videantur rapere, quàm oblata admittere. Nam antiqui canones integra nona cauſa quæſt. 2. extra terminos diœceſis

Digitized by Google

officium vllum præſumere Epiſcopis vetant: Monaſteria autem quæ nullius diœceſis ſunt, ſunt extra terminos proprios, ſunt extra fines diœceſeos, ac proinde in iis nihil Epiſcopo tentare licet, nihil proprij officij moliri. Id confirmat Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. de reform. cap. 5. *Nulli Epiſcopo liceat cujuſuis priuilegij prætextu, Pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm: ſi ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi.* Quod vtique Decretum Pontificalia exercentes in alterius territorio plectit: cujuſmodi eſt Monaſterium nullius diœceſis; quamuis pluribus auctoribus videatur nudum vſum Pontificalium, niſi cum aliquo exercitio ſacri Ordinis conjungatur, non videri hanc pœnam promereri: qua de re obiter tantùm lectorem moneri velim. Idem quoque Concilium Trident. ſeſſ. 14. de reform. cap. 4. Neminem viſitari, puniri, corrigi poſſe declarat, niſi ab Epiſcopo *in Eccleſia ſua reſidente.* At nec Monaſterium quod nullius eſt diœceſis, nec Eccleſia Monaſterij, Epiſcopi Eccleſia dici poteſt: ergo prædicti actus juriſdictionis non poſſunt ab Epiſcopo in dictis Monaſteriis, vel Eccleſiis fieri. Quamobrem vt ob reuerentiam dignitatis Epiſcopalis, aliáſque rationes prædictas, quid Monachi etiam Monaſterij nullius diœceſis, Epiſcopo debeant, oſtendimus; ita quid in iis Epiſcopi præſumere non debeant, veritatis ſtudio ducti, attulimus. Aſſimilantur enim hæc Monaſteria hominibus qui libertini generis cùm fuerint, dignitate ſua libertinæ familiæ ignominiam eluerunt: qui nec ad operas, nec vllo ſubjectionis cujuſquam, etiam reuerentialis, onere deinceps erga antiquos, qui fuerant, patronos obſtringuntur. Hæc enim Epiſcopalis, vel quaſi Epiſcopalis dignitas, quam hujuſmodi Monaſteria conſequuta ſunt, Abbatem, & Monachos ab omni deinceps onere eximit.

Iam verò ſi de Monaſteriis exemptis, ſed alicujus diœceſis loquamur. Dicimus Epiſcopo in iis Monaſteriis permiſſa eſſe ea omnia munia, quæ Clementina *Archiepiſcopo*, de priuilegiis, conceduntur: *Archiepiſcopo*, inquit Clemens V. in

Digitized by Google

Concilio Viennenſi, *per quæuis loca exempta ſuæ Prouinciæ facienti tranſitum, aut ad ea forſitan declinanti, vt Crucem ante ſe liberè portare faciat, benedicat populo, diuina Officia priuatim, vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in ſua præſentia, ſine Pontificalibus celebrari, (quouis priuilegio contrario non obſtante) ſacro approbante Concilio, præſentis Conſtitutionis ſerie duximus concedendum. Simili modo concedimus Epiſcopo, vt in locis eiſdem ſuæ diœceſis poſſit populo benedicere, audire diuina Officia, & ea etiam celebrare, & in ſua præſentia facere celebrari. Sic tamen quod prætextu conceſſionis hujuſmodi, in locis ipſis exemptis, vel circa hoc priuilegiatis, nullam aliam juriſdictionem idem Archiepiſcopus, vel Epiſcopus exerceat, nec perſonis exemptis, vel priuilegiatis moleſtiam inferat, vel grauamen, nullúmque exemptioni, vel priuilegiis eorumdem aliud præjudicium generetur, nec ipſis Archiepiſcopo, vel Epiſcopo jus aliud quomodolibet acquiratur.* De Archiepiſcopi auctoritate, vt Crucem per totam Prouinciam gerere poſſit, nihil hìc dicimus, quia alterius videtur eſſe inſtituti hæc quæſtio. Primo itaque loco hìc agendum eſt de facultate Epiſcopo conceſſa, vt etiam in locis exemptis benedicat: & quæ ſuprà dicta ſunt de Epiſcopo, etiam extra diœceſim, ad benedicendum inuitando, ac compellendo in memoriam reuocanda; vtpote cùm à Regularibus præſertim, quantumuis exemptis, quantumuis nullius diœceſis, haud dubiè erga Epiſcopum loci ordinarium obſeruanda ſint: quia ipſi ordine, & gradu inferiores ſunt, Epiſcopus verò ſuperior: at ſecundùm Apoſtolum ad Hebræos 7. *Quod minus eſt à meliore benedicitur.* Vnde ſanctus Ephrem ſermone de timore Dei: *Honora*, inquit, *Sacerdotem, atque Presbyteros, vt in te benedictio oris ipſorum perueniat,* & ſermone de Sacerdotio, *honora Sacerdotem, vt in nouiſſimis benedictionem ab iis accipias. Nam qui Sacerdotem debe[illegible]uerit, neque benedictionem ab eo accipere in nouiſſimis promerebitur.* Et Teleſphorus epiſt. vnica cap. 3. *A quibus ſe Domini populus benedici, ſaluari, & inſtrui cupit, nullatenus debet eos arguere;* de Epiſcopis loquitur, vt leges tum apud ipſum Teleſphorum, tum apud Gratianum 6. quæſt. 1. c. *Sacerdotes.* Et ſanè an-

Digitized by Google

tiquitùs vſitatum, vt ad Epiſcopos extra diœceſim populi pro habenda benedictione concurrerent : vt de ſeipſo teſtatur Theodoretus Religioſæ hiſtoriæ cap. 26. *in Simeone Stylita*. Et de Leuntio Tripolis Lydiæ Epiſcopo, paciſcente cum Euſebia Conſtantij Imperatoris vxore, eâ conditione, ſe ad eam, cùm ipſe Conſtantinopoli verſaretur, acceſſurum ſi ſibi aduentanti benedictionem petitura caput manibus ſupponeret, teſtatur Suidas in Leuntio. Item de Epiſcopis Ioanne Cæſareæ Epiſcopo, & Porphyrio Gazenſi, refert Marcus Gazenſis Diaconus apud Baronium ad annum 41. & Surius tom. 1. ſcilicet Eudoxiam Imperatricem, eos poſtquam benedictionem poſtulaſſet, ex more vſitato ſalutaturos, recepiſſe. Item diſces ex Clementina citata, Epiſcopos in locis exemptis poſſe jubere ſibi Miſſæ ſacrificium celebrari, vel ipſos celebrare, etiam in habitu Pontificali; nec hocce tempore ea de re vlla difficultas eſt, tum quòd Concilium generale Viennenſe id apertè Epiſcopis conceſſerit; tum quòd nulla legatur Bulla, qua ipſis hæc prærogatiua adempta ſit; *Et ſi per occupationem forſitan emanaſſet, nollet tamen Summus Pontifex per hoc derogari Concilio ſupradicto*, quemadmodum reſcripſit Honorius III. *Epiſcopo Venetenſi, de Capellis Monachorum* cap. *ex parte*. Tum quòd vſu quotidiano id receptum ſit: niſi fortè apud eos qui ſtrictiorem clauſuram vouent, & obſeruant, cujuſmodi ſunt Carthuſiani : apud quos vix vlla Miſſa Pontificalis ab Epiſcopis celebratur in interiori eorum Eccleſia, quæ à feminis nunquam aditur, niſi fortè inuitati fuerint. Tum quòd paſſim Preſbyteros Monachi ad ſacrificandum admittant, & quidem auctore Epiſcopo loci, ſine cujus licentia ex dictis ſuprà ſuo loco, neminem ad ſacrificandum apud ſe poſſunt, quantumuis exempti, recipere; abſurdum autem eſſet, ſi aliena licentia ad Miſſæ ſacrificium celebrandum indigeret in aliqua Eccleſia is, cujus licentiâ, atque auctoritate, alij in eadem ad ſacrificandum indigent. Tum quòd Epiſcopi quoque poteſtas, etiam in locis exemptis, quoad Miſſæ ſacrificium ſemper effulſerit, dum nonniſi in loco conſecrato ab Epiſcopo loci, & in altari ab eodem quoque conſecrato Miſſam cuiquam celebrare licuerit.

Digitized by Google

Quamobrem dum antiquitùs Epiſcopis vetitum fuit paſſim celebrare in Monaſteriis, non Epiſcopis poteſtas aliqua adempta eſt, nec exemptionis ipſorum Monaſteriorum habita ratio, ſed diſciplinæ; quia tunc temporis, vt ſuperiùs eſt oſtenſum, Monaſteria populis erant inacceſſa ad ſacros Conuentus, ne Monachorum quies turbaretur, & conſcientiæ eorum, qui turbas hominum, & mulierum aſpectus fugerant, tentatione vincerentur: ac ne in popularibus conuentibus in ipſorum Monaſteriis occurrentibus, inſidiis, quas tam cautè euitarant, aliquatenus paterent. Hæc ratio redditur à ſancto Gregorio lib. 4. regeſti. epiſt. 41. Luminoſo Abbati, & 43. Caſtorio Ariminenſi Epiſcopo, & in Concilio Lateranenſi ſub eodem Gregorio, cujus magna pars refertur lib. 7. epiſt. 18. Mariniano Epiſcopo Rauen. verba ipſa proferimus ex epiſtola ad Caſtorium. *Miſſas quoque publicas in Cænobiis fieri omnimodo prohibemus, ne in ſeruorum Dei receſſibus popularibus occaſio præbeatur vlla conuentibus, & ſimpliciores ex hoc animas plerumque, quod abſit, in ſcandalum trahat, frequentior quoque introitus mulieribus arceatur* &c. In iis tamen locis nullum priuilegium refertur immunitatis à coercitione Epiſcoporum; quinimo epiſt. 41. ad Luminoſum: *Illa Epiſcopo juriſdictio relinquitur, vt in defuncti Abbatis locum, alium, quem dignum communis conſenſus Congregationis elegerit, debeat ordinare.* Et in Concilio Lateranenſi citato aperta juriſdictionis Epiſcopi in Monachos fit mentio, qua coerceri poſſint. *Interdicente quoque Sedis Apoſtolicæ decreto*, refert Iuo epiſt. 108. *non potuiſſe Turonenſem Archiepiſcopum in majori Monaſterio publicas Miſſas celebrare.* Decretum autem Gregorij VII. fuiſſe, libellus manuſcriptus citatus à Iureto ad epiſtolam iſtam, aſſerit: cujus cauſa hæc fuerit *ſeruorum Dei inquietudo*: ad quam euitandam nulla publica ſtatio apud eos haberi permitteretur. Similiter Paſchalis II. anno 1103. Abbatiæ Verzeliacenſi conceſſit, *vt ipſius diœceſis Epiſcopo* (Nota Monaſterium Epiſcopum diœceſanum pro Ordinario admiſiſſe) *niſi ab Abbate ipſius Monaſterij inuitatus fuerit, ſtationes agere publicas, aut ſolennes, Miſſas celebrare in eodem Monaſterio non liceat.* Et in priuile-

Digitized by Google

gio Monaſterij S. Germani Pariſienſis anno 1107. ſi tamen verum priuilegium ſit, hæc leguntur : *Miſſas itaque, ordinationes, ſtationes ab omni Epiſcopo, vel Clero Pariſienſis Eccleſiæ in eodem Monaſterio, præter voluntatem Abbæ Congregationis fieri prohibemus.* Denique Innocentius III. lib. 2. Epiſt. 18. Monaſterio Karrofenſi, cujus Abbas ea epiſtola dicitur à diœceſano Epiſcopo benedicendus, & Sacerdotes in Parochiis, ab eodem præſentandi dicuntur, inſtituendi, & ipſi parituri, tribuit : *Ne diœceſis ipſius Epiſcopus, niſi ab Abbate inuitatus fuerit, in eodem Monaſterio Miſſas publicas, aut conſecrationes, vel ordinationes quaſlibet agat; neque ſanctiones indicat* &c.

Nec mirum id cautum fuiſſe propter abuſus varios, qui ex comitatu Epiſcopi aliquando ſequebantur. Nam in eodem exemplari antiquo habetur teſtimonium Arnulfi Archiepiſcopi Turonenſis, in quo refertur ex more ſolitum fuiſſe Paſchalis ſolennitatis die 2. ad majus Monaſterium, quod ſibi officij erat, acturum Epiſcopum procedere ſolitum, ſed tam ex Clericali, quàm ex laïco ordine plurimos, qui cum Epiſcopo ſe ſanctæ celebritatis gratiâ venire ſimulabant, Miſſæ celebratione relictâ, clauſtra Cœnobij violenter irrumpere, ſecretúmque Monachorum, abſque Dei reuerentia, violare, epuláſque ſibi in locis diuino cultui ordinatis exhiberi fronte pudoris neſcia, exegiſſe; qua occaſione ſacrilegia, ac penè homicidia fierent: quod de cetero fieri prohibuit Arnulfus : *Quatenus*, inquit, *aduentus noſter ad ſancta loca potiùs dici poſſit paterna viſitatio, quàm tyrannica deprædatio, vel hoſtilis incurſio* &c. Quæ verba oſtendunt populares conuentus in Monaſteriis, & ſtationes publicas, Monachorum quietem plurimùm turbaſſe, neque tamen exinde omnino impeditas Epiſcoporum proceſſiones ad Monaſteria conſuetas, ſed modum eis adhibitum, vt ſpiritali cibo daretur locus, non inhoneſtis comeſſationibus. Propter hanc pariter cauſam Gregorius Magnus lib. 6. indictione 15. epiſt. 12. Reſpectæ Abbatiſſæ Maſſilienſi præſcribit, *Vt die natalis, vel dedicationis Monaſterij illic Miſſarum conueniat ſolennia celebrare Epiſcopo,*

Digitized by Google

à quo tamen ita eſt hoc officium celebrandum, vt cathedra ejus, niſi prædictis diebus, dum illic Miſſarum ſolennia celebrat, non ponatur, quo diſcedente, ſimiliter cathedra illius de eodem Oratorio auferatur: ceteris verò diebus per Presbyterum, qui ab eodem Epiſcopo fuerit deputatus, Miſſarum ſolennia peragantur. Dum audis Preſbyterum ab Epiſcopo deputatum, Miſſarum ſolennia apud Moniales celebrare, Epiſcopi in eo Monaſterio poteſtatem agnoſce: cui tamen Canones prohibeant propter Monaſteriorum diſciplinam, & Monialium quietem Miſſas publicas pro libito celebrare; non quòd non poſſit, ſed quòd non debeat. Denique eadem ratio mouit ſanctos Epiſcopos priuilegia Monaſteriis concedentes, vt ad normam priuilegiorum Monaſteriis Lirinenſi, Agonenſi, Luxouienſi, & aliis conceſſorum, iſtud concederent, quod habetur apud Marculfum lib. 1. Formularum cap. 1. vt *niſi rogatus à Congregatione illa, vel Abbate pro oratione lucranda, nulli Epiſcoporum liceat Monaſterij adire ſecreta, aut finium ingredi ſepta: & ſi ab eis illuc Pontifex poſtulatus, pro lucranda oratione, vel eorum vtilitate, acceſſerit, celebrato, ac peracto diuino myſterio, ſimplici, ac ſobriâ benedictione perceptâ, abſque vllo requiſitu domo ſtudeat habere regreſſum, vt quatenus Monachi, qui ſolitarij nuncupantur, de perfecta quiete valeant, duce Domino, per tempora exultare* &c.

Verùm vbi Monachi omnibus patentes Eccleſias conſtruxerunt, amplas, & magnificas, popularis conuentus capaciſſimas, eóſque conuentus expetere, ambire, ac procurare viſi ſunt, non ampliùs hæc ratio retinuit Epiſcopos, quin in publicis iſtis Monaſteriorum Eccleſiis ſtationes, Conuentus, miſſáſque Pontificales celebrarent; præſertim verò in Eccleſiis Mendicantium, quæ cùm ad prædicationes, confeſſiones, aliáſque functiones ſacras populis pateant, eóſque ipſi inuitent, nec quieti ex ſtatu ſuo, addictos ſe profiteantur, aut ſolitarios; ideo viſa non eſt turbari ipſorum quies, ſi Epiſcopus illorum adiret Eccleſias, & in eis Miſſam Pontificalem, aliáque Pontificalia munia exerceret, quæ nunquam eis in Monaſteriis prohibita ſunt, defectu ſacræ in eis poteſtatis, ſed intuitu duntaxat Monaſticæ quietis. Hinc Clementinâ

mentinâ Conſtitutione prædictâ, Epiſcopo in Monaſteriorum, quantumuis exemptorum, Eccleſiis populo benedicere, audire diuina Officia, & ea etiam celebrare in Pontificalibus, & in ſua præſentia facere celebrari, liberè conceſſum eſt, ſoláque juriſdictionis amplior functio cum grauamine, vel moleſtiâ interdicta videtur; non autem juriſdictionis voluntariæ vſus, vltimis verbis, *Si tamen* &c. ſuperiùs in fine Conſtitutionis adhibitis.

Quare, vſu præſertim accedente, videntur etiam Ordinationes in hujuſmodi locis exemptis, Epiſcopis permiſſæ, licèt veteri jure nequaquam concederentur, propter Monaſteriorum quietem; quam pariter commendat, & turbari vetat Synodus Anglica, cui præſidebat Archiepiſcopus Theodorus, apud Bedam lib. 4. hiſtoriæ Gentis Anglorum, cap. 5. Vnde ſanctus Germanus Epiſcopus Pariſienſis in priuilegio Monaſterij, quod ab ipſo poſtea nomen habuit: *Sancimus*, inquit, *vt nullus Metropolitanus, aut aliquis Suffraganeus ejus, causâ alicujus Ordinationis illuc ingredi præſumat, niſi ſolummodò ab Abbate loci inuitatus venerit ad Sanctitatis miniſterium celebrandum, aut ad Eccleſias conſecrandas, aut ad benedictiones Clericorum, vel Monachorum inſtituendas: quod debitum renuere nullatenus debet.* Et Alexander II. in diplomate anni 1062. dato Hugoni Cluniacenſi Abbati, in Bibliotheca Ordinis, ſimiliter ſtatuit, *Vt nullus Epiſcopus, ſeu quilibet Sacerdotum, pro aliqua Ordinatione, ſiue conſecratione Eccleſiæ, Presbyterorum, vel Diaconorum, niſi ab Abbate loci ejuſdem inuitatus, venire ad agendum præſumat.* Quibus conſentanea ſunt alia priuilegia ſuprà. Sed rerum mutatâ facie, nihil video quod obſtet, quominus Epiſcopi pariter Ordinationes in locis exemptis faciant: præſertim cùm Pontificale Romanum, Epiſcopo extra Cathedralem Eccleſiam Ordines celebrante, locum digniorem eligi ad Ordinationem celebrandam, præſcribat; conformiter ſcilicet Concilio Tridentino cap. 8. de reform. ſeſſ. 23. ſtatuenti *Ordinationes ſacrorum Ordinum in Cathedrali Eccleſia, vocatis, præſentibúſque ad id Eccleſiæ Canonicis, publicè celebrari. Si autem in alio diœceſis loco, præſente Clero loci, digniorem, quantum fieri poterit, Eccleſiam ſemper adiri:*

Digitized by Google

At Monaſteriorum Eccleſiæ, vt plurimum, digniores ſunt, propter amplitudinem loci, ornatum, frequentiam hominum, reliquiarum multitudinem, Patronatum etiam Eccleſiarum quarundam, aliáue id genus, propter quæ ad Ordinationem expedit aliquando Epiſcopum eligere Monaſterium, tanquam locum aptiorem, magíſque idoneum: nec vlla jam ratio ſuppetit, ob quam ipſi renuant Monachi.

Scio Conſtitutionem Innocentij VIII. cap. *Cùm Epiſcopus, de officio Ordinarij*, in 6. in qua hæc habentur. *Dubium non exiſtit, quin in quolibet loco ipſius diœceſis, non exempto, per ſe, vel per alium poſsit pro tribunali ſedere; cauſas ad Eccleſiaſticum Forum ſpectantes audire; perſonas Eccleſiaſticas (cùm earum exceſſus exegerint) capere, ac carceri deputare; necnon & cetera, quæ ad ipſius ſpectant officium, liberè exercere.* Verùm totum hoc caput de cauſis ad forum contentioſum deductis verba facit; quas in locis exemptis agitari prohibet; aut perſonas Eccleſiaſticas capi, vel carceri deputari, vel alia juriſdictionis officia exerceri interdicit; non autem videtur eſſe ſermo de celebrationibus Ordinum, virginúmque conſecrationibus, & iis ſimilibus Epiſcopi officiis, ad juriſdictionem voluntariam ſpectantibus, quæ licèt ſecundùm gloſſam in prædictum caput verbo *Officium* liberè in Eccleſiis quibuſlibet non exemptis, exerceri adnotentur; non tamen in exemptis interdicuntur, nec quoad hæc officia locus exemptus æquiparatur loco alienæ diœceſis, ſed tantùm in iis, quæ ſunt juriſdictionis, & fori contentioſi. Quamobrem, etiam in iis, quorum Clementina Conſtitutio non meminit, ſacra Congregatio Cardinalium alia juris Epiſcoporum eſſe declarauit: v. g. referente Barboſa juris Eccleſiaſtici vniuerſi, lib. 1. cap. 13. num. 6. ſacra iſta Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum & Regularium Præpoſitorum, cenſuit die 17. Ianuarij ann. 1584. *Epiſcopum poſſe prædicare in omnibus Eccleſiis, etiam Regularium ſuæ diœceſis, nec ab aliquo impediri poſſe, quominus prædicet, ſi voluerit.*

Eadem Congregatio apud eundem Auctorem de officio, & poteſtate Epiſcopi, parte 3. allegatione 80. num. 14. *Facto*

Digitized by Google

verbo cum S. D. N. Clemente VIII. ac de Sanctitatis ſuæ ſpeciali, & expreſſo mandato, ſtatuit, decreuit, & mandauit, vt de cetero Epiſcopi, vbi tam ex conſuetudine, & priuilegio, quàm ex ſacrorum Canonum conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio jure, Pontificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis, cum mitra, vel etiam ſola Cappa induti, in quibuſuis Regularium, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Monachorum etiam Caſsinentium, Clericorum, Preſbyterorum, & cujuſuis alterius Ordinis, & Religionis, Militiæ, Societatis, aut Congregationis Eccleſiis intereſſe poſſunt, ipſi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant in loco ad ſolium Epiſcopi conſtituendum opportuno, & congruo, baldachinum attollere. Eis etiam id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eiſdem Epiſcopis illud aſportari, & in quacunque eorundem Regularium, aut alia, quantumuis exempta Eccleſia, ſupra Epiſcopale ſolium, ſeu Pontificale faldiſtorium erigi facere, atque ſub eodem ſedere, & ſtare, quemadmodum in propriis, & Cathedralibus eorum Eccleſiis ſtare, & ſedere ſolent: eo tamen duntaxat tempore, quo Pontificales ejuſmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipſe, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui verò Regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, & mandato inobedientes, & contumaces fuerint, ſciant ſe ab eiſdem Epiſcopis, ad id per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, hujus Decreti virtute cogi, & compelli poſſe, aliiſque pœnis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, arbitrio Summi Romani Pontificis, ſubjacere, & obnoxios fore.

ARTICVLVS XXI.

CVM ſolenniter Epiſcopus vrbem aliquam primùm ingreditur, Regulares omnes præter eos, qui perpetuæ clauſuræ addicti ſunt, ſolennibus aderunt ſupplicationibus, & in iis ſibi deſignatum, præſcriptúmque ab Epiſcopo ordinem obſeruabunt, non obſtantibus quibuſcunque appellationi-

bus, vel interceſſionibus. Cùmque idem Epiſcopus ipſorum Monaſteria adire, aut Eccleſias viſitare voluerit, ipſum veſtibus ſacris induti Crucem ferentes, luſtralem aquam, & librum Euangeliorum, honorificè excipient, ac ſupplicantium ritu ad Chorum deducent, benedictionem ab eo recepturi, ipſiúſque dignitati debitum honorem exhibebunt.

Commentarius ad Articulum vigeſimum-primum.

VETVS hæc conſuetudo fuit, vt Epiſcopo vrbem ingredienti, Monachi cum toto Clero ipſum excepturi, proceſſionaliter occurrerent. Theodoretus lib. 4. hiſtoriæ cap. 20. ex epiſtola Petri Alexandrini ſucceſſoris S. Athanaſij, id in more poſitum fuiſſe oſtendit. Etenim Lucio in ipſius locum intruſo ab Arrianis objicit, quòd *Epiſcopatum, non conſenſu Epiſcoporum orthodoxorum in vnum conuenientium, non ſuffragiis verè Clericorum, non poſtulatione populi, vti ſacri Eccleſiæ Canones præſcribunt; ſed pecuniâ, tanquam dignitatem quandam ſecularem emerat*: quæ omnia vitia Ordinationis ejus oſtendunt. Deinde quòd *eum Alexandriam accedentem comitati ſint, non Epiſcopi vlli, non Presbyteri, non Diaconi, non populi multitudo, non Monachi hymnos ex ſacris Litteris depromptos cantantes, ſed Euzoius, qui pridem in ſancto, & celebri Concilio Nicæno, cùm Diaconus eſſet in vrbe Alexandria, vnà cum Arrio abdicatus fuerat, nunc autem Præſul Eccleſiæ Antiochenæ, quam velut peſtis labefactat, & Magnus quidam cum ingenti militum manu* &c. Quæ quidem verba oſtendunt morem tunc temporis receptum fuiſſe, vt non tantùm Epiſcopi aliqui in poſſeſſionem ciuitatis ſuæ, verùm etiam Presbyteri, & ceteri Clerici, atque etiam Monachi hymnos cantantes Epiſcopum exciperent, & ad Eccleſiam deducerent, &, quo poſſent, honore venerarentur: quam excipiendi honorificentiam in regreſſu Athanaſij ad ciuitatem ſuam leges apud Gregorium Nazianzenum oratione 21. in laudem ſancti Athanaſij poſt medium, & in epiſt. Athanaſij ad ſolitariam

vitam agentes pag. 825. & ſequenti. Ad aduentum quoque ſancti Brunonis *factum eſſe concurſum ingentem populi, infinitam trepidationem vulgi, nouis gaudiis exultauiſſe ciuitatem, Clerum ex Monaſteriis conueniſſe, Sanctimoniales concurriſſe, Epiſcopos, cunctis acclamantibus in organis, & cymbalis ſuper Cathedram Pontificalem ſedere feciſſe*, narrat Surius 11. Octobris in vita ſancti Brunonis. Et ne obſoletam iſtam conſuetudinem aliquis dicere audeat, lib. 1. Cæremonialis Epiſcoporum juſſu Clementis VIII. editus cap. 2. mentionem facit proceſſionis, quæ in acceſſu Epiſcopi, vel Archiepiſcopi ad ſuam diœceſim, vel Prouinciam indici debet ad portam vſque ciuitatis, eúmque ad Eccleſiam deducere. Item ſtatuitur, vt *quando Epiſcopus poſt ingreſſum in ciuitatem propriam, voluerit alias ciuitates, vel oppida inſignia ſuæ diœceſis viſitare, conueniens erit, vt prima vice recipiatur cum ſacra Cleri ſecularis, & regularis proceſſione. Ipſe verò erit Mitrâ, & pluuiali indutus, ſed equitabit mulam ornatam Pontificalibus ephippiis, cum cappa, & pileo Pontificali, & offeretur ei in porta Crux oſculanda; & alia omnia fient, etiam in Eccleſia, prout de ciuitate propria, & primaria ſuæ diœceſis dictum fuit.*

Procedentem quoque Epiſcopum ad Monaſteria Regularium, eorúmque Eccleſias inuiſentem, quo ritu olim Monachi exciperent, diſces ex auctore vitæ S. Eugeniæ Virginis, & Martyris, lib. 1. de vitis Patrum Orientis cap. 4. *Mos eſt*, inquit, *apud Ægyptum, quando circumeunt Monaſteria Epiſcopi, pſallentium eos ſequatur exercitus: ſuperuenit idem Helenus Heliopolis Epiſcopus, & cum eo ampliùs, quàm decem millia virorum pſallentium, ac dicentium: Via juſtorum recta facta eſt, & iter Sanctorum præparatum* &c. Apertiùs autem exemplo S. Athanaſij Alexandrini Patriarchæ, ſuperioris Thebaïdæ circumeuntis Eccleſias, & ad Monaſterium Tabennenſe, quod à S. Pachomio Abbate regebatur, accedentis patebit cap. 27. vitæ S. Pachomij eodem lib. 1. *Quod*, inquit, *vbi Pachomius agnouit, ſtatim cum vniuerſis Monachis in ejus properauit occurſum: omnéſque gaudentes, & exultantes, cum Pſalmis, & Hymnis Summum Chriſti ſuſcepere Pontificem: & erat ingens multitudo Fratrum, qui de ejus aduentu lætabantur in Domino* &c. Quem morem pariter

oſtendit Hieronymus epiſt. 62. aduersùs Ioannem Hieroſolymitanum, ad Theophilum Alexandrinum, *ad aduentum, vt reor, tuum non pauet Monachorum turba, ſed gaudet, cùm certatim tibi procedunt obuiam* &c. Nec cauſari poſſunt Regulares exempti, ſe à viſitatione Epiſcopali immunes, quandoquidem etiam Monaſteria exempta viſitare poſſint, & beneficia quæuis, tam curata, quàm non curata, ex Conſtitutione Concilij Tridentini ſeſſ. 7. de reformat. cap. 4. item ſeſſ. 21. de reform. cap. 8. ſeſſ. 24. cap. 9. & alibi.

Quod inſeritur de præſcribendo ordine in hujuſmodi proceſſionibus ab Epiſcopo faciendo, de Epiſcopo deducendo in iiſdem proceſſionibus, ſuperiùs demonſtratum eſt, nec repeti debet. Lege Tridentinum ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 13. Prouinciale 1. Mediolanenſe, & alia de Proceſſionibus, Conſtitutiones Arretinas cap. 4. & Concilium prouinciale Aquenſe, tit. de Proceſſionibus, aliáque paſſim.

ARTICVLVS XXII.

TAM ſanctè, támque prudenter ſtabilita eſt Eccleſiæ Hierarchia, vt Epiſcopi præſertim curæ, & auctoritatis eſſe debeat ipſius, pro virili, ordinem tueri, & fouere. Quapropter declaramus nullum beneficium curatum à juriſdictione Epiſcopi diœceſani immune eſſe, atque omnino liberum, ſiue Ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, ſiue aliarum Congregationum Regularium juris eſſe dicatur, ſiue etiam nullius ſe diœceſis eſſe jactet: quin imo poterunt Epiſcopi iſta beneficia curata viſitare, & Vicarij, aliíque Sacerdotes in prædictis beneficiis commorantes, Epiſcoporum ſententiis parere tenebuntur, à quibus tum ipſi, tum populi intra fines earumdem Parochiarum contenti, corri-

Digitized by Google

gentur, ipſorúmque juriſdictioni, & auctoritati Epiſcoporum ſubjacebunt. Nec poterunt prædictæ Congregationes intra terminos prædictorum beneficiorum curatorum, quamuis exempta ab iis prætendantur, juriſdictionem vllam contentioſam ſibi vindicare, aliis diebus Iubilæum indicere, quàm quibus ab Epiſcopo per ciuitatem, aut diœceſim indictum fuerit; nec indulgentias publicare, aliáſque purè Epiſcopales functiones exercere, abſque licentia Epiſcopi diœceſani; nec Curati hujuſmodi Parochiarum Matrimonium celebrare poterunt, niſi facta ſponſalium promulgatione præcedenti, ab Eccleſia præſcripta, præterquam ex Epiſcopi, vel Vicarij ejus generalis diſpenſatione. Similiter nec quemquam ex alterius Parochia Matrimonio conjungere, ſine licentia Epiſcoporum, & Parochorum contrahentium poterunt.

Commentarius ad Articulum vigeſimum-ſecundum.

DE beneficiis curatis hoc Articulo agitur, ſtatuitúrque vt ab Epiſcopis viſitari poſſint, & corrigi, qui ipſa regunt, quantumcunque ab Ordinibus exemptis dependeant: quod vtique decretum pluribus Concilij Tridentini ſanctionibus continetur. Prima habetur ſeſſ. 7. de reform. cap. 7. quæ eſt de beneficiis curatis, quæ Capitulis, Collegiis, Monaſteriis, Beneficiis quibuſcunque, aut piis locis adnexa prætenduntur: quæ juriſdictioni ordinariorum Epiſcoporum ſubjecta ſic declarantur, *Beneficia Eccleſiaſtica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, Beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcunque perpetuò vnita, & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur: qui ſollicitè prouidere procurent, vt per idoneos Vica-*

Digitized by Google

rios, etiam perpetuos, niſi ipſis Ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis, cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipſorum Ordinariorum, portione, etiam ſuper certa re aſſignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur; appellationibus, priuilegiis, exemptionibus, etiam cum Iudicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuſcunque in præmiſſis minimè ſuffragantibus. Capite verò ſequenti ſtatuit, vt *locorum Ordinarij Eccleſias quaſcunque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis juris remediis prouidere, vt, quæ reparatione indigent, reparentur; & curâ animarum, ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minimè defraudentur, appellationibus, priuilegiis, conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, Iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus excluſis.* Idem ſeſſ. 21. cap. 8. *Quæcunque in diœceſi ad Dei cultum ſpectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, vbi oportet, prouideri æquum eſt. Propterea commendata Monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis obſeruantia; necnon Beneficia tam curata, quàm ſecularia, & regularia, qualitercunque commendata, etiam exempta, ab Epiſcopis, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, annis ſingulis viſitentur.* Præterea idem Concilium in Monaſteriis, in quibus cura animarum perſonarum ſecularium imminet, tam perſonas ſeculares, quàm ipſarum Rectores, ſiue Seculares ſint, ſiue Regulares, Epiſcopo ſubeſſe debere decernit ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 11. *In Monaſteriis, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſecularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ tam regulares, quàm ſeculares, hujuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus diœceſi ſunt ſita: nec ibi aliqui, etiam ad nutum amouibiles, deputentur, niſi de ejuſdem conſenſu, ac præuio examine, per eum, aut ejus Vicarium faciendo, exempto Monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus, & exceptis etiam iis Monaſteriis, ſeu locis, in quibus, Abbates,*

Digitized by Google

Abbates, Generales, aut Capita Ordinum ſedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monaſteriis, ſeu domibus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores juriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent; ſaluo tamen eorum Epiſcoporum jure, qui majorem in prædicta loca, vel perſonas, juriſdictionem exercent. Porro hoc Decretum Concilij Tridentini à Carolo IX. Francorum Rege obſeruandum mandatur, art. 32. edicti Regij anno 1574. admiſſi ad petitionem Cleri Gallicani. Quin etiam ad Eccleſias ſeculares nullius diœceſis, hanc poteſtatem extendit ſeſſ. 24. cap. 9. *Quæ aliàs ſub fel. rec. Paulo III. & nuper ſub beatiſſimo Domino noſtro Pio IV. in hoc eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in Beneficiorum, etiam exemptorum, viſitatione, conſtituta ſunt: eadem etiam in iis Eccleſiis ſecularibus obſeruentur, quæ in nullius diœceſi eſſe dicuntur, vt ab Epiſcopo, cujus cathedralis Eccleſia eſt proximior, ſi id conſtet, alioquin ab eo, qui ſemel in Concilio prouinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato viſitentur: non obſtantibus priuilegiis, & conſuetudinibus quibuſcunque, etiam immemorabilibus.*

Concilia Mediolanenſia ſub ſancto Carolo à Summis Pontificibus approbata, Decretis Concilij Tridentini inſiſtunt, & ad praxim vocant, ſpeciatim verò Concilium 5. Mediol. titulo quæ ad Synodum, congregationem, & viſitationem attinent: *Curatas*, inquit, *Eccleſias, quæ Regularium Monaſteriis, etiam vbi Abbas generalis domicilium, ſedémque Ordinis primariam habet, vnionis jure adnexæ ſunt, Epiſcopus ex Tridentini Concilij Decreto ſeſſ. 7. cap. 8. viſitet.*

Concilium 6. prouinciale, titulo quæ ad viſitationem pertinent: *Eccleſias*, inquit, *præterea Equitum Ordinis Hieroſolymitani Epiſcopus itidem viſitet, vt Summi Pontificis Pij V. Conſtitutio præſcribit.*

Porro Pij V. Conſtitutio habetur in Bulla, *Expoſcit*, edita ann. 1571. die 22. Septembris, qua poſt explicatam controuerſiam inter Epiſcopos, & Ordinis Hieroſolymitani Magiſtrum, ac Fratres, §. 3. eam his verbis dirimit: *Et ne in futurum aliqua ampliùs controuerſia oriri poſſit, decernimus, decla-*

Digitized by Google

ramus, ſtatuimus omnes, & ſingulos locorum Epiſcopos, & alios Superiores, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatos, omnes, & quaſcunque parochiales Eccleſias, ceteráque beneficia Eccleſiaſtica ſuarum ciuitatum, & diœceſeon, quibus animarum cura imminet ad dictam Religionem &c. *pertinentia, etiam ſi in eis Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem Religio, & Milites prædicti haberent, eorúmque Eccleſias, Rectores, Vicarios, & Miniſtros quoſcunque (in iis tamen duntaxat, quæ animarum curam, illiúſque exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt) viſitare, omnéſque actus exercere poſſe, & debere* &c. Exceptiones addit, *vt ſine expenſis Religionis, & honoribus viſitent, vt ab illis viſitationibus abſtineant Epiſcopi, & alij Superiores, qui cum eadem Religione litigant: niſi Epiſcopi in quaſi poſſeſſione antiqua fuerint, nullúmque intereſſe inde prætendant, vt jus exinde non tollatur viſitandi dictas Eccleſias, & beneficia, quod antea Religioni competebat.*

Porro eoſdem Milites S. Ioannis in locis, in quibus deſeruiunt, à ſuis Superioribus, ſed adjuncto Epiſcopo, puniri poſſe ſtatuit Clemens VIII. Conſtit. 37. data die 18. Decembris ann. 1595. Dictus verò Pius V. in fauorem Mendicantium aliam edidit Conſtitutionem, quæ incipit, *Ad exequendum*, & edita fuit ann. 1567. Calendis Nouemb. quâ portionem aſſignat Vicariis perpetuis Eccleſiarum parochialium, Monaſteriis, Beneficiis, Eccleſiis, vel locis piis perpetuò vnitarum: quam Bullam Gregorius XIII. Conſtitutione 9. quæ incipit, *In tanta*, ad Iuris, & Concilij Tridentini terminos reduxit, qui patere poſſunt ex cap. 5. & ſequentibus, ſeſſ. 7. & c. 9. ſeſſ. 14. & c. 13. ſeſſ. 24. & c. 16. ſeſſ. 25.

Conſtitutiones Arretinæ cap. 40. plura in hanc rem ſtatuunt, & Tridentinum ſic contrahunt: *Qui autem extra Monaſterium degens deliquerit, etiam ſui Ordinis priuilegij prætextu, tutus non cenſebitur, quominus ab Ordinario loci, tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato, juxta Canonicas ſanctiones, viſitari, puniri, & corrigi valeat. Beneficia curata Monaſteriis, aut aliis Regularium Eccleſiis perpetuò vnita, poſſunt ab Ordinario viſitari; & ab eodem prouideri, vt animarum cura ibidem laudabiliter exerceatur; vel per Vicarium perpetuum, ſi ita expedire*

Digitized by Google

judicauerit; vel per ejuſdem Ordinis Religioſum, ab ipſomet Ordinario, præuio examine, approbandum; dum tamen eidem reſidenti ſocius ejuſdem Regulæ profeſſus, aſſiduè adhæreat. Prædictarum Eccleſiarum uniones, quas inpoſterum prohibet fieri ſancta Synodus, Epiſcopi eſt reuidere, & examinare. In ipſis autem Monaſteriis, quibus imminet animarum cura perſonarum ſecularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum familia, perſonæ tam Regulares, quàm Seculares, hujuſmodi curam exercentes, in iis quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, Epiſcopo immediatè ſubſunt; ita vt nemo, vel ad nutum amouibilis, ejuſmodi curationi ſit præficiendus, niſi, præuio examine, ab eodem fuerit approbatus. Et licèt Concilium Tridentinum ea Monaſteria, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum ſedem ordinariam principalem habent, ab Ordinarij juriſdictione excipiat; nihilominus tamen Epiſcopis majorem in prædicta loca, & perſonas juriſdictionem exercentibus, integram, ac ſaluam eſſe voluit: quemadmodum ex concordia inter Epiſcopum Arretinum, & Monachos Camaldulenſes olim inita, & Apoſtolica Honorij III. auctoritate confirmata, ipſe Epiſcopus in ſacra Eremo Camaldulenſi, & Cœnobio præcipua obtinet jura, quibus pro libito, tum in loca, tum in perſonas vtatur.

Synodus Nucerina ann. 1608. prædicta repetit: *Beneficia*, inquit, *curata Monaſteriis, aut aliis Regularium Eccleſiis perpetuò vnita, poſſunt ab Ordinario viſitari, & ab eodem prouideri, vt animarum cura ibi laudabiliter exerceatur, vel per Vicarium perpetuum, ſi ita expedire judicauerit, vel per ejuſdem Ordinis Religioſum, ab ipſomet Ordinario, præuio examine, approbandum; dum tamen eidem reſidenti ſocius ejuſdem Regulæ profeſſus aſſiduè adhæreat, prædictarum Eccleſiarum vniones, quas inpoſterum prohibet fieri ſancta Synodus, Epiſcopi eſt reuidere, & examinare. In ipſis autem Monaſteriis, quibus imminet cura animarum perſonarum ſecularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum familia, perſonæ tam regulares, quàm ſeculares, hujuſmodi curam exercentes in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, Epiſcopo immediatè ſubſunt, itaut nemo, vel ad nutum amouibilis ejuſmodi curationi*

Digitized by Google

ſit præficiendus, niſi præuio examine, ab eodem fuerit approbatus. Et licèt Concil. Trident. ea Monaſteria in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum ſedem ordinariam principalem habent, ab Ordinarij juriſdictione excipiat: nihilominus tamen Epiſcopis majorem in prædicta loca, & perſonas juriſdictionem exercentibus, integram, & ſaluam eſſe voluit.

Inſuper, vt mittamus alia Italicorum Conciliorum Decreta, quibus patet Concilij Tridentini prædictas ſanctiones vſu receptas fuiſſe, addimus declarationes quaſdam Dominorum Cardinalium apud Proſperum Farinacium deciſionum, & declarationum parte 4. quibus praxeos eorumdem Decretorum ratio, modúſque conſtent.

Circa viſitationem Capitulorum ab Epiſcopo cenſuit Congregatio die 6. Iunij 1587. Epiſcopum in viſitatione formali poſſe res, rerúmque adminiſtratores viſitare, ſi negligentes, & bonorum vſurpatores non caſtiget Archidiaconus, cap. 1. de cenſibus in 6. Fuſcus in ſuo tractatu de viſitatione lib. 1. cap. 15. num. 30. & alibi.

Notat Proſper Capitula exempta teneri ſeruare Decreta prouincialis Concilij, cui interfuit eorum Epiſcopus. Idem notat reſolutum à Rota, & à Congregatione Concilij ex mente Gregorij XIII. non tolli concordias confirmatas à Sede Apoſtolica Conſtitutione Tridentina cap. 4. de reformatione ſeſſionis 6. reliquis verò ab Apoſtolica Sede non confirmatis derogari, quæ tantùm ſuos obligant auctores, ſecundùm gloſſam in cap. *Veniens*, de tranſlationibus. Die verò 13. Nouembris 1586. à ſacra Congregatione deciſum præſeruatas iſtas concordias, ex certa ſcientia à Summo Pontifice conſeruari debuiſſe.

Eadem Congregatio cenſuit die 16. Martij ann. 1589. etiam contra conſeruatores impedientes viſitationem ab Epiſcopo faciendam, poſſe procedi; præſertim ſi illi extra diœceſim commorentur. Addit Congregationem cenſuiſſe, Epiſcopum non poſſe tanquam ſuſpectum recuſari, niſi in viſitando modum exceſſerit. Non poſſe eumdem extra viſitationem, publicis programmatibus denuntiare, etiam ſub pœna excommunicationis, vt contra Capitulares, eorúmque vitam, &

Digitized by Google

mores teſtimonium ferant, quicunque eorum ſcientiam habent. Item in ſpeciali viſitatione Epiſcopum poſſe exigere juramentum. Denique facultatem Epiſcopi non eſſe priuatiuam juris viſitandi, & corrigendi, quod habent Abbates, Decani, & ſimiles; quibus licet viſitare, & corrigere ſeorſum ab Epiſcopis.

In caput verò 7. ſeſſ. 7. obſeruat Congregationem cenſuiſſe Eccleſias curatas, vnitas Monaſteriis poſſe ab Epiſcopis ordinariorum loco viſitari, & in eis Vicarios perpetuos, ſiue temporaneos conſtitui, ſecundùm diſpoſitionem Concilij Tridentini dicto capite. Si verò Eccleſiæ hujuſmodi ſitæ ſint in loco ipſorum Monachorum, eíſque immineat cura animarum, poſſe Epiſcopos viſitare perſonas exercentes in eis curam, juxta formam præſcriptam ab eodem Concilio cap. 11. ſeſſ. 25. de Regularibus. In Parochialibus vnitis Monaſteriis deputari poſſe Vicarios perpetuos, niſi eſſent in loco, in quo ipſa Monaſteria; quo caſu ſeruandum eſt Decretum cap. 11. ſeſſ. 25. de Regularibus. Conceſſum fuiſſe aliquando ex gratia à Gregorio XIII. vt etiam in Parochialibus Monaſterio vnitis, non deputarentur Vicarij, ſed vt aliquis ex Regularibus, ab Epiſcopo tamen approbatus, curam animarum exercere poſſet, dummodo ſecum habeat ſocium Ordinis ejuſdem: imo Monachos non poſſe prohiberi quominus curam exerceant.

Notat item in Parochialibus Militiæ ſancti Ioannis Hieroſolymitani ſeruandum eſſe breue Pij V. editum 12. Septembris ann. 1561. Item Gregorium XIII. non habere pro reuocata Bullam Pij V. de Vicariis perpetuis, vt Epiſcopus ad nominationem Monachorum deputet vnum ex ipſis præuio examine approbatum, & ad nutum ipſorum amouibilem; itaut cum Vicario ſic deputato, habitet vnus duntaxat Monachus, nec plures extra clauſtrum maneant: ſed non ita cenſendum, ſi vellent deputare Capellanum ſecularem, ad nutum amouibilem: hoc enim pertinet ad Epiſcopum.

In caput 15. ſeſſ. 7. ad quæſtionem, an Epiſcopus viſitare poſſit Eccleſias, quas Abbas ſancti Benedicti in ejus diœceſi

Digitized by Google

ſitas habet, Congregatio reſpondit poſſe, virtute Decreti eo capite contenti, dummodo in eis cura animarum exerceatur per Sacerdotes ſeculares. Eadem reſpondit, Epiſcopum poſſe Eccleſias diœceſis viſitare, vbi Moniales prætendunt habere juriſdictionem ſpiritualem, à tempore immemorabili, cum facultate viſitandi per deputatos, etiam eligendo Epiſcopum extraneum, qui, inuito loci Epiſcopo, Confirmationem, & Ordines conferat, ac alia Pontificalia exerceat. Epiſcopum poſſe viſitare omnes Parochiales ſuæ diœceſis, in quibus ſunt Sacerdotes ſeculares, licèt Eccleſiæ ſint Regularibus ſubjectæ; etiamſi Monaſteria prætenderint à religione haberi juriſdictionem ſpiritualem in locis, vbi dictæ Eccleſiæ ſunt vnitæ. Epiſcopum non habere jus viſitandi ſacellum, vel Altare, quod cura careat animarum, & membrum ſit Religionis S. Antonij Viennenſis. Excipi etiam Eccleſias Regularium, vbi à Regularibus inſeruitur, in quibus Abbates ſunt, Generales, & Capita Ordinum.

Notat ex Bulla Pij V. *Paſtoralis officij* data die 22. Septembris anno 1571. vbi Equites Hieroſolymitani habent juriſdictionem ſpiritualem, & temporalem, ibi Ordinarios ad viſitandum accedere non debere. Item nec ipſos Equites Hieroſolymitanos, quatenus curata beneficia non obtinent, ab Epiſcopo viſitari poſſe.

Idem Proſper Farinacius in caput 9. ſeſſ. 24. adnotat beneficia nullius diœceſis viſitari debere ab Epiſcopo viciniori; & id ab eodem faciendum ſolùm in capite, non in membris. Collegiatas nullius diœceſis viſitari debere à viciniori Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato; vt & Preſbyteratum, ſimiliter qui nullius diœceſis ſit. Locum habere hanc Regulam in aliis Secularibus beneficiis, non Regularibus à quibus dependentia Beneficia ſecularia viſitari poſſint. Gregorium XIII. declaraſſe parochiales Eccleſias, quibus inſeruiunt Preſbyteri ſeculares non regulares, licet vnitas ac dependentes à Regularibus, poſſe tam ab Epiſcopo viciniori, quàm à Monachis deputatis viſitari, niſi propter abuſum aliquis eorum ea vice excludatur, quemadmodum Sanctitas ſua pro hac vice Epiſcopo Salinatenſi viſitationem

Digitized by Google

conceſſit contra Abbatem de Balneo Camaldulenſium.

Monet ad Epiſcopum ſpectare, vt concedat litteras dimiſſorias iis, qui ſunt nullius diœceſis, quando non conſtat, an ſit, an non ſit intra fines diœceſis alicujus. Item in viſitatione poſſe monere, & corrigere juxta caput 2. ſeſſ. 5. vt plebem commiſſam. Similiter Epiſcopum viciniorem poſſe in viſitatione ejus, qui eſt nullius diœceſis, illum, ſi non reſidet, vel ſi indiſcretas licentias non reſidendi ſuis ſubditis conceſſerit, monere & corrigere. Non ſpectare ad ipſum Sacramentum Confirmationis, iis qui nullius diœceſis ſunt, miniſtrare, cùm ex priuilegio poſſint ipſi accerſere Epiſcopum quem voluerint. Denique Epiſcopo cujus Eccleſia cathedralis eſt vicinior, jus viſitandi adſcribi, ſi id conſtet, non ſi id poſſit, ita enim legendum eſt.

Idem Auctor in caput 20. ſeſſ. 24. ad quæſtionem an poſſint Fratres ſancti Ioann. Hieroſolymitani, dare dimiſſoria Clericis inſeruientibus in eorum Eccleſiis, vt poſſint ordinari, negatiuè concluſum dicit. Item juxta Conſtitutionem Gregorij XIII. determinatum, neque inſeruientem actu militiæ, nec in ejus aliqua domo, nec ſub illius obedientia, poſſe priuilegio Ordinis gaudere, niſi legitimam profeſſionem emiſiſſe probauerit.

Idem Proſper ad cap. 11. ſeſſ. 25. de Regularibus, Pium V. dixiſſe refert quidquid Concilium videatur diſpoſuiſſe, in hoc Decreto, excipiendas eas Eccleſias in quibus Regulares habent ſpiritualem, & temporalem juriſdictionem: velle tamen, vt in omnibus Eccleſiis parochialibus, in quibus cura animarum etiam laicorum exercetur, habeant Ordinarij facultatem eas Eccleſias, & perſonas, in eiſdem curam exercentes viſitandi, & corrigendi, in eis duntaxat, quæ ad dictam curam, & Sacrorum adminiſtrationem ſpectant, & ab hoc Decreto nullum cenſeri exemptum: neque hoc Decretum priuilegiis derogare, niſi in iis duntaxat quæ ad curam animarum, & Sacrorum adminiſtrationem ſpectant. Nec excipi poſſe aduersùs viſitationem quod Parochia ſit ſub cura Canonicorum Regularium, Vicariúmque ex ipſis Canonicis Regularibus ab eorum Superioribus nominatum ha-

Digitized by Google

beat, ad nutum amouibilem, præuio examine per Epiſcopum, aut ejus Vicarium generalem approbatum. Denique Equites Hieroſolymitanos, quatenus Beneficia curata non obtinent, ab Ordinariis viſitari non poſſe.

Notat item Congregationem cenſuiſſe, ſiue Monaſteriis ex primæua inſtitutione cura animarum immineat, ſiue poſteà annexa fuerit, neque temporaneos, neque perpetuos poſſe ab Ordinariis Vicarios deputari, ſed tantùm à Superioribus Monaſteriorum, præuio tamen examine Ordinariorum.

Plurimi iſti ſunt caſus quos ad prædicta Decreta Concilij Tridentini elucidanda collegimus. Addimus Bullam *Inſcrutabili*, Gregorij V. editam ann. 1622. nonis Februarij, quâ ſtatuitur: *Vt deinceps, tam Regulares, quàm Seculares quomodolibet exempti, ſiue animarum curam perſonarum ſecularium Monaſteriis, ſeu domibus Regularibus, aut quibuſuis aliis Eccleſiis, vel beneficiis, ſiue regularibus, ſiue ſecularibus incumbentem exerceant, ſiue alia Eccleſiaſtica Sacramenta, aut vnum ex illis miniſtrent, præuiâ Epiſcopi licentiâ, & approbatione: ſiue quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione, abſque vlla auctoritate ſe ingerant; in iis quæ ejuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plenè in omnibus ſubjiciantur;* De qua Conſtitutione cùm variæ dubitationes exortæ eſſent, hæc, inter ceteras, dubitatio mota eſt, *An facultas Epiſcopis per Conſtitutionem attributa in exemptos, tam Seculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in perſonas nullius diœceſis.* Ad quam dubitationem Interpretes ſacræ Congregationis Concilij Tridentini, tam ab ipſomet Gregorio, quàm poſtea Vrbano VIII. approbati, *cenſuerunt ejuſmodi facultatem non tributam Epiſcopis in perſonas nullius diœceſis.* Quæ reſponſio non pugnat cum Tridentino Concilio. Nam licèt Concilium cap. 7. ſeſſionis 7. quibuſlibet annis, Epiſcopis locorum ordinariis Eccleſias quaſcunque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apoſtolica viſitandi facultatem tribuat; tamen de Eccleſiis nullius diœceſis

Digitized by Google

diœceſis non neceſſariò intelligendum eſt, quia non loci Ordinario, vt eo capite, ſed viciniori Epiſcopo, aut alteri deputato, Eccleſia nullius diœceſis viſitanda dicitur permitti, vt cap. 9. ſeſſ. 24. *De reformatione*; quo quidem capite licèt in Eccleſias ſeculares, quæ nullius diœceſis eſſe dicuntur, Epiſcopo, cujus Cathedralis Eccleſia proximior eſt, ſi id conſtet, alioquin ab alio in Concilio Prouinciali electo facienda viſitatio concedatur, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato; tamen viſitatio iſta nec Epiſcopo ſoli, ad excluſionem aliorum, tribuitur: nec niſi certis temporibus, aut ad nutum ei permittitur: nec Superiorum Monaſteriorum exemptorum coercitionem ordinariam hæc viſitatio abſumit, aut impedit: nec facultates eiſdem indultas tollit.

Quocirca ex iis, quæ ſuperiùs docuimus, patet Articulum præſentem non intelligi de Eccleſiis, quæ verè ſunt nullius diœceſis, quas in Gallia rariſſimas eſſe conſtat; quas ideo Clerus Gallicanus nullas, vel ferè nullas eſſe ſupponit, quamuis plurimæ fortè ſe tales eſſe prætendant. Vnde cùm in hujuſmodi Eccleſias nullius diœceſis, Epiſcopis, nonniſi tanquam delegatis Sedis Apoſtolicæ, conceſſa ſit auctoritas, Epiſcopi Gallicani vix vnquam delegatam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem ſibi vindicant, eis à Concilio Tridentino attributam; ſed ſi quid in exemptos mouent, tanquam Ordinarios agere ſe contendunt, nec delegati Apoſtolici officium aſſumunt, quod vix Gallicana Iuriſprudentia admitteret, vix tribunalia ſecularia ferrent, vtpotè cùm eo elogio ſubordinatio juriſdictionum Eccleſiaſticarum peruerti cenſeatur, quam quidem vt legem inconceſſam tribunalia ſecularia cuſtodiunt.

ARTICVLVS XXIII.

QVASCVNQVE prouiſiones habeant Parochi, nihilominus Epiſcopo ſeſe offerre tenebuntur ad examen ſubeundum, quatenus in prædictis be-

Digitized by Google

neficiis curatis inſtitui, & Epiſcoporum auctoritate ſtabiliri poſſint.

Commentarius ad Articulum vigeſimum-tertium.

INDVBITATI juris eſt ad Epiſcopos inſtitutionem Curatorum ſpectare, quamuis ad nominationem nonnunquam aliquorum Patronorum de Curatis Beneficiis prouideant; & quamuis Prioratus, verbi gratia, & Capellas aliquas pleno jure Abbates conferant; beneficiorum tamen Curatorum collatio ad Epiſcopos præcipuè ſpectat; quibus cùm cura animarum commiſſa ſit, & ab iis ratio earumdem Deo ſit reddenda ex canone Apoſtolorum c. 40. ſecundùm verſionem Dionyſij Exigui, trigeſimo verò octauo ſecundùm verſionem Gentiani Heruedi, ideo ad ipſum ſpectat videre per quos populum regere poſſit ſalutariter, & quibus adjutoribus in procuratione animarum vtatur. Idque commendatur maximè in Concilio Toletano 3. c. 19. Toletano 4. c. 34. Toletano 9. cap. 2. Aurelianenſi 3. cap. 7. aliàs 9. Aurelianenſi 4. c. 7. Cabilonenſi ſub Carolo c. 26. & 42. Turonenſi ſub eodem c. 15. & 12. Vormacienſi c. 6. 49. & 55. Moguntino ſub Arnulfo c. 4. Tribirienſi c. 32. Synodo 8. Conſtantinopolitana generali ſub Adriano II. c. 21. vel 23. Arauſicana c. 10. Epaonenſi c. 5. Nannetenſi cap. 16. Moguntina ſub Rabano c. 12. Biturricenſi cap. 21. Lemouicenſi actione 2. Item à Gregorio Magno lib. 2. epiſt. 19. Ioanni Subdiacono, Synodo Romana, ſub Eugenio II. & Leone II. c. 21. Ioanne Papa c. Viſis 16. q. 2. Lateranenſi ſub Alexandro III. c. 9. & 17. Item alio Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. cap. 45. & 61. Capitularium lib. 7. cap. 15. & 65. lib. 5. cap. 82. lib. 1. cap. 90. Salegunſtadienſi cap. 20. Pictauienſi c. 1. & in cap. *Frequentibus, de inſtitutionibus:* Quibus adde Concilium Prouinciale 5. Mediol. tit. *Quæ ad beneficiorum collationem pertinent: Vacante*, inquit, *Eccleſia Parochiali, cujus conferendæ jus non ad Epiſcopum diœceſanum, ſed ad alium, etiam ab Epiſcopali juriſdictione exemptum,*

Digitized by Google

& Regularem item ſpectat, edictum de concurſu proponat Epiſcopus diœceſanus, & quicunque examen eo nomine ſubire volent, ad ipſum conueniant, qui exploratione per examinatores Synodales facta, ex probatis digniorem, & magis idoneum deligat, cui vacans illa Eccleſia ab illo conferatur, cujus jus eſt: ſi ſecus fiat, collatio reſciſſa, nulláque ſit. Eadem ratio omnis adhibeatur in Parochiali Eccleſia vacante, quæ juriſpatronatus eſt Eccleſiaſtici, vel mixti, cujus inſtitutio non ad Epiſcopum diœceſanum, ſed alium quemcunque, etiam exemptum, & Regularem, item vt ſuprà, pertinet, ita tamen vt quem Epiſcopus diœceſanus digniorem elegerit, is à Patrono præſentetur ei, ad quem ſpectat inſtitutio.

Eadem præſcribit Concilium 4. Mediolan. tit. de Beneficiorum collatione, ac prouiſione, ſtatim initio: *Quæcunque,* inquit, *& examinis, & approbationis, & collationis, prouiſioníſve ratio, omníſque alia diligens cautio, in Eccleſiis parochialibus, cuipiam conferendis ex Decreto Tridentino ſancito, adhiberi debet, illa ipſa omnis in Capellanis, ceteríſque beneficiis Eccleſiaſticis quocunque nomine nuncupatis, imo verò in ipſis etiam Eccleſiæ, vel Cathedralis, vel Collegiatæ portionibus, quibus ab inſtitutione, vel conſuetudine, alióve quouis jure, & nomine onus, munúſve animarum curæ, vel exercendæ, vel coadjuuandæ incumbit, aut conjunctum eſt, conferendis, in alióve prouiſionis eorum modo teneatur, ac ſeruetur omnino Quodque Tridentinis Decretis de eo, qui præſentatus eſt, per Epiſcopum comprobando, etiamſi ad inferiores inſtitutio pertineat, conſtitutum eſt; id in Beneficiis item, vel ſimplicibus, vel Curatis, vel aliis cujuſcunque generis, in quibus etiam electionis, præſentationis, inſtitutioníſve jus Monachis, aliíſve cujuſcunque Ordinis Regularibus, ceteríſve competit, locum habere, Epiſcopus meminerit. Quare, ſi quæ hactenus inſtitutio, ſine Epiſcopali comprobatione facta comperitur, eam irritam, inanem, ac planè nullam declaret; ac ne inpoſterum ita fiat, caueat quàm diligentiſſimè* &c.

Tridentinum ipſum Concilium ſeſſion. 24. capite 18. de reformatione, quibuſcunque Eccleſiis quibus animarum cura incumbit, etiam reſeruatis, vel affectis, generaliter, vel ſpecialiter, etiam vigore indulti, ſeu priuilegij

in fauorem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Abbatum, vel Capitulorum, quomodo prouidendum ſit ab Epiſcopo per examen publicum fusè explicat. Et ſeſſ. 25. cap. 9. de reformat. quomodo præſentati à Patronis examinari debeant, copioſè pariter exponit. Et cap. 13. de reform. ſeſſ. 7. *Præſentati*, inquit, *ſeu electi, vel nominati à quibuſuis Eccleſiaſticis perſonis, etiam & Sedis Apoſtolicæ Nuntiis, ad quæuis Eccleſiaſtica beneficia non inſtituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujuſuis priuilegij, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ; niſi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: & nullus appellationis remedio ſe tueri poßit, quominus examen ſubire teneatur, præſentatis tamen, electis, ſeu nominatis ab Vniuerſitatibus, ſeu Collegiis generalium ſtudiorum exceptis.* Hanc tamen exceptionem electorum, ſeu nominatorum ab Vniuerſitatibus, ſeu Collegiis generalium ſtudiorum, reuocare videtur idem Concilium ſeſſ. 24. cap. 18.

Denique in præſentatis à Regularibus ad inſtitutionem ipſorum examen Epiſcopi, ante Concilium Tridentinum, requirit Bonifacius VIII. cap. vnico, de Capellis Monachorum: *Presbyteri, qui ad curam populi per Monachos in eorum Eccleſiis præſentantur Epiſcopis, & inſtituuntur ab ipſis (cùm debeant eſſe perpetui) conſuetudine, vel ſtatuto quouis contrario non obſtante, ab eiſdem nequeunt Eccleſiis (niſi per Epiſcopos, & ex cauſa rationabili) amoueri.*

Verùm reſpexiſſe maximè videtur Clerus Gallicanus ad prouiſiones Beneficiorum Curatorum in curia Romana datas in forma *Dignum* (vt vocant) in qua forma qui inſtituti ſunt à Summo Pontifice, tanquam digni commendantur; quos tamen iterùm ad examen Epiſcopi reuocandos eſſe ſtatuunt Comitiorum Regni generalium Bleſis congregatorum ann. 1579. articulus 12. Edictum Regis Caroli IX. ann. 1574. ad articulum 12. Cleri Gallicani. Edictum Regis Henrici III. Melodunenſe ad articulum 14. Cleri Gallicani ipſi oblatum, conditum ann. 1580. Edictum ejuſdem Regis ad querimonias Cleri ad articulum quintum, & alia quædam: quæ tamen aduersùs poteſtatem ſupremam, vim facilè non

Digitized by Google

habuerunt, quandiu ipſa minimè conſenſit. Ideóque in Comitiis generalibus Cleri, poſt iſtas Regias Sanctiones ad Summum Pontificem recurſum legimus; itémque ad Regem Chriſtianiſſimum, vt compellerent quoſcunque qualicunque ratione prouiſos, ad Epiſcopos ſe conferre, quòd in Eccleſias curatas aliqui ſe intruderent, qui Epiſcopis ignoti, nec prouiſionis ſuæ rationem ipſis patefacerent; nec quâ ratione, quo jure, quo ordine in eas inuolaſſent vllis documentis oſtenderent. Sed jam querimoniæ iſti locus nullus eſt, poſtquam Innocentij X. Felicis memoriæ prouidâ auctoritate, ac poſtea Alexandri VII. qui nunc Petri Sedem tenet, piâ curâ, ac ſollicitudine factum eſt, vt ad Beneficia curata inſtituatur nullus in curia Romana, niſi ad Epiſcopum pro examine remittatur. Cujus Decreti æquitatem hæc oſtendunt; quòd nulla tam accurata poſſit eſſe diſcuſſio vitæ, & morum, quæ fit à Summo Pontifice; quàm quæ fieri poteſt à proprio Epiſcopo. Nam Summum Pontificem latent, quæcunque anteactâ ætate impedimenta canonica promotioni legitimæ obſtare poſſunt, latent defectus omnes primæ ætatis, qui poſſunt ab Epiſcopo diœceſano facillimè explorari: ſi verò promouendus abſens ſit, & Ordinarij examen fugerit & inquiſitionem, malæ fidei ſuſpectus eſſe poteſt; præſertim ſi non bonæ famæ Epiſcopi, vel Vicarij generalis teſtimonio nitatur. Quinetiam alienæ diœceſis, quàm ejus ad cujus intereſt ſalutem promouendi inſtitutio, & curæ Paſtoralis exercitium, inferioris eſt fidei: quia ad eum teſtimonium datum non videtur ſpectaſſe, ideóque nec accuratè inſpectum ſuſpicio eſt, aut certè non tanta ſollicitudine examinatum, quanta ab eo, cujus maximè intereſt an à bono, an à malo Paſtore cura animarum exercenda ſit. Ponamus negligentem eſſe Epiſcopum proprium, vix tamen negligentioris Epiſcopi teſtimonium minoris apud me eſt fidei in cauſa, quæ ad ejus ſalutem, honorem, quietem ſpectat, quàm diligentioris in cauſa, quæ nullatenus ipſius intereſt; præſertim cùm negligentiores in iiſce rebus Epiſcopi, vel Vicarij à facinoroſo quocunque, & indigno Miniſtro conſuli, & ad teſtimonium quæri ſoleant. Itaque ſi vel vnus Epiſco-

pus, aut cujuſquam Epiſcopi Vicarius generalis ſui officij negligens eſt, & ad teſtificandum facilis, aut pronus ad gratiam (nam de iis, qui pecuniâ corrumpuntur, non loquor, quia tales futuros eſſe mihi non perſuadeo) ſi quis, inquam, iſtius farinæ eſt, ex fama diſcitur, & ad eam confluunt plurimi, qui falſum teſtimonium quærunt, quo elogium *digni* obtinere, non mereri poſſint: hinc Eccleſiæ pernicies, hinc graue vulnus Clero, & populo infligitur.

Ob hanc, vel ſimilem rationem Concilium Senonenſe prouinciale ann. 1528. habitum ab Antonio Cardinale à Prato Archiepiſcopo Senonenſi, & Cancellario Franciæ, parte 2. cap. 7. hæc ſtatuit: *Quia nonnulli ſuæ ignorantiæ, & incapacitatis, & delictorum conſcij, fugientes examen ſuorum Epiſcoporum, ſcientes ſe non eſſe ab illis promouendos, ad curiam Romanam confugiunt; & in eadem curia ſe faciunt promoueri ad omnes ſacros Ordines per quoſdam aſſerentes ſe eſſe Epiſcopos, & habere à Romano Pontifice auctoritatem ordinandi; de quorum poteſtate, ac commiſſione non apparet, ſúntque ordinati hujuſmodi promoti extra tempora, & interdum tribus ſucceſſiuis diebus; talibus diæceſani non permittant executionem ſuorum Ordinum, niſi viſis eorum litteris, conſtito etiam ſufficienter de poteſtate Ordinantium, & eorum commiſſione eis à Romano Pontifice conceſſa, ad hæc etiam, rurſus examinentur de vita, ſcientia, ætate, ac inquiratur de beneficio, ſeu patrimonio. Quòd ſi in prædictis, aut aliquo præmiſſorum inuenti fuerint minùs ſufficientes, declarentur ſuſpenſi ab executione Ordinum, modo, & formâ ſuprà declaratis.*

Præclarum in hanc rem Zachariæ Papæ epiſt. 1. ad Bonifacium Moguntinum cap. 7. tom. 1. antiquorum Conciliorum Galliæ reſponſum: *Nam & de Sacerdotibus illis, qui falſa opinantur, qui etiam adulteri, & fornicatores probantur, & ſibi ab Apoſtolica Sede indultum eſſe teſtantur, & è contrario licentiam ſibi prædicationis conceſſam eſſe: hoc nullâ ratione credat, tua ſancta Fraternitas; ſed ſimiliter in eos canonicam exerce vindictam.*

Duo alia à ſimili argumenta deduces ex Concilio Tridentino. Primum, ex ſeſſ. 7. cap. 11. de reformat. *Facultas de promouendo à quocunque, non ſuffragetur, niſi habentibus legi-*

Digitized by Google

timam cauſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in litteris exprimendam : & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine. Alterum, ex ſeſſ. 14. cap. 1. de reform. *Cùm honeſtius, ac tutius ſit ſubjecto debitam præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſeruire, quàm cum præpoſitorum ſcandalo, graduum altiorum appetere dignitatem, ei, cui aſcenſus ad ſacros Ordines à ſuo Prælato, ex quacunque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extra judicialiter, fuerit interdictus, aut qui à ſuis Ordinibus, ſeu Gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoueri faciendo; aut ad Priores ordines, gradus, & dignitates, ſiue honores reſtitutio ſuffragetur.* Si enim cautum eſt ne abſque licentia proprij Epiſcopi, aliquis ordinari poſſit; quidni prudenter caueatur ne ſine ejus licentia, & teſtificatione ad Curatum beneficium in aliorum perniciem promoueatur?

Tertium quippiam ſimile ſtatuitur in Concilio Toletano 12. cap. 6. *Placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, atque Galliciæ,* (aliàs Galliæ, Narbonenſis ſcilicet, quæ ſub ditione Gothorum erat) *ſaluo priuilegio vniuſcujuſque Prouinciæ, vt licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoſcunque Regalis poteſtas elegerit, & dicti Toletani Pontificis judicium dignos eſſe probauerit, in quibuſlibet Prouinciis, in præcedentium Sedibus præficere Præſules* &c. *Ita tamen; vt poſt ordinationis ſuæ tempus, intra tres menſes proprij Metropolitani præſentiam videat, vt ejus auctoritate, & diſciplina inſtructus, condignè ſuſceptæ Sedis gubernacula teneat, quod ſi non fecerit, excommunicatum ſe per omnia nouerit : excepto ſi Regia juſſione impeditum ſe eſſe probauerit.*

Digitized by Google

Articvlvs XXIV.

COmmvnitates omnes Regulares exemptæ, quæ beneficia curata, tanquam primitiui Curati poſſident, obligabuntur ad habendos in eis Vicarios perpetuos, qui in titulum ab Epiſcopis diœceſanis inſtituentur: quibus Vicariis aſſignabitur congrua portio, habita ratione beneficij, & numeri populi in eo commorantis.

Commentarius ad Articulum vigeſimum-quartum.

SVperivs totius iſtius articuli materia explicata fuit ad Articulum 14. vbi expoſuimus, quinam eſſent primitiui Curati, quinam Vicarij perpetui: & quænam origo vtrorumque. Duo itaque breuiter circa hunc articulum jam obſeruamus. Primum Monachos, qui Altaria, vt vocant, Eccleſiarum, ſeu regimen animarum per alios adminiſtrandum, ac ſpiritalem curam per alios obeundam ſuſceperant; ſibi verò decimas, primitias, oblationes retinuerant, Preſbyteros, quo poterant viliſſimo, pretio conduxiſſe: contra quas ſordes ſcripſiſſe nouimus Gregorium VII. in Concilio Romano anni incerti cap. 31. Innocentium II. in Synodo Romana cap. 8. Eugenium III. ſimiliter in Synodo cap. 10. vel 11. Aquiſgranenſe 2. ſub Ludouico pio parte 3. cap. 16. Concilum habitum in Germania ſub Conrado Cardinali cap. 12. Quinetiam ſtatutum legimus vt Capellanum in titulum inſtitueret Epiſcopus in Eccleſiis vnitis Monaſteriis Monachorum nigrorum (vt vocant) ſeu Benedictinorum: ita Vrbanus III. capite 1. *de Capellis Monachorum*, & Bonifacius VIII. eodem titulo cap. vnico in 6. Ex prædictis tamen patet aliquas Eccleſias Parochiales vnitas Monaſteriis, vel Capitulis Vicarios habere poſſe temporales, dummodo vnus ex Monaſterio, vel Capitulo deſignatus ſit, ad quem pro Sacramentorum, & aliorum Parochialium Officiorum functio-

functionibus, & exercitio recurratur: vide Articulum præcedentem: ſed tunc temporis non dicuntur Eccleſiæ iſtæ pendere à Monaſteriis, vel Collegiis tanquam à Curatis primitiuis; ſed dicuntur iſtæ Eccleſiæ Monaſterio, vel Capitulo vnitæ. Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. cap. 7. relinquit arbitrio Ordinarij, vt iſtis Eccleſiis vnitis Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, aut piis locis Vicarij perpetui aſſignentur, aut temporales; quemadmodum etiam ejuſdem arbitrio relinquit, vt tertiam partem fructuum, aut majorem, vel minorem ſuper certa re aſſignandam præſcribat, vt ex lectione prædicti capitis innoteſcit. Concilium Burdegalenſe ſub Cardinale de Sourdis cap. 10. num. 6. in Eccleſiis vnitis ſancti Ioannis Ieroſolymitani, ſancti Antonij & quorumcumque Ordinum præceptoriis, Vicarium perpetuum inſtitui vult. De aſſignanda autem hujuſmodi Beneficiis congrua portione, habemus decretum Alexandri III. *Pro Canonicis Regularibus, & Monachis Eboracenſis diœceſis*, cap. *Auaritiæ*. tit. *de Præbendis*, in hæc verba, *Intelleximus, quia in Eccleſiis veſtris, de quibus certas penſiones conſueuiſtis percipere, portiones, vel antiquos reditus minoraſtis, quos nonnulli Clerici Eccleſiarum ipſarum habuiſſe noſcuntur* &c. *Ideóque mandamus, quatenus ſi quas portiones, vel antiquos reditus Clericorum, ſine conſenſu Archiepiſcopi veſtri minuere, vel Parochias diuidere præſumpſiſtis, ad integram priſtinam reuocetis.* Idem Vigornenſi in Anglia Epiſcopo cap. *de Monachis*, tit. *de Præbendis*, hoc decernit, *De Monachis, qui Vicarios Parochialium Eccleſiarum grauant, vt hoſpitalitatem tenere non poßint, eam prouidentiam adhibeas, quòd ad præſentationem Monachorum nullum recipias; niſi tantum ei de prouentibus Eccleſiæ coram te fuerit aßignatum, vnde jura Epiſcopalia poßit perſoluere, & congruam ſuſtentationem habere.*

Alexander IV. ſimiliter cap. *Statuto*. §. *Vbi autem, de decimis* in 6. *Vbi autem per hujuſmodi conceßiones decimarum Parochiales Eccleſias adeò grauari contingit, quòd earum Rectores de ipſarum reditibus congruè ſuſtentari, & commodè jura Epiſcopalia exhibere non poſſunt, prouideatur per locorum Ordi-*

Hhh

narios, & ordinetur taliter, quòd eiſdem Rectoribus tantum de illarum relinquatur prouentibus, quæ exinde competentem ſuſtentationem habere, & Epiſcopalia jura ſoluere valeant, aliáque onera debita ſupportare.

Clemens IV. Alexandri conſtitutionem inuiolabiliter obſeruari præcepit. cap. 1. *de Præbendis, & Dignitatibus*, in eodem lib. 6. *Sanè fuit olim per Sedem Apoſtolicam prouidè conſtitutum, vt Diæceſani locorum ad præſentationem Religioſorum nullum ad aliquam Eccleſiam recipiant, niſi tantum ei de prouentibus ipſius Eccleſiæ coram eis fuerit aſſignatum, vnde jura Epiſcopalia poſſint ſoluere, & congruam ſuſtentationem habere. Verùm (ſicut nobis querela multorum frequens inſinuat) Religioſi exempti de prouentibus Parochialium Eccleſiarum, in quibus jus obtinent Patronatus, ſeu Rectorum præſentatio pertinet ad eoſdem, tantùm percipiunt annuatim, quod Rectores Eccleſiarum ipſarum non poſſunt de reſiduo commodè ſuſtentari, & Epiſcopalia jura perſoluere, ac alia incumbentia eis onera ſupportare: propter quod ſæpè contingit, quòd non inueniuntur perſonæ idoneæ, quæ hujuſmodi Eccleſias velint recipere: ſícque frequenter minùs idoneis conferuntur, ex quò pericula imminent animarum. Nos itaque volentes ſuper hoc ſalubre remedium adhibere, præſenti decreto ſtatuimus, & mandamus, Conſtitutionem hujuſmodi quoad omnes Patronos Eccleſiarum religioſos, tam exemptos, quàm non exemptos, & alios inuiolabiliter obſeruari, conſuetudine contraria non obſtante.*

Confirmat hanc legem Clemens V. in Concilio generali Viennenſi, Clementina, *vt conſtitutio, de jure Patronatus*. Inſupérque hæc addit: *Diæceſanis ſub obteſtatione diuini Iudicij diſtrictiùs inhibentes, ne præſentatum aliquem per quamcunque perſonam Eccleſiaſticam, jus præſentandi ad Eccleſiam aliquam habentem admittant, niſi intra certum terminum competentem, per diæceſanos ipſos præſentantibus præfigendum, ipſi præſentato fuerit coram eis (vt præſcribitur) congrua de prouentibus Eccleſiæ portio aſſignata; quam ſi forſan iidem præſentantes intra terminum ipſum aſſignare neglexerint, ne factum eorùm noceat præſentato, Statuimus vt extunc diæceſani debeant præſentatum (niſi aliud canonicum obſiſtat) admittere, & in*

Digitized by Google

pœnam præſentantium ad Diæceſanos ipſos poteſtas aſſignationis hujuſmodi deuoluatur. Præcipimus autem Diæceſanis eiſdem ſub ipſius obteſtatione diuini judicij, ipſorúmque conſcientias oneramus, quod moderationem portionis ipſius debitè faciant, nec odio, vel fauore, vel aliàs in pluri, vel minori circa illam ſcienter excedant. Sanè in prioratuum, vel aliorum tam regularium, quàm ſecularium locorum Eccleſiis, in quibus Religioſi, vel alij, ad quos eorum reditus pertinere noſcuntur, prædicta conſueuerunt onera ſupportare, præmiſſa nullatenus obſeruentur: ſed onera omnia, quæ Eccleſiarum ipſarum perpetuis Presbyteris, aut Vicariis incumberent, ſi dicta eis aſſignatio facta eſſet, Religioſi, & alij ſupradicti plenè ſubire, ac Presbyteros, ſeu Vicarios ipſos decenter tractare, necnon ſuſtentationem eis præſtare ſufficientem, & congruam teneantur: ad quæ omnia integraliter adimplenda, & nihilominus ad obſeruationem debitam aſſignationis, per Diæceſanum in caſu alio (vt præmittitur) faciendæ, Religioſos prædictos, & alios quoſlibet à Diæceſanis eiſdem Eccleſiaſtica volumus cenſura compelli, non obſtantibus exemptionibus, aut aliis quibuſlibet priuilegiis, conſuetudinibus, vel ſtatutis, quæ circa præmiſſa vel eorum aliquod religioſis ipſis, aut aliis in nullo volumus ſuffragari.

Concilium prouinciale apud Cognacum ann. 1238. hanc Conſtitutionem recipit, & commendat, referente Bochello lib.6. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ, tit.6. cap.2. *de Patronis Eccleſiarum parochialium, ſiue ſint Monachi, vel alij Religioſi, vel Canonici regulares, volumus, & præcipimus firmiter, & diſtrictè, vt per Diæceſanum loci compellantur Presbyteris earumdem ſeruitio deputatis, tantam, & tam idoneam portionem aſſignare, vt ex ea valeant congruè ſuſtentari, prout definitum eſt in Concilio generali.*

Præter canonem 7. ſeſſ. 7. Concilij Tridentini, quem in hanc rem allegauimus; addimus cap. 16. de reform. ſeſſ. 25. *Statuit ſancta Synodus, vt Eccleſiaſtica beneficia ſecularia, quocunque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæua eorum inſtitutione, aut aliter quomodocunque retinent, illâ deinceps in ſimplex beneficium, etiam aſſignata Vicario perpetuo congruâ portione, non conuertantur: non obſtantibus quibuſcunque*

Digitized by Google

gratiis, quæ ſuum plenarium effectum non ſunt conſecutæ. In iis verò in quibus contra earum inſtitutionem, ſeu fundationem, cura animarum in Vicarium perpetuum tranſlata eſt, etiamſi in hoc ſtatu ab immemorabili tempore reperiantur, ſi congrua portio fructuum Vicario, quocunque nomine is appelletur, non fuerit aſſignata, ea quamprimùm, & ad minùs intra annum à fine præſentis Concilij, arbitrio Ordinarij, juxta formam Decreti ſub fel. rec. Paulo III. aſſignetur. Quòd ſi id commodè fieri non poſſit, aut intra dictum terminum factum non erit: cùm primum per ceſſum, vel deceſſum Vicarij, ſeu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacauerit, beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariæ nomen ceſſet, & in antiquum ſtatum reſtituatur.

Iſtorum Decretorum executionem ſibi procurandam credidit Carolus IX. Edicto Regio ann. 1571. art. 9. & ann. 1572. in vrbe Pariſienſi dato, cum nempe ſtatuit: *Ne Curati, quorum Beneficiorum reditus annui ſummam centum & viginti librarum, deductis omnibus oneribus, excedunt portionem congruam pro ſuſtentatione exigere non poſſint, quorum verò beneficia annuum iſtum reditum non attingunt, ſit in poteſtate Iudicum Eccleſiæ, vt, prout eis videbitur, Parochorum ſuſtentationi prouideant, interdictâ Regiis Iudicibus omni ea de re cognitione.* Poſterioribus autem edictis Regiis aliter cautum, quia majus pretium alimenta in dies requirunt.

Articvlvs XXV.

MONASTERIA omnia ſanctæ Sedi ſubdita, quæ præfixo à Concilio Tridentino, & Statibus Bleſenſibus tempore, ſe in Congregationem reformatam, benè, & debitè approbatam, non redegerint, juriſdictioni Epiſcopi diœceſani ſubjacebunt.

Digitized by Google

Commentarius ad Articulum vigeſimum-quintum.

CONSTITVTIO eſt Concilij Tridentini ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 8. & 9. Nam cap. 8. hæc habentur: *Monaſteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent Ordinarios regulares Viſitatores, ſed ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione, ac directione regi conſueuerunt, teneantur infra annum à fine præſentis Concilij, & deinde quolibet triennio ſeſe in Congregationes redigere, juxta formam Conſtitutionis Innocentij III. in Concilio generali, quæ incipit, In ſingulis: ibique certas regulares perſonas deputare, quæ de modo, & ordine de prædictis Congregationibus erigendis, ac ſtatutis in eis exequendis, deliberent, & ſtatuant. Quòd ſi in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano, in cujus Prouincia prædicta Monaſteria ſunt, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, eos pro prædictis cauſis conuocare. Quòd ſi infrà limites vnius Prouinciæ non ſit ſufficiens talium Monaſteriorum numerus ad erigendam Congregationem, poſſint duarum, vel trium Prouinciarum Monaſteria vnam facere Congregationem. Ipſis autem Congregationibus conſtitutis, illarum generalia Capitula, & ab illis electi Præſides, vel Viſitatores eandem habeant auctoritatem in ſuæ Congregationis Monaſteria, ac Regulares in eis commorantes, quàm alij Præſides, ac Viſitatores in ceteris habent Ordinibus: teneantúrque ſuæ Congregationis Monaſteria frequenter viſitare, & illorum reformationi incumbere, & ea obſeruare, quæ in ſacris Canonibus, & in hoc ſacro Concilio ſunt Decreta. Quod ſi etiam, Metropolitano inſtante, prædicta exequi non curauerint, Epiſcopis in quorum diœceſibus loca prædicta ſita ſunt, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, ſubdantur.*

Hæc Decreta Concilij Tridentini in Statibus regni Franciæ apud vrbem Bleſarum congregatis recepta ſunt, & auctoritate regia confirmata ann. 1579. iiſdem ferè verbis concepta, quibus Tridentina Conſtitutio. Nam articulus 27. Gallicè hæc habet: *Tous Monaſteres qui ne ſont ſous Chapitres generaux, & qui ſe pretendent ſujets immediatement au S. Siege Apoſtolique, ſeront tenus dans vn an ſe reduire à quelque Con-*

Digitized by Google

gregation de leur Ordre en ce Royaume, en laquelle ſeront dreſſez Statuts, & commis Viſitateurs, pour faire executer, garder & obſeruer ce qui aura eſté arreſté pour la diſcipline reguliere; & en cas de refus ou delay, y ſera pourueu par l'Eueſque.

Antea in Statibus Aurelianenſibus ann. 1560. art. 11. Statutum fuerat vt Abbates, Abbatiſſæ, Priores, & Prioriſſæ quæ non ſint capita Ordinum, Canonici, & Capitula ſecularia Eccleſiarum Cathedralium, aut Collegiatarum indiſcriminatim ſubderentur Archiepiſcopo, aut Epiſcopo diœceſano, nec ſe priuilegio exemptionis tueri poſſint, quantum ad viſitationem, aut criminum punitionem, non obſtantibus oppoſitionibus, aut appellationibus quibuſcunque, quarum ſibi Rex cognitionem reſeruat in Concilio ſtrictiori diſcutiendam: ita tamen, vt ad Abbates, Abbatiſſas, Priores & Prioriſſas viſitatio, & correctio ſolita erga Religioſos ſuos, & Religioſas ratione non obſeruatæ Regulæ perſeueret. Quæ ſanctio circa Monaſteria, & Prioratus conformis eſt Tridentinis ſeſſ. 7. de reformatione cap. 8. ſeſſ. 21. de reformatione cap. pariter 8. ſeſſ. 24. cap. 9 & vltima de Regularibus, cap. 20.

Bleſenſem autem Conſtitutionem præceſſit Edictum Regium Caroli IX. quo cauebatur, vt Religioſi, qui nulli capiti Ordinis ſubjacent, teneantur, & cogantur eligere certum Ordinem, ac Regulam quâ viſitari poſſint, ſine præjudicio juriſdictionis ordinariæ Prælatorum: cui cum refragaretur Curia Parlamenti Pariſienſis, juſſionis litteras miſit Carolus IX 3. Nouemb. ann. 1572. & modificationes adhibuit Curia. Status Bleſenſes articulum renouarunt, addidéruntque articulum 30. & 31. quibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Capitibus Ordinum viſitationem Monaſteriorum injunxerunt, & curam Monaſteriorum reformandorum ipſis mandarunt, tam Monachorum, quàm Monialium. Poſtea edixit Henricus III. ann. 1596. menſe Maio art. 7. vt quandiù Abbates & Religioſi ſe ad Congregationem quandam redigerent, Viſitatores nominarent, & Monaſteriorum reformationem vrgerent Archiepiſcopi & Epiſcopi, vocatiſque Patribus Ordinum Monaſteriorum, eadem Monaſteria viſita-

Digitized by Google

rent, & reformationi, ac diſciplinæ regulari inuigilarent: Statutúmque, vt quæcunque ab iis ordinarentur, non obſtante oppoſitione, aut appellatione quacunque, executioni demandarentur. Confirmata iſta Edicto menſis Septembris ann. 1610. & menſis Decembris ann. 1606. & aliis.

Eandem curam Prælatorum ad Hoſpitalia, & Leproſarias extendunt, Clementina, *Quia contingit*, de Religioſis domibus. Concilium Tridentinum cap. 8. de reform. ſeſſ. 22. Edictum Melodunenſe 11. Maij ann. 1582. Edictum Henrici III. ann. 1596. art. 8. & Edictum ejuſdem Regis 11. Maij ann. 1582.

Denique Epiſcopi juriſdictionem in Monaſteria quæcunque exempta, & ſubdita, abſque mentione quòd ſint ipſorum diœceſis, aut nullius, & in Capitula quoque leges in Concilio Cameracenſi, tit. *De Monaſteriis virorum, & mulierum*, & in Concilio Rothomagenſi, titulo *de Monaſteriis*, num. præſertim 7. 8. 12. 23. 27. & 35. ita verò vt c. ſolùm 27. Delegationis Sedis Apoſtolicæ in clauſura Monialium fiat mentio, non in reliquis: quamuis de juriſdictione Epiſcoporum, etiam in exempta Monaſteria, hi Canones verba faciant: quod in aliis Conciliis Gallicanis obſeruabis, in quibus vix mentio fit vlla Monaſteriorum nullius diœceſis, aut delegationis Sedis Apoſtolicæ, ſicut nec in Edictis regiis, aut Conſtitutionibus in Statibus Regni editis, ob rationem ſuperiùs à nobis allatam.

ARTICVLVS XXVI.

SIMILITER omnes Congregationes nouæ, auctoritati, & juriſdictioni Epiſcopi diœceſani ſubditæ manebunt. Et ſi contingat aliquod Monaſterium Epiſcopali juriſdictioni ſubditum aggregari alicui exemptæ Congregationi; Ordinarij tamen juriſdictioni ſubjacebit.

Digitized by Google

Commentarius ad Articulum vigeſimum-ſextum.

DVo ſunt quæ hoc Articulo ſecundùm jus commune, declarantur.

Primum : Quòd Congregationes omnes, etiam Regulares, attento jure communi, & regula Ecclesiis præfixa, ſub Epiſcopi poteſtate manere debeant. Quæ vtique probantur Inſtitutione CHRISTI, qui fideles omnes Apoſtolis, quibus Epiſcopi ſucceſſerunt, ſubjectos eſſe voluit : nec vllos ab eorum poteſtate exemit : ſed omnes ipſis ſubjecit, vt probant Ignatius epiſtola ad Trallianos, Clemens epiſt. 7. & lib. 8. Conſtit. cap. vlt. Origenes hom. 6. in cap. 6. Iſaiæ, & lib. 3. contra Celſum, Cyprianus epiſt. 27. *ad Lapſos* 55. *Cornelio*, 69. *Florentio*, Confeſſores Cypriano ſuffragati in Concilio Carthaginenſi, Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. Ambroſius de dignitate ſacerdotali cap. 6. Auguſtinus ſeu vetus auctor lib. *veteris, & noui Teſtamenti* cap. 97. Proſper Aquitanicus lib. 2. de vita contemplatiua cap. 2. Hormiſda Papa epiſt. 22. ad Iuſtinum Auguſtum, Nicolaus II. epiſt. 42. Archiepiſcopis, & Epiſcopis Galliarum, Bernardus ad Eugenium lib. 3. de Conſideratione cap. 4. & alij Patres paſſim.

Accedit continua Eccleſiæ praxis, quæ Monachos, & Canonicos Regulares, ac Sanctimoniales Epiſcopis ſubjecit : quemadmodum teſtantur Carthaginenſe 3. Concilium cap. 33. Africanum cap. 11. Chalcedonenſe c. 4. 8. 12. & 23. Aurelianenſe 3. c. 18. Toletanum 2. c. 1. Toletanum 10. c. 3. Arelatenſe ſub Carolo Magno c. 6. Moguntinum c. 20. & 21. Moguntinum ſub Rabano c. 3. Aquiſgranenſe 2. ſub Ludouico parte 3. cap. 1. Ticinenſe ſub Ludouico II. cap. 9. Meldenſe c. 59. Pariſienſe ſub Ludouico, & Lothario lib. 1. cap. 28. Tullenſe parte vltima c. 9. Tribunenſe c. 26. Vormacienſe c. 74. Synodus 8. Conſtantinopolitana ſub Adriano II. c. 10. & aliæ paſſim Synodi, vnde Innocentius III. cap. *Conſtitutus*, cap. *Cùm Venerabilis*, cap. *Cùm dilectus*, titulo de Religioſis domibus Monaſteria quæuis Epiſcopo

ſubjecta

Digitized by Google

ſubjecta eſſe ſtatuit, in cujus diœceſi ſita ſunt, niſi probentur exempta. Quamobrem non eſt dubium, quin jure communi Congregationes omnes, etiam Regulares, debeant Epiſcopo ſubjacere; quantumcunque eas quoque Summus Pontifex eximere poſſit ab Epiſcopi poteſtate: ſed videat vtrùm expediat, & vtrùm æquitas, & charitas id poſtulent, vt diligenter, prudentérque monet Bernardus lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium.

Secundo loco ſtatuitur hoc in art. quòd Monaſterium Epiſcopi juriſdictioni ſubditum, quantumcunque Congregationi alicui reformatæ, itidémque exemptæ, ſeſe aggregarit, nequaquam exinde ab Epiſcoporum poteſtate exemptum fieri. Probatur multis rationibus. Primò quidem quia ejuſmodi aggregatio nullatenus tollit poteſtatem Epiſcopi in Monaſteria ei ſubdita. Nam in Concilio generali Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 12. quemadmodum refertur cap. *in Singulis, de ſtatu Monachorum: In ſingulis Regnis, ſiue Prouinciis fieri ſtatuitur de triennio in triennium (ſaluo jure diœceſanorum Pontificum) commune capitulum Abbatum, atque Priorum Abbates proprios non habentium, qui non conſuerunt tale Capitulum celebrare, ad quod vniuerſi conuenire jubentur, apud vnum de Monaſteriis ad hoc aptum.* Quo quidem in Capitulo omnia regularia negotia examinantur; ac ſi quis Rector amouendus ſit, Epiſcopo defertur; difficiliora autem negotia ad Apoſtolicæ Sedis judicium referuntur: tandémque Diœceſani Epiſcopi eadem Monaſteria viſitare poſſe agnoſcuntur. Hæc pariter proſequitur Honorius III. cap. *Ea quæ*, eodem tit. volens vt *ſi forſan Epiſcopus quod neceſſarium videbitur, hoc adimplere noluerit, vel neglexerit, Capitulo generali præſidentes defectum Epiſcopi Apoſtolicæ Sedi non differant intimare* &c. Item vt *ſi qui à Viſitatoribus inuenti fuerint criminoſi, per diœceſanum Epiſcopum in non exemptis; & per Viſitatores, vel Præſidentes generali Capitulo, in exemptis, Beneficiis priuentur* &c. Exemplum hujus conſtitutionis antiquum innoteſcit ſub Ludouico Pio, ſub quò Aquiſgranenſe Concilium primum habitum eſt: in quo forma inſtitutionis Canonicorum, & Sanctimonialium edita eſt. Item in Con-

Digitized by Google

uentu Aquiſgranenſi Abbatum Franciæ cum Monachis ſuis vbi ad Regularium inſtitutionem edita ſunt capitula 80. Imo etiam Concilium Tridentinum, vt ſuperiùs vidimus, cumulatiuè plures Eccleſias ab Epiſcopis, & Abbatibus regi abſurdum minimè duxit, tritúmque eſt, & vulgatum in jure poſſe Eccleſiam, vel domum religioſam exemptam eſſe in capite à poteſtate Epiſcopi, cujus membra ab ipſo Epiſcopo dependeant, cap. *cum Capella*, & cap. *ex ore* de priuilegiis: quare non ex eo quòd Monaſterium Epiſcopi poteſtati ſubditum, Congregationi exemptæ aggregetur, neceſſum eſt à poteſtate Epiſcopi liberum fieri. Exemplum ſimiliter habemus in Concilio Rothomagenſi tit. *de Monaſteriis*, numero 20. *Synodus*, inquit, *ſalua, & inuiolata vult ſtatuta, & priuilegia ſancti Martini Sagienſis diœceſis in Normania, de congregatione, & reformatione Caſſalis Benedicti, nihilque de eiſdem ſtatutis, & priuilegiis dicti Monaſterij abrogare intendit, ſaluo jure Epiſcopali.* Scilicet Rothomagenſe Concilium non obſtare Iuri Epiſcopali cenſuit aggregationem Monaſterij cum Congregatione reformata; imo nec ejuſdem Congregationis priuilegia cum ſubjectione diœceſano Epiſcopo.

Imo hoc ipſum memorabile, quòd cùm ab Epiſcopi antiqui poteſtate Monaſterium, alteri vnitum, ſubduci noluerit ſanctus Gregorius can. *quia Monaſterium, de religioſis domibus*, ſeu lib. 9. regiſtri, epiſt. 67. *Agapeto Abbati*, ſimiliter, nec propter vnionem Congregationi exemptæ, ab Epiſcopi, in cujus diœceſi ſitum eſt, juriſdictione ſubſtrahendum judicaſſet; & qui *ſic loci hujus ordinationem diſpoſuerat, vt tamen jura ſua ſingulis Epiſcopis inuiolata ſeruaret*, Congregationi ſimiliter, & Epiſcopis jura ſartatecta cuſtodiri voluiſſet; quemadmodum, nec regimen Abbatis Agapeti, cum Epiſcopi Surrentini juriſdictione, in cujus diœceſi proprium Monaſterium ſitum erat Agapeti, nec cum Epiſcopi Nucerini, qui in deſolatum Monaſterium in fundo Marciano ſuæ diœceſis, jus retinuerat, cognitione, ac juriſdictione pugnare arbitratus eſt: ſed vtrumque regere Agapetum voluit; primum, tanquam proprium, ſub auctoritate Epi-

Digitized by Google

ſcopi Surrentini; alterum, tanquam ſuo vnitum, ſub auctoritate Præſulis Nucerini.

Hæc mens erat antiquorum Ordinis Monaſtici Abbatum, per quos ordo iſte illuſtrior in Eccleſia factus eſt: eadémque ſanctiſſimi Bernardi inſignis ex Ordine, & Congregatione Ciſtercenſ. Abbatis, quam elegantiſſimè ipſe expreſſit epiſtola 42. ad Henricum Senonenſem circa finem: *Quis dabit centum in mei cuſtodiam deputari Paſtores? Quantò plurès ſentio mei curam gerere, tantò ſecurior exeo in paſcua. Stupenda inſania. Animarum non cunctor turbas mihi cuſtodiendas colligere, & vnum ſuper propriam grauor habere cuſtodem? & quidem ſubjecti me de reddenda ratione ſollicitant: qui autem præſunt mihi, ipſi potiùs (*Paulo dicente ad Hebr. 13.) *peruigilant, tanquam rationem pro me reddituri. Illi etſi honorant, onerant: hi non tam premunt, quam protegunt.*

Accedunt iſtæ rationes. Prima, quòd vnio non tollit naturam rerum, ſed illæſam ſeruat: quare Eccleſiam ſub Epiſcopi poteſtate poſitam, vnio cum Eccleſia exempta non aliam facit, quàm quæ erat, nec ejus naturalem conditionem mutat, quâ omnes Eccleſiæ ſunt ſub Epiſcopi poteſtate, can. *Obitum*, diſt. 61. cauſa 10. quæſt. 1. c. 3. eadem, quæſt. 5. c. 1. & 3. cauſa 9. quæſt. 3. c. 3. eadem, quæſt. 1. c. *Qui verè*, 10. quæſt. 2. c. *Qui Epiſcopus*, 16. quæſt. 7. c. *Omnes Baſilicæ*. 2ª ratio, Res non dantur ſine oneribus l. 3. c. *De agricolis, & cenſitis*, & alibi paſſim: & ſeruitutes reales cum rebus ipſis tranſeunt, toto titulo *de Seruitutibus*. Quare nec Monaſteria poſſunt ſeipſa per Abbates, ac Monachos tradere Congregationi alicui, niſi cum ſubjectione, quam habent Epiſcopo. 3ª. Priuilegij alicui Congregationi dati ea vis non eſt, vt indirectè, per vnionem ſcilicet Monaſterij exiſtentis ſub poteſtate Epiſcopi, ſubjectionem majorem, quâ Epiſcoporum, vt habetur c. *Statuendum*, 16. quæſt. 2. diuinitùs ſubduntur regimini, diſſoluat, nec voluntas tradentis ſe Congregationi exemptæ diuinæ ordinationi præfertur: nec ſpecialis contraria per Summum Pontificem Dei Vicarium conſtat ordinatio circa Monaſterium vnitum. 4ª. Priuilegium non debemus, niſi ſtrictè, interpretari; vnde ſicut ad famulos, & familiares

Monaſterio conceſſum priuilegium non trahendum, cap. *Quod nonnullis*, & cap. *Quidam*, de priuilegiis. Ita nec priuilegium Congregationi datum ad vnienda Monaſteria, niſi de omnium, quorum intereſt, conſenſu, tranſit: multò magis ſi Epiſcopus conditionem adhibuit, ſaluæ ſibi, & ſucceſſoribus ſuis ſubiectionis cap. 1. & 3. *de pactis*, in 6. & aliis fusè allatis ad cap. 6. ſuprà. Confirmatúrque ex eo, quia obligatus quis poteſt eſſe duplici titulo, c. *Quanquam*, diſt. 33. vincula vbi ſunt paria, primum ligare poteſt, altero diſſoluto cap. *Sicut*, de ſponſalibus: duo vincula ſunt vno fortiora, can. *Duo mala*, diſt. 3. & c. *Medicamenta*, de Pœnitentia, diſt. 2. Quare licèt exemptio jus commune diſſolueret, quo Monachi obligarentur Epiſcopis, maneret tamen obligatio fidelitatis, orta ex conuentione, & pacto cum Epiſcopis inito, quam temerare Monachis ſine crimine, & ſcandalo non liceret, cap. 3. citato, *de pactis*, in 6. atque adeo ab Epiſcoporum poteſtate nondum ſoluti forent: ſicut ſi quis ex legato, & conuentione obligatur, ſi teſtator eum abſoluit à legato, remiſſa conditione; non ideo ab obligatione ex conuentione contracta liber efficitur.

ARTICVLVS XXVII.

NVLLI Regulares habere poſſunt ſcholas pro ſecularibus in ſuis Monaſteriis; nec quæſtores mittere per diœceſim, abſque licentia Epiſcopi diœceſani; nec vllas feminas ſua clauſtra ingredi ſinent prætextu concionum, ſupplicationum, aliarúmve publicarum actionum, niſi diplomata Pontificia, vel priuilegia habeant, quibus liber in ea clauſtra feminis concedatur ingreſſus, quæ priuilegia Ordinario manifeſtare debebunt.

Digitized by Google

Commentarius ad Articulum vigeſimum-ſeptimum.

HVIVS articuli tres ſunt partes; prima eſt de ſcholis non habendis pro ſecularibus in Monaſteriis : altera, pro quæſtoribus per diœceſes non mittendis : tertia, de prohibito feminis ad clauſtra Religioſorum acceſſu.

Prima pars, quòd Religioſi ſeculares in ſuis Monaſteriis ad ſcholas non admittant, conformis eſt Baſilio in reſponſione ad interrogationem 55. in regulis fuſiùs diſputatis, Chryſoſtomo lib. 3. contra vituperatores vitæ monaſticæ, Regulæ ſancti Cæſarij cap. 5. §. 3. & cap. 45. additionis Capitularis r. à Ludouico Pio Editi : *Vt ſchola in Monaſterio non habeatur, niſi eorum qui oblati ſunt.*

Excipi tamen debent ſi qui ſunt viri, qui facultatem habent ex ſua regula, etiam Seculares, in ſuis Religioſis domibus docendi & inſtituendi : cujuſmodi ſunt Patres Societatis IESV, & alij Clerici regulares : necnon, ſi quæ ſint feminæ Moniales, quæ ad puellas docendas, vt legere, & ſcribere diſcant, necnon ad fidei rudimenta edocenda, ex ſua pariter Regula, & inſtituto deſtinantur : cujuſmodi ſunt eæ, quæ Ordinis beatæ Vrſulæ dicuntur.

Altera pars de quæſtoribus non mittendis abſque Epiſcopi licentia, & de non colligendis eleemoſynis, ſine ejuſdem permiſſione, & deſtinatione, eſt variorum Conciliorum generalium. Primùm enim Concilium generale Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 60. vt refertur cap. *Cùm ex eo*, de pœnitentiis, & remiſſionibus : *Eleemoſynarum*, inquit, *quæſtores, quorum quidam ſe alios mentiendo, abuſiones nonnullas in ſua prædicatione proponunt, admitti (niſi Apoſtolicas, vel diœceſani Epiſcopi litteras veras exhibeant,) prohibemus : & tunc præter id, quod in ipſis continebitur litteris, nihil populo proponere permittantur. Formam verò, quam communiter talibus Apoſtolica Sedes indulget, duximus exprimendam vt ſecundùm eam diœceſani Epiſcopi ſuas litteras moderentur. Ea ſiquidem talis eſt : quoniam (vt ait Apoſtolus) omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, recepturi prout in corpore geſſimus, ſiue bonum*

fuerit, ſiue malum, &c. *Qui autem ad quærendas eleemoſynas deſtinantur, modeſti ſint, & diſcreti: nec in tabernis, aut in aliis locis incongruis hoſpitentur, nec inutiles faciant, aut ſumptuoſas expenſas, cauentes omnino ne falſa Religionis habitum geſtent.*

Concilium Lugdunenſe ſub Innocentio IV. quemadmodum refertur capite *Romana*, *de Pœnitentiis*, *& remiſſionibus*, in 6. de quæſtoribus ab Archiepiſc. Rhemenſ. miſſis agit; à quibus neminem citari poſſe ait, ſed tantùm moneri.

Viennenſe autem ſub Clemente V. fuſiùs Clementinâ 2. *de Pœnitentiis*, *& remiſſionibus*, abuſus plurimos corrigit, in quos quæſtores iſti impingunt, tota hac Conſtitutione, *abuſionibus, quas nonnulli eleemoſynarum quæſtores in ſuis proponunt prædicationibus, vt ſimplices decipiant, & aurum ſubtili, vel fallaci potiùs ingenio extorqueant ab eiſdem; cùm in animarum cedat periculum, & ſcandalorum plurimorum viam, prout eſt nobis poſſibile, præcludere cupientes, juxta ſtatuta Concily generalis, duximus prohibendum diſtrictè, ne quæſtores aliqui (niſi Apoſtolicas, vel diœceſani Epiſcopi litteras exhibuerint) quomodolibet admittantur, vel permittantur (cùm ſolùm ipſis competat indulgentias ſibi conceſſas inſinuare populo, & charitatiua poſtulare ſubſidia ſuppliciter ab eodem) vllatenus ipſi populo prædicare, nec aliud exponere, quàm quod in litteris continebitur ſupradictis. Litteras quoque Apoſtolicas, vel diœceſani Epiſcopi (ne quid fraudis committi valeat per eaſdem) antequam admittant, quæſtores ipſos, examinent diligenter. Ad hæc cùm aliqui ex hujuſmodi quæſtoribus, ſicut ad noſtram audientiam eſt perlatum, non ſine multa temeritatis audacia, & deceptione multiplici animarum, indulgentias populo motu ſuo proprio de facto concedant, ſuper votis diſpenſent, à perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis ſibi confitentes abſoluant: malè ablata incerta (datâ ſibi aliquâ pecuniæ quantitate) remittant; tertiam, aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxent, animas tres, vel plures parentum, vel amicorum illorum, qui eleemoſynas eis conferunt, de Purgatorio (vt aſſerunt mendaciter) extrahant, & ad gaudia Paradiſi perducant; benefactori-*

bus locorum, quorum quæſtores exiſtunt, remiſſionem plenariam peccatorum indulgeant, & aliqui ex ipſis eos à pœna, & à culpa (vt eorum verbis vtamur) abſoluant: Nos abuſus hujuſmodi, per quos cenſura vileſcit Eccleſiaſtica, & Clauium Eccleſiæ auctoritas ducitur in contemptum, omnimodo abolere volentes: Ea per quoſcunque quæſtores fieri, vel attentari de cetero diſtrictiùs inhibemus: omnia, & ſingula priuilegia, ſi quæ ſuper præmiſſis, vel earum aliquo ſint aliquibus locis, ordinibus, vel perſonis quæſtorum hujuſmodi quomodocunque conceſſa (ne ipſorum prætextu ſit eis materia talia vlteriùs præſumendi) auctoritate Apoſtolicâ quantum ad præmiſſa penitus reuocantes. Quæſtores autem qui deinceps in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum deliquerint, vel aliàs etiam quibuſcunque ſuis priuilegiis abuſi fuerint, ſic per locorum Epiſcopos puniri volumus (nullo prorſus eiſdem quæſtoribus in hac parte priuilegio ſuffragante) quòd à ſuis temerariis auſibus, qui vbique (vt communis habet aſſertio) nimium excreuerunt, pœnæ formidine propenſiùs compeſcantur.

Tridentinum ſeſſione 21. *de reformatione*, capite 9. de ordine quæſtorum penitus abolendo ſic ſtatuit: *Cùm multa à diuerſis antea Conciliis, tam Lateranenſi, ac Lugdunenſi, quàm Viennenſi, aduersùs prauos eleemoſynarum quæſtorum abuſus, remedia tunc adhibita, poſterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiúſque eorum malitia ita quoditie magno fidelium omnium ſcandalo, & querela excreſcere deprehendatur, vt de eorum emendatione nulla ſpes ampliùs relicta videatur: ſtatuit, vt poſthac in quibuſcunque Chriſtianæ religionis locis earum nomen, atque vſus penitus aboleatur; nec ad officium hujuſmodi exercendum vllatenus admittantur, non obſtantibus priuilegiis Eccleſiis, Monaſteriis, hoſpitalibus, piis locis, & quibuſvis, cujuſcunque gradus, ſtatus, & dignitatis perſonis, conceſſis, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Indulgentias verò, aut alias ſpiritales gratias, quibus non ideo Chriſti fideles decet priuari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus, populo publicandas eſſe decernit; quibus etiam eleemoſynas, atque oblata ſibi charitatis ſubſidia, nullâ prorſus mercede acceptâ, fideliter colligendi facultas datur: vt tandem cæleſtes hos Eccleſiæ theſauros*

Digitized by Google

non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri, omnes verè intelligant.

Antea ſub Paulo III. eadem Synodus ſtatuerat ſeſſione 5. cap. 2. *de reformatione*, §. vltimo, vt *quæſtores eleemoſynarij, qui etiam quæſtuarij vulgo dicuntur, cujuſcunque conditionis exiſtant, nullo modo nec per ſe, nec per alium prædicare præſumant: & contrafacientes ab Epiſcopis, & Ordinariis locorum, priuilegiis quibuſcunque non obſtantibus, opportunis remediis omnino arceantur.*

Sed nec ſic emendati quieuerunt; ideóque aboliti ſunt. Plura aduersùs iſtos homines leges apud Bochellum, lib. 6. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ, titulo 11.

Tertia pars, quæ ad Monaſteria virorum acceſſum feminarum prohibitum oſtendit, tum antiquis, tum recentioribus Eccleſiæ Canonibus innititur. Antiqui ſunt can. 26. Antiſſiodorenſis, Turonenſis 2. c. 16. Matiſconenſis 1. c. 2. Synodi Trullanæ c. 47. Quin etiam janitores Monaſteriorum juxta antiquas Monachorum regulas, extraneos non admittebant intra Monaſterium, etiam viros; ſed in loco hoſpitibus præparato retinebant, concordantiæ Regularum. §. 4. §. 6. §. 7. Monachi etiam foras exire non facilè permittebantur: cauebaturque diligenter vel ab aſpectu mulierum, etiam in Eccleſia, propter quod ad Oratoria Monachorum feminis aditus olim non patebat, vt docuimus ad Art. 5. Scilicet antiquis Patribus, vel mulierem adſpicere periculoſum viſum eſt. Tertullianus lib. de velandis virginibus cap. 2. *Tam ſancti Viri eſt ſuffundi*, inquit, *ſi virginem viderit, quàm ſanctæ Virginis, ſi à viro viſa ſit.* Baſilius l. *de vera Virginitate*, μάλαγμα ἡδονῆς ἄῤῥενι θῆλυ, *viro mulier eſt voluptatis illex.* Sic Leander lib. de inſtitutione Virginum, *Diſpar ſexus in vnum locatus, eo titillatur inſtinctu, quo naſcitur: & naturalis mouetur flamma, ſi incompoſita attigerit: quis collocauit ignem in ſinu ſuo, & non comburetur? ignis & ſtupa, vtraque contraria, in vnum redacta, flammas nutriunt: viri ſexus & feminæ diuerſus ſi conjungitur; quo lex naturæ prouocat, commouetur.* Quamobrem Hieron. epiſtola 4. ad Ruſticum Monachum, *Femina*, inquit, *quæ nomen tuum nouerit, vult omnes ſciant.*

Antiquam

Digitized by Google

Antiquam iſtam legem, veterémque morem Pius V. confirmauit Bullâ *Regularium perſonarum*, editâ die 24. Octobris anno 1566. *Motu*, inquit, *proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas facultates, ac licentias ingrediendi Monaſteria, ac domos Carthuſienſium, & aliorum quorumque Regularium Ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus, cujuſque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & quacunque dignitate, ac præeminentia præditis, etiam comitiſsis, Marchioniſsis, duciſsis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſcunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis ab Apoſtolica Sede quomodocunque conceſſas, quarum tenores, perinde ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, haberi volumus pro expreſſis, tenore præſentium reuocamus, & caſſas, irritas, & inanes eſſe decernimus: diſtrictè prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, poſtquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non poſſunt, niſi à nobis, aut Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, abſolui, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos, & Monaſteria ingredi audeant: ipſis verò Monaſteriorum, & Conuentuum Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, & aliis Præſidentibus, quocunque nomine vocentur, & Monachis, Canonicis, & fratribus, ſiue Mendicantibus, ſiue non Mendicantibus, ſub priuationis officiorum, quæ in præſentia obtinent, & inhabilitatis inpoſterum ad illa, & alia omnia, & ſuſpenſionis diuinis ipſo facto, ſine alia declaratione, incurrendis pœnis, ne eas introducere, admitterévе præſumant.*

Hanc ſuam Conſtitutionem non multò poſt 16. Iulij anno 1570. Bulla *decet*, idem Romanus Pontifex declarauit §. 3. *Significantes nihilominus, prout ſignificamus, quòd propter hoc, & prædictas noſtras literas non intelleximus, nec intelligimus, vt mulieribus præcluderetur, aut præcludatur aditus ad Monaſteria, & ad loca regularia dictæ Congregationis ac eorum clauſtra, quando in eis Miſſæ, & alia diuina Officia celebrantur, ac dum Proceſsiones fiunt, & quando* CHRISTI *fidelium cadauera ibi ſepeliuntur, ac etiam pro eis ſuffragia fiunt;*

ſed liberè perpetuò concedimus eiſdem omnibus mulieribus facultatem, vt ad illa loca dicta Congregationis, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis Catholicis perſonis accedere liberè, & licitè poſſint, & valeant. Similiter, quòd quando diuinum verbum in clauſtris Monaſteriorum, & regularium locorum Congregationis hujuſmodi proponitur, vel propter aliam quamcunque cauſam tantus concurſus populi fuerit, quòd commodè ingredi, non poſsint, & egredi per portam Eccleſiæ, perpetuò concedimus, vt dictæ mulieres vnà cum aliis ſecularibus perſonis poſsint ingredi, & egredi per portam clauſtri Monaſteriorum, & locorum regularium Congregationis hujuſmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam qua exitur è Monaſterio; ſicque volumus pariter, & indulgemus.

Gregorius pariter XIII. indulta quibuſcunque mulieribus conceſſa, ingrediendi Monaſteria, tam virorum, quàm mulierum, cujuſcunque Ordinis, diſtrictiſſimè prohibita, ad vſum reuocat Bullâ, *Vbi gratiæ*, editâ anno 1575. Idibus Iunij. vbi enim præfatus eſt quòd *vbi gratiæ, & indulta ab Apoſtolica Sede conceſſa, ſucceſſu temporis incommodum afferre noſcuntur, expedit illa ſalubri Præſidentis conſilio commoueri*. Vbi Monaſteriorum conditionem vtriuſque ſexus recenſuit, dignitates perſonarum indulta obtinentium retulit; & ad quorum preces obtenta eſſent meminit; hæc addit: *Inhibentes eiſdem, qui illas obtinuerunt, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, ſuper qua à nemine, niſi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) abſolutionis beneficium poſſit impertiri, ne ipſarum licentiarum prætextu, Monaſteria hujuſmodi, quouis modo ingredi audeant. Abbatiſſis verò, necnon Abbatibus, Conuentibus, ac aliis Monaſteriorum vtriuſque ſexus Superioribus, & perſonis, quocunque nomine vocentur, diſtrictè præcipimus ſub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum, & Officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia inpoſterum obtinenda, ne in Monaſteria, domos, & loca ſua, quemquam prætextu hujuſmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant. Quin etiam ſub eiſdem pœnis, ipſo facto incurrendis, prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuſcun-*

Digitized by Google

que perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus, ac etiam Ordinum quorumcunque, etiam Mendicantium, Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Epiſcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in caſibus neceſſariis tantum ex decreto Concilij Tridentini facultas tribuitur, ne Monaſteria ipſa Monialium pro libito, ſed neceſſitatibus vrgentibus duntaxat ingredi, néue Moniales, ſub eiſdem pœnis, illos aliter admittere præſumant.

Neque tamen feminarum curioſitas iis Conſtitutionibus retenta eſt, quin ſaltem Monialium inuiſendarum cupiditate arderet, & facultates quaſdam à Summis Pontificibus obtinere conaretur: quales nullas eſſe declarauit Paulus V. Bullâ, *Facultatum* 52. quæ ad vniuerſa, & ſingula Monaſteria ad arbitrium, non autem ad certas tantùm vices, frequentanda, conceſſæ forent: quin etiam poſtea omnes penitus reuocauit Bullâ 54. quæ incipit *Monialium.* Vrbanus verò VIII. has facultates reſtrinxit Bullâ 29. quæ incipit *Sacroſanctum*, nolens eas valere, niſi Moniales conſentirent capitulariter congregatæ, expreſsè, & per ſecreta ſuffragia.

De Monaſteriis autem virorum ne ea feminæ ingrederentur, habemus Conſtitutiones varias Conciliorum prouincialium. Ex Italia ſufficiet nobis prouinciale Concilium Mediolanenſe ſub ſancto Carolo, quia ab iis Conciliis cetera ferè Italiæ Concilia diſciplinam acceperunt. Illud ergo titulo *qui pertinent ad Regulares*, ita ſtatuit: *Si quæ femina, cujuſuis etiam conditionis, dignitatis, gradus, ac generis ſplendore illuſtris, virorum Regularium cujuſcunque vel Ordinis, vel inſtituti clauſtra, vbicunque in illis, etiam prioribus, Monaſterij, Conuentus, domúſve clauſtralis porticibus, primariæ ejuſdem januæ exteriori proximis, contra quam Apoſtolicis Summorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. Conſtitutionibus ſancitum eſt, ingrediatur, pro earum ſanctionum jure Epiſcopus pœnarum, cenſurarúmque declaratione, & irrogatione contra illam ſeuerè agat. Ad priores autem illas clauſtri porticus, exterioríque oſtio viciniores, vt à ſancta Sede Apoſtolica declaratum eſt, ingreſſus mulieribus non vetatur, quo tempore in iis, cùm cæmeteria, ſepulchráve ſiunt, pro mortuis ſint ab vniuerſo Monaſterij,*

domúſve illius conuentu ſupplicationes, proceſſionéſve publicæ de more aguntur. In Clauſtrorum autem finibus cenſeantur horti etiam, ac viridaria, vineæ, & ejuſmodi loca, quæ Monaſteriis, domibúſve regularium ita continenter ſunt adjuncta, vt ab illis domibus, vel Monaſteriis ad eos hortos, locáve aditus ſit, nullâ viâ, locóve publico interjecto. Sin autem de Clauſtrorum finibus circumſcribendis dubitatio, aut difficultas, aliquando exiſtat, per loci Ordinarium, adhibitis Regularium Superioribus, illa explicetur, certáque demum ipſis limitibus Clauſtralibus definitio, circumſcriptiove ſtatuatur; vt ne ob varias eorum Superiorum Regularium interpretationes occaſio præbeatur, quamobrem Cenſurarum vinculis fidelium animæ irretiantur.

Strictè quoque hanc legem obſeruari Galliarum Prouincialia Concilia ſtatuerunt. Cameracenſe anno 1566. titulo *de Monaſteriis virorum, & mulierum*, Canone 8. *Mandat ſacroſancta Synodus omnibus Superioribus, vt diligentiſſimam operam adhibeant, ne votum caſtitatis inter ſubditos periclitetur: quibus etiam omnes occaſiones conſortij ineundi, ac familiaritatis cum mulieribus adimere adnitantur: quæ profectò ſi quandoque ad Cœnobia venerint, non eis concedatur acceſſus, etiamſi Religioſæ ſint, & Moniales, ad Religioſos, vel loca regularia, aut Conuentualia; niſi ex certa quadam, & multùm rationabili cauſa Superior facultatem fecerit.*

Concilium Rothomagenſe anno 1581. titulo *de Monaſteriis*, numero 25. *Ingredi autem intra ſepta Monaſterij nemini liceat, cujuſcunque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopali licentia, vel Superioris in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda. Dare autem tantùm Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis: neque alius vllo modo poſſit, etiam vigore cujuſcunque facultatis, & indulti hactenus conceſſi, vel inpoſterum concedendi.*. Nota hoc decretum poſt reuocationem indultorum à Pio V. & Gregorio XIII. factum fuiſſe. Item conformem eſſe hanc conſtitutionem Synod. Trident. cap. 5. de Regularibus, ſeſſionis 25.

Concilium Rhemenſe anno 1583. tit. *de Regularibus, & eorum Monaſteriis*, numero 12. *Locos Monachorum mulieres non*

Digitized by Google

ingredientur, viciſſimque viri non intrent feminarum clauſtra, imo nec aliæ feminæ &c.

Turonenſe anno 1583. titulo *de Monachis & Monaſteriis: Inhibemus etiam eiſdem Monachis, cujuſuis Ordinis, ne mulieres cujuſcunque ſint ætatis, intra prædicta ſepta, ſeu clauſtra ſuorum Monaſteriorum, ne quidem conſanguineos ſuos Religioſos viſitandi, vel illis auxiliandi, aut alio quocunque prætextu, ſub pœnis Romanorum Pontificum conſtitutionibus ſancitis, admittant: fruſtra enim ſacrorum Canonum decretis Monaſteria ſua egredi prohiberentur, ſi, quod eſt maximè noxium in ſæculo, in illa inducere permitterentur.*

Narbonenſe anno 1609. capite 33. *de Abbatibus, Regularibus, & Monialibus. Intra Clauſtra virorum debitè diſpoſita non ingrediantur mulieres, ſub pœna excommunicationis: vbi verò clauſtra directa; aut ita diſpoſita ſunt, vt intra illa mulieres admittere cogantur: volumus ea infra tres annos, per Abbates in bonum ſtatum Regularium diſponi. Ex nunc verò prout ex tunc, mulieres domos Religioſorum, quocunque prætextu, ingredi prohibemus, aliàs excommunicationem incurrant Religioſi, & Abbates hoc ſcientes, & permittentes. Quod ſi circa prædictæ diligentes non fuerint, per Ordinarios, juxta ſacros Canones, compellantur, & contra delinquentes procedatur.*

Vniuerſim hæc Concilia loquuntur: nec Officij diuini, aut Proceſſionis, vel Concionis exceptiones adhibent. Vtrum verò admittendæ illæ ſint, quæ adhibentur à Pio V. ſupra, Epiſcoporum, & Regularium Iudicium eſſe debet: ac rem ex vtilitate, vel neceſſitate metiri oportet: &, ſi commodè in Eccleſiis hæc fieri poſſint, vix auctor eſſem ingrediendi mulieribus Monaſteria: certè ſine Epiſcopi conſenſu non licere mihi certum eſt, quia diſciplina publica eſt.

ARTICVLVS XXVIII.

NVLLA noua inſtitui poterunt Monaſteria Religioſorum, aut Religioſarum, abſque conſenſu Epiſcopi, ſcriptis conſignato. Vacante Epiſcopali Sede, juxta regulam totius Eccleſiæ, nihil innouabitur, nihil immutabitur. Religioſi de nouo inſtituti, in nullo prophano loco Miſſam celebrare poterunt ſine licentia Ordinarij; nec cum Altari portatili: neque aut ipſi, aut alij Epiſcopis inferiores, calices conſecrare poterunt, prætextu quorumcunque priuilegiorum.

Commentarius ad Articulum vigeſimum-octauum.

HOc articulo plurima continentur. Primum, ſtatuitur ne Monaſteria ſine juſſu Epiſcopi de nouo conſtituantur. Alterum, ne vacante Epiſcopali Sede Capitulum nouas Religioſas domos inſtituat. Tertium, ne in prophano loco abſque Epiſcopi deſignatione, & licentia, Miſſam, etiam cum Altari portatili, celebrare præſumant. Quartum, ne calices conſecrare audeant.

Primum ſtatuitur à Concilio Chalcedonenſi canone 8. refertur 18. quæſt. 2. *Placuit neminem aut ædificare, aut conſtruere Monaſteria, vel Oratorij domum, ſine voluntate Epiſcopi vrbis.* A Concilio Agathenſi can. 58. *Cellulas, aut Congregatiunculas Monachorum, abſque notitia Epiſcopi, prohibemus inſtitui*, refertur 18. quæſt. 2. can. *Cellulas.* Epaonenſi can. 10. *Cellas nouas*, &c. vt ſuprà. Aurelianenſi 1. can. 22. *Nullus Monachus, Congregatione Monaſterij derelictâ, ambitionis, & vanitatis impulſu, cellulam inſtruere, ſine Epiſcopi permiſſione, vel Abbatis ſui voluntate, præſumat.* Quibus vtique conformia

ſunt quæ ſtatuuntur in Concilio Nicæno 2. generali, cap. 12. *Quidam Monachi relictis Monaſteriis, vt imperent, & non obediant, domos oratorias ædificare conantur, non habentes ea quæ oportet: prohibeatur hoc ab Epiſcopo ejus loci.*

Verùm, iis hujuſmodi veteribus Conſtitutionibus omiſſis, recentiora Decreta, à quibus prouocatio non datur, præſertim vrgemus.

Alexander IV. cap. 4. *de priuilegiis*, in 6. *Auctoritate*, inquit, *Sedis Apoſtolicæ, de Fratrum noſtrorum conſilio, ſtatuimus, quòd Oratoria, vel Capellas in locis non-exemptis, ſine Diœceſanorum locorum ipſorum licentia, exempti conſtruere non præſumant; & ſi quas propter hoc exemptorum ipſorum conſeruatores in eos ſententias protulerint, illas penitus reuocamus.*

Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. non erigenda ſine auctoritate Epiſcopi noua Monaſteria, ſtatuit cap. 3. *Nec de cetero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi, in cujus diœceſi erigenda ſunt, licentiâ priùs obtentâ.* Et cap. 5. *Et quia Monaſteria Sanctimonialium extra mœnia vrbis, vel oppidi conſtituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus, ſine vlla ſæpe cuſtodia ſunt expoſita; curent Epiſcopi, & alij Superiores, ſi ita videbitur expedire, vt Sanctimoniales ex iis ad noua, vel antiqua Monaſteria intra vrbes, vel oppida frequentia reducantur, inuocato etiam auxilio, ſi opus fuerit, brachij ſecularis: impedientes verò, vel non obedientes, per cenſuras Eccleſiaſticas parere compellant.*

Clemens VIII. Conſtitutione 99. formam etiam adhibet, quam Epiſcopi ſequantur in nouis Monaſteriis erigendis, ſcilicet; *Vt locorum Ordinarij non poſſint licentiam ad nouos Conuentus cujuſcunque Mendicantium ordinis, in ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ juriſdictioni ſubjectis, erigendos impertiri; niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem ciuitatibus, & locis exiſtentium Conuentuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa ſeruatis ſeruandis cognita conſtiterit, in eiſdem ciuitatibus, & locis nouos hujuſmodi erigendos Conuentus, ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe.* Quam Conſtitutionem confirmauit Gregorius XV. Conſtitutione 31. quæ incipit, *Tum aliàs*, edita anno 1622. die 17. Auguſti, eámque ampliat *ad Monaſteria, Conuentus, domus, Con-*

gregationes, vel Societates Religioſorum, ſeu Regularium cujuſcunque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Inſtituti, in quacunque ciuitate, vel oppido, ſeu quocunque alio loco non erigendas, niſi etiam à locorum incolis, & habitatoribus Ordinarij locorum inquirant, eorúmque conſenſum requirant, & adhibeant. Erectiones verò domuum Religioſarum, abſque licentia Ordinariorum, & non ſeruatis Bullis Clementis VIII. & Gregorij XV. aut ſacrorum Canonum, & Concilij Tridentini Decretis prohibet, & damnat Vrbanus VIII. die 28. Auguſti, anni 1624. Bulla, *Romanus Pontifex*.

Hanc legem receperunt Galliæ Concilia. Rothomagenſe probatum à Gregorio XIII. titulo de Monaſteriis, num. 31. *Nemini liceat Monaſteria, vel domos, tam virorum, quàm mulierum etiam Mendicantium, aut Parœcias, aut etiam Oratoria erigere, ſine Epiſcopi (in cujus diœceſi eriguntur) licentiâ priùs obtentâ, & in eis non major numerus conſtituatur, ac inpoſterum conſeruetur, aut onera imponantur, quàm ex reditibus, vel conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.*

Concilium Burdegalenſe anno 1624. cap. 17. numero 5. *Monaſteria autem, Eccleſiæ, Conuentus, aut Collegia ædificari non poſſint, nec vlla Congregatio ſecularis, aut regularis, in quibuſcunque diœceſum locis inſtituatur, & firmetur, ſine licentia & expreſſo conſenſu Epiſcopi.*

Secunda pars ex hac prima ſequitur. Nam cùm ſede vacante aliquid innouari non liceat ex titulo 9. libri 3. cùm Epiſcopali ſede vacante non debeat aliquid innouari, cùm non ſit qui Epiſcopale jus tueatur, ex cap. 1. eodem tit. cùm nec Capitulum Præbendas conferre poſſit, cap. *illa*, eodem: cùm nec judicium habitum contra Eccleſiam, aut atteſtationes valeant, capite *conſtitutis*, ibidem; nec bona Eccleſiæ alienari poſſint, 10. quæſt. 2. canone *Si quis Epiſcopus*, & 75. diſt. canone, *Quoniam*; nec valeat ſententia contra Eccleſiam lata, ſicut nec contra minorem, qui non habet tutorem, vel curatorem, ff. de re judicata, lege *acta*, §. vltimo, & codice qui dare tutores, vel curatores, & qui dari poſſint lege *vniuerſis*: quæ lex coæua videtur Eccleſiæ; jam enim tempore ſancti

ſancti Cypriani vigebat, vt patet ex Epiſtola Cleri Romani ad Cyprianum 31. *Ante Conſtitutionem Epiſcopi nihil innouandum putauimus; ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus; vt interim dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur.* Denique cùm ex Concilio Tridentino Ordinationes Capitulo, ſede vacante, non concedantur, ſed Epiſcopo conſtituendo reſeruentur, cap. 7. Concilij Tridentini ſeſſione 7. *de reformatione*, multò magis inſtitutiones Monaſteriorum, non Capitulis, ſede vacante, tribui, ſed Epiſcopis debent reſeruari.

Tertia pars, quòd Religioſi jam in aliqua diœceſi admiſſi, jam inſtituti, in nullo prophano loco Miſſam celebrare poterunt, quantumuis Altaria habeant portatilia, abſque Ordinarij licentia; probatur primò ex antiquis Canonibus, qui benedictionem loci, & deſignationem ad vſus ſacros, vel perpetuam, vel temporalem, quibuſcunque ritibus fiat, ſolâ Epiſcopi voluntate, & arbitrio fieri ſtatuunt; itaut commodiorem ipſe locum deſignet, & deputet, & pro orationis domo Dei vice recipiat, ſacrúmque eâ ratione faciat: hæc eſt enim lex hierarchica; cùm hierarchia vniuerſa ad vniendum nos cum Deo tendat, ex Dionyſio cap. 1. *Hierarchicæ Eccleſiaſticæ*, Antiocho Lauræ Sabbæ Monacho Paleſtino hom. 122. Maximo, & aliis: ſancta verò Euchariſtia omnium hierarchicarum functionum ſumma ſit, ex eodem Dionyſio cap. 3. parte 1. quæ ſcilicet Deo nos, quantum in hac vita fieri poteſt, conjungit; & de qua ſic habetur Ioannis 6. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me;* Et c.17. *Sicut tu me miſiſti in mundum & ego miſi eos in mundum, & pro eis ego ſanctifico meipſum; vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate*, &c. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint*, &c. Quæ verba CHRISTVS in nocte cœnæ dixiſſe refertur à Ioanne: quibus conſentit Apoſtolus 1. Corinth. 10. *Vnus panis, vnum Corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* Ob hanc itaque vnitatis rationem, adminiſtrantis ſacrificium cum Epiſcopo,

in quo omnes ordines ſunt, ex Ambroſiaſt. in cap. 7. ad Epheſios, vnionem, atque conjunctionem voluit eſſe Eccleſia; *Vt nec baptizare, nec offerre, nec ſacrificium immolare, nec ſacra celebrare Sacerdoti ſine Epiſcopo licuerit*, quemadmodum præſcripſit Ignatius epiſtolâ ad Trallianos: cui ſuffragantur Arelatenſe 1. c. 19. Laodicen. can. 97. Carthag. 2. c. 9. Carthag. 3. c. 31. vtque in loco non deſignato ab Epiſcopo, ab eóque minimè benedicto, aut conſecrato, Sacrum celebrare interdictum fuerit: ita Clemens epiſt. 3. *in aliis locis ſacrificare, & Miſſas celebrare non licet, niſi in eo, in quo Epiſcopus juſſerit, aut qui ab Epiſcopo regulariter ordinato, tenente videlicet ciuitatem, conſecratus fuerit. Aliter enim non ſunt hæc agenda, nec ritè celebranda; docente nos nouo, & veteri Teſtamento: hæc Apoſtoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt.* Probat Anacletus epiſt. 1. in medio auctoritate legis diuinæ (Deuteron. cap. 12.) *Vide ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris, ſed in loco quem elegit Dominus Deus tuus.* Eum autem eligi à Deo, eíque placere ſignificat, quem Miniſter Dei, CHRISTI Vicarius elegerit, atque probauerit; itaut quidem ſinguli Epiſcopi in locis ſingulis loca deligant, in quibus, ſcilicet, *ab ortu ſolis vſque ad occaſum ſacrificetur, & offeratur nomini Dei oblatio munda*, Malachiæ 1. cap. Atque adeo non repugnat Anacletus dicto Domini, etiam in Gentibus ſacrificium Deo offerendum promittentis, Ioan. 4. *Veniet hora, quando neque in monte hoc* (Garizim) *neque Ieroſolymis adorabitis Patrem:* Et ex analogia noui, & veteris Teſtamenti rectè oſtendit ſicut deſignatio loci, & conſecratio templi pendebat à Pontifice, ita & ædium ſacrarum conſtitutio, ac ſanctificatio ab Epiſcopis, qui & multi ſunt in noua lege, ſicut & multæ Eccleſiæ, atque oratoria, quamuis in veteri lege vnus fuerit Pontifex, & vnum templum Hieroſolymitanum. Explicat hunc locum Ioannis præclarè Baſilius lib. 2. de Baptiſmo ad quæſt. 8. Deuteron. verò locum citatum ab Anacleto adducit Theodulphus infrà citandâ epiſt. ad Preſbyteros Aurelianenſes.

Relege reliquos veteres Canones Conc. Romani ſub Sylue-

Digitized by Google

ſtro in epilogo, Laodiceni, can. 57. aliàs 58. Carthag. 2. c. 9. Felicis IV. epiſt. 1. cap. 1. & epiſt. 2. ante finem, Trullanæ Synodi can. 31. Martini Bracharenſis c. 69. Cabilonenſis ſub Carolo c. 49. Aquiſgranenſ. cap. 84. Pariſienſis ſub Ludouico, & Lothario lib. 1. cap. 47. lib. 2. cap. 11. lib. 3. cap. 6. Mogunt. ſub Arnulpho cap. 9. Metenſis cap. 5. Theodul. Aurelianenſ. ad Preſbyteros Aurelian. cap. 11. can. 4. Conc. Triburienſis apud Burchardum lib. 3. cap. 56. Iuonem part. 3. cap. 59. & apud Gratian. ſine num. canonis, *de Conſecrat.* diſt. 1. c. *Miſſarum.*

Quorum canonum antiquum, & venerabilem vſum fuiſſe oſtendunt iſta. Primum, quòd Athanaſius ab Arrianis accuſatus fuerit, quòd in Baſilica nondum conſecrata, ſacrum conuentum habuerit; excuſaritque ſe Athanaſius ob neceſſitatem maximam, quæ tanta fuerit, vt cum aliis in Eccleſiis Synaxes habuiſſet diebus Quadrageſimalibus, *Ob multitudinem populorum, & in locis anguſtis plurimos pueros, nec paucas puellas, & aniculas complures, & adoleſcentes multos, afflictos jacuiſſe, ac domum delatos eſſe acciderit:* Periculum itaque fuiſſe acerbius multò, & luctuoſius ex compreſſione, & colliſione futura, ſi ipſo feſto Synaxes in Eccleſiis iſtis anguſtioribus celebraſſet, vt leges apud eundem Athanaſium, Apologia 1. epiſt. 682. tom. 1. Alterum, quòd inter capita ſimiliter intentatæ aduersùs ſanctum Chryſoſtomum accuſationis in Synodo ad Quercum 13. legatur, quòd extra Sacrarium Preſbyterorum, & Diaconorum ordinationes feciſſe diceretur, quemadmodum ferunt Acta Synodi apud Photium in Bibliotheca, & Leunclauium lib. 9. Iuris Græco-Romani. Tertium, quòd Baſilius lib. 2. de Baptiſmo quæſt. 8. *An acceptum ſit Deo opus præcepti, non competenter juxta rationem præcepti factum*, exemplum negatiuæ reſponſionis illud adferat: quia *quædam Hieroſolymis aſſignata fuerant, & qui extra feciſſent, periclitabantur: quædam verò adhuc ampliùs, in ipſa quoque Hieroſolyma, magis templo, & ara, quàm aliis locis deputata erant, vtpote diuino cultui adordinata: & quæ in templo, & ara fiebant, nemo audebat in aliis locis facere; nec quæ aliis in locis fiebant, licebat mox in aliis quoque*

Digitized by Google

locis fieri. Nobis quoque periculum malè obiti mandati, ſi loci rationem neglexerimus, maximè ſi Sacerdotij myſteria in locis prophanis celebrauerimus: propterea quòd ea res indicium haberet contemptus in celebrante, offendiculum quoque generaret pro varietate affectionum multifaria, propter variam multorum in rerum diuinarum ſcientia infirmitatem, &c. Vltimum denique quòd Iuſtinianus fusè nouella 58. ἱερὰς μυσταγωγίας, ſeu *ſacram functionem*, in priuatis domibus interdictam, jubeat.

Hæc autem vix decere oſtendunt Mendicantes talia priuilegia expetiiſſe. Referunt tamen Bullam Sixti IV. quam Mare Magnum appellant, quam habet Confeſtius *in collectione litterarum, Apoſtolicarum, & priuilegiorum Regularium Mendicantium*, cui hæc Bulla Gregorij inſeritur, hanc clauſulam continens: *In quibus autem degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum Altari portatili poſſitis Miſſarum ſolennia, & alia diuina Officia celebrare, ac etiam recipere Eccleſiaſtica Sacramenta.* Nihil autem hæc clauſula concedere poteſt, niſi celebrationem in loco prophano Mendicantibus permiſſam, dummodo habeant Altare portatile.

Sed iſtud priuilegium à Gregorio II. Mendicantibus conceſſum, & à Sixto confirmatum, ceſſare per decretum Concilij Tridentini notat Confeſtius Summarij tit. 19. cap. 2. Nam ſacrum iſtud Concilium ſeſſ. 22. decreto *de euitandis, & obſeruandis in celebratione Miſſæ*, Epiſcopis committit, *ne patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum cultum tantùm dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium à Secularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi.*

Secundùm quam legem ſtatuunt Gallicana Concilia à Gregorio XIII. probata. Rothomagenſe tit. *de ſacrificio Miſſæ*, num. 6. iiſdem ferè verbis. Rhemenſe ſub Cardinale de Guiſia, tit. *de Euchariſtia*, num. 16. *At extra Eccleſiam, & Oratoria, diuino cultui dicata, nemini rem ſacram facere liceat.* Turonenſe *de Euchariſtia, & Miſſæ ſacrificio* ſtatim initio, *Sacrificium Miſſæ, cùm ſit auguſtiſſimum, ac digniſſimum, ideóque nonniſi quàm digniſſimè, ac honeſtiſſimo loco tractari debeat: nulli*

Digitized by Google

Preſbytero Seculari, vel Regulari in priuatis domibus, nec etiam Nobilium, aut aliorum Potentum, juxta ſacros Canones, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo jure incurrenda, celebrare liceat. Quæ Bituricenſe ſupponit canone 4. *de Eccleſiis, & Baſilicis.* Confirmant autem Tholoſanum ſub Cardinale à Ioyoſa cap. 6. num. 4. *Miſſæ in Eccleſiis tantùm publicè, non priuatim in ædium Oratoriis, ab Epiſcopo non temerè vnicuique concedendis, niſi perneceſſarium ſit, accedátque Epiſcopi venia, celebrentur.* Narbonenſe ſub Ludouico de Veruins cap. 19. *Non celebrentur Miſſæ in domibus etiam Magnatum, & Potentum, niſi eſſet Sacellum ad hoc ſpecialiter conſtructum, & per Epiſcopum, aut de ejus mandato benedictum, niſi etiam Altare portatile conſecratum.* Quibus conſentiunt quæ de Cardinalibus in Concilium Tridentinum refert Gutierres lib. 1. Canonicarum quæſt. cap. 30. num. 28. non debere permitti, niſi propter neceſſitatem, Miſſarum celebrationes in domibus priuatis, in Oratorio ad diuinum cultum tantùm dedicato, & in Altari, iiſce conditionibus, quas adhibere ſolet Papa. 1. Vt oratorium decens ſit, ornatum, & ab omnibus domeſticis artibus liberum. 2. Vt nulli addicatur Sacerdoti Miſſæ in eo Sacello celebratio. 3. Vt excipiantur majora feſta Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Natiuitatis Domini. 4. Vt alij præter familiares domus exinde à Miſſæ Parochialis auditione diebus Dominicis, & Feſtis, non auocentur: vide etiam Summam Bullarij Quarantæ, verbo *Miſſa.*

Quarta pars, Quòd Mendicantes non poſſint benedicere Calices, probatur: quia certiſſimè nec id eis jus concedit, quod Epiſcopis ſtabiles rerum benedictiones, vtpote ordine, & gradu perfectiuis, ex Gregorio Maximo, & aliis, reſeruat; quod ipſum Pontificalia omnia, euchologia, omniúmque Chriſtianorum vſus oſtendunt. Nec priuilegium Sixtus IV. valet: Nam apud Bochellum inter ea quorum benedicendorum facultas dari dicitur, nullum de Calicibus verbum habetur. Imo & Calicum, & aliorum ad quæ conſecranda chriſma adhiberi mos eſt. Conſecrationes excipit Leo X. in ſupplemento priuilegiorum Apoſtol. folio 110. conceſſ. 36. prout citatur à Roderico tom 1. quæſt. 2.

art. 2. excipit etiam Pius V. in addit. ad compend. Mendic. prout refert Alfonſus de Caſarubiis Capucinus. Refert autem prædictus Rodericus art. 4. à Sixto III. *corrige* IV. conceſſum Mendicantibus, vt ab Epiſcopis ſibi notis, calices, & alia vaſa ſibi conſecrari procurent: ſed id reuocatum à Tridentino Concilio ſeſſ. 6. de reformatione, cap. 5. quo Epiſcopo cujuis ſine Ordinarij licentia, Pontificalia omnia interdicit.

ARTICVLVS XXIX.

QVI ex peculiari priuilegio ornamentis Eccleſiæ, Imaginibus ſacris, Corporalibus benedictionem largiuntur, facere hæc non poſſunt præterquam in propriis domibus, & in earum vſum; quemadmodum nec benedicere Oratoria, & Cœmeteria, aut Eccleſias reconciliare ſine permiſſione Epiſcopi diœceſani, ſcriptis conſignata. Abbates quoque Regulares, qui habent priuilegium deferendi Mitram, & baculum paſtoralem, eo priuilegio non gaudebunt, niſi in quantum receptum erit. Abbates verò Commendatarij crucem pectoralem geſtare non poterunt, nec ſacram epomidem, quam camalium vocant, quod ſignum eſt juriſdictionis purè Epiſcopalis, ſed ſolum rochetum ſub palliolo, aut pallium ad libitum.

Commentarius ad Articulum vigeſimum-nonum.

SVNT quædam Sacramentalia, ſeu benedictiones, conſecrationes, & deſtinationes ad cultum diuinum, vſúmque ſacrum, quæ ex prædictis Epiſcopali ordini tanquam perfectiuo, ac conſecratorio, tribuuntur, eo etiam titulo,

Digitized by Google

quòd ſicut ſoli ipſi perſonas ad cultum diuinum conſecrare, deſtinare, & ordinare poſſunt, propter quod à ſancto Epiphanio ordo generatiuus non tantùm filiorùm, ſed & Patrum vocatur: ita & ſoli ex ſuo gradu, ſuóque ordine poſſunt res quaſcunque ad vſum ſacrum perpetuò deſtinare, & cultui diuino addicere, non tantùm ad gradus Sacerdotalis dignitatem; verùm etiam ad Eccleſiæ vnitatem, vt omnis benedictio ab vno ſit principio, & omnis vnguenti myſtici perfuſio à capite deſcendat in barbam, barbam Aaron; Sacerdotes ſcilicet, & Epiſcopos, Aaronem referentes, Sacerdotalis familiæ parentem, & Leuiticæ Tribus rectorem, ac ducem; qui barbatus propter fortitudinem virilem, dignitatíſque conſtantiam in Scriptura refertur, interprete Auguſt. in Pſalmum 132. Exinde verò in oram veſtimenti Eccleſiæ defluat, id eſt, in ceteras etiam viliores Eccleſiæ perſonas, & in res quaſcunque inferioris gradus ad diuinum cultum deſeruientes.

Eam tamen præeminentiam affectarunt Monachi, quemadmodum & dignitatis Pontificalis inſignia: quinimmo & Abbatibus ſuis eaſdem prærogatiuas obtinuerunt à Summis aliquando Pontificibus, quas Epiſcopis in honorem, & venerationem dignitatis Eccleſia prioribus temporibus dederat: quod vtique ægrè tuliſſe videtur Bernardus, epiſt. 42. ad Henricum Senonenſem: *Apertè*, inquit, *indicant quidam horum quid cogitent, dum multo labore, ac pretio Apoſtolicis adeptis priuilegiis, per ipſa ſibi vindicant inſignia Pontificalia, vtentes & ipſi, more Pontificum, mitrâ, annulo, atque ſandaliis. Sanè ſi attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret profeſſio: ſi miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus; profectò eſſe deſiderant quod videri geſtiunt, meritóque non queunt eſſe ſubjecti, quibus jam ipſo ſe comparant deſiderio. Quod ſi & nomen eis conferre priuilegiorum poſſet auctoritas, quanto putas auro redimerent, vt appellarentur Pontifices? Quo iſta, non Monachi? Vbi timor mentis? Vbi rubor frontis? Quis vnquam probatorum Monachorum tale aliquid, aut verbo docuit, aut reliquit exemplo? Duodecim humilitatis gradus Magiſter veſter ediſſerit, propriíſque diſtinguit deſcriptionibus; in quo, quæſo, illorum docetur, aut*

Digitized by Google

continetur, vt hoc faſtu delectari Monachus, has quærere debeat dignitates.

Verùm vſu recepta ſunt plurima ex iſtis: Innocentius VIII. anno 1487. vt refertur in libro priuilegiorum Ciſtercienſium apud collectorem compendij Ordinis, §. 2. & apud Alphonſum de Caſarubiis Capucinum in additionibus ad compendium Mendicantium, folio 135. *Conceſsit Prioribus dicti Ordinis, & Vicariis, in abſentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen cujuſcunque Monaſterij, poſſe benedicere Corporalia, Veſtimenta, ceteráque Ornamenta Eccleſiaſtica, ad cultum diuinum pertinentia, tam ſui Monaſterij, quàm etiam vndecunque ſint.*

Leo X. in ſupplemento priuilegiorum Apoſtolicorum, folio 116. Conceſſione 35. *Conceſsit Generalibus, Prouincialibus, & Cuſtodibus, necnon & Guardianis Fratrum minorum de Obſeruantia, pro tempore exiſtentibus, vt omnia, & ſingula de ejuſdem Ordinis obſeruantia, Eccleſias, & Cæmeteria, Capitula, & Oratoria vbicunque exiſtentia, tam recepta, quàm recipienda, ac paramenta, & ornamenta, & alia quæcunque, ad diuinum cultum, & vſum Fratrum neceſſaria, in quibus chriſma non interuenit, pro eorúmdem Fratrum vſu tantùm, ſolenni benedictione valeant benedicere; & voluit quòd hoc idem poſsint alij ejuſdem Ordinis, qui ad hoc, in Capitulis generalibus deputati fuerint.*

Bonifacius IX. apud Confeſtium in collectione priuilegiorum, Bulla prima: *Hinc eſt*, inquit, *quòd nos ipſorum Magiſtri, Priorum, & Fratrum in hac parte, deuotis ſupplicationibus inclinati, & felicis recordationis Honorij IV. Clementis IV. & Bonifacij VIII. ac nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes concedimus, vt de cetero perpetuis futuris temporibus hujuſmodi Fratres, vbilibet conſtituti, candelas, aquam, ſal, palmas, & alia ornamenta in eorum Eccleſiis, ſeruatis ſolennitatibus conſuetis, benedicere poſsint. Et ſi forſan Diœceſani locorum ſuper hoc requiſiti, infrà quatuor menſes id facere recuſauerint, vel (quod abſit) eoſdem Fratres propterea in expenſis, aut aliàs indebitè grauare præſumpſerint, ex tunc prædicti Fratres, eorum Eccleſias, Cæmeteria, Oratoria, Altaria,*

Digitized by Google

Altaria, à quocunque maluerint Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem præfatæ Sedis habente, conſecrari, & benedici, ac primum lapidem inibi poni curabunt, quoties fuerit opportunum, vlteriori licentia Diœceſanorum hujuſmodi ſuper his minimè requiſita.

Lectione verò, & examine Bullarum iſtarum apparet, 1°. quidem Bonifacium IX. expreſſiſſe, ne eas benedictiones Religioſi facerent, niſi in ſuis Eccleſiis: quæ conditio indubitata eſt. Nam extra Eccleſias ſuas certum eſt nihil poſſe, niſi quod concedunt Eccleſiarum aliarum Rectores, & quidem ex permiſſu ipſius Epiſcopi; cùm nec Miſſam celebrare injuſſu ejus poſſint. Vnde Cæremoniale Benedictinum cap. 15. *Solius*, inquit, *Abbatis eſt in Monaſterio benedicere corporalia, pallas, & cetera Altaris veſtimenta.* Præterea neque publicè, neque paſſim per vias, & in alienis Eccleſiis Abbatibus benedicere permiſſum ſtatuit Alexander IV. cap. *Abbates, de Priuilegiis*, in 6. multò minùs ergo corporalia, & cetera ornamenta. Quare quantumcunque Leo X. hujus conditionis non meminerit, certum eſt tamen ſuppoſuiſſe tanquam notam, & probatam.

2°. Statuendum pariter eſt, etiamſi Bonifacius IX. ſuâ Bullâ non expreſsè reſtrinxerit facultatem benedicendorum ornamentorum, ad ornamenta Monaſteriorum, & quæ in vſum Monachis forent, tamen videri id ſuppoſuiſſe; quia eo tantùm fine conceſſa fuerunt hæc priuilegia, ne Monachi grauarentur ad Epiſcopum recurrere, non autem vt ſeipſos tanquam Epiſcopos oſtentarent aliis, ſéque ſuper alios efferrent. Innocentius verò VIII. qui expreſsè meminit facultatis datæ Prioribus Ciſtercienſis ordinis, benedicendi ornamenta Eccleſiaſtica *tam ſui Monaſterij, quam etiam vndecunque ſint* audiendus non eſt: quia priuilegium hoc Leo X. ipſo poſterior reſtrinxit *ad paramenta, & ornamenta, & alia quæcunque ad diuinum cultum, & vſum Fratrum neceſſaria.* Item, *pro eorumdem Fratrum vſu tantùm.* Itaque cùm poſteriora decreta derogent prioribus; poſterius quoque priuilegium Leonis X. prioribus derogat: & exceptio iſta à Leone adhibita firmat Regulam, ſcilicet pro aliorum vſu Religioſos ſolenni benedictione ornamenta benedicere non poſſe.

Digitized by Google

3°. Priuilegia eiſdem Fratribus conceſſa à Bonifacio IX. Innocentio VIII. & aliis, ſi qui ſunt, vt Epiſcopum quemuis accerſant, & ab eo Eccleſiarum, Cœmeteriorum, Altarium, vaſorumque conſecrationem accipiant, reuocata ſunt à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de reformatione cap. 5. quo, abſque licentia Ordinarij, nulli Epiſcopo Pontificalia exercere permittitur. Quod pariter à Leone X. in Concilio Lateranenſi ex parte ſtatutum fuerat, ſeſſione 11. Bullâ, *Dum intra*, his verbis: *Nec ab alio Epiſcopo conſecrationem Eccleſiæ, vel Altaris, aut Cœmeterij benedictionem petere, ſeu in Eccleſiis per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum Epiſcopum poni facere poſſint, niſi vbi Ordinarius bis, aut ter cum debitis reuerentia, & inſtantia requiſitus, ſine legitimâ causâ id recuſauerit:* dixi ex parte fuiſſe ſtatutum. Nam adſtrinxit quidem Concilium Lateranenſe Religioſos, vt à ſuis Epiſcopis benedictiones iſtarum rerum, & conſecrationes peterent: at priuilegium eis videtur conceſſiſſe ab alio accipiendi iſta, renuentibus propriis Epiſcopis. Concilium autem Tridentinum dum abſolutè & ſimpliciter alienum Epiſcopum accerſiri ad iſta prohibet, ſine licentia Ordinarij, priuilegium hac in parte à Lateranenſi conceſſum, irritum reddit. Friuola ſiquidem eſt diſtinctio quorumdam, qui dicunt jus commune eſſe, quòd renuente Epiſcopo, Religioſi ſibi iſta neceſſaria prouideant, & ab alieno Epiſcopo petant, quod proprij indebitè renuunt. Quis enim, niſi fortaſſe priuilegium concedendo, Religioſis ad ſupplendam negligentiam Prælatorum majorem poteſtatem dedit, quàm reliquis Eccleſiis, aut Eccleſiarum, verbi gratia, Parochialium Rectoribus? Si ergo id illis conceditur, quis non ex priuilegio conceſſum arbitretur, cùm æqua non ſit ceterorum lex, nec jus omnibus commune? Præterea quis dicat jure communi Religioſis ea eſſe conceſſa, quæ Epiſcopalis ſunt Ordinis, quæ pluribus Canonibus vetita ſunt, & prohibita? cujuſmodi eſt benedictio Eccleſiarum prohibita à Damaſo epiſt. 4. de Chorepiſcopis, Leone epiſt. 86. ad Epiſcopos Germaniæ, Bracarenſi 1. canone 37. Hiſpalenſi 2. canone 7. Toletano 9. canone 7. Wormatienſi can. 8. Metenſi can. 5.

& recentiori jure; cum vel ipſarum Eccleſiarum reconciliatio Sacerdotibus inferioribus prohibita ſit, & adempta Epiſcopis poteſtas ſecundi ordinis Sacerdotes deputandi ad eam peragendam: capite *Aqua, de conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris*, quod eſt Gregorij IX. Quare ridiculum eſt dicere, renuentibus ſaltem Epiſcopis Eccleſias Monachorum conſecrare, vel reconciliare, jure communi Monachos habere poteſtatem illas reconciliandi, & conſecrandi; cum nec concedentibus Epiſcopis, ſecundùm jus commune à Gregorio IX. probatum, poſſent. Quis verò conſtituit Religioſos judices Epiſcoporum, vt nempe in propria cauſa judicent, vtrum debitè, vel indebitè conſecrationem Eccleſiæ ſuæ renuant? Si hæc eis facultas conceditur, profectò ex priuilegio, eóque ampliſſimo, ac Epiſcopis moleſtiſſimo id habent. Quare ſicut Concilium Tridentinum negauit ſimpliciter Epiſcopos, etiam ab exemptis Religioſis vocari poſſe, vti Pontificalia exerceant in aliena diœceſi, ſine licentia Ordinarij; ita omnino vetuit conſecrationes Eccleſiarum, Altarium *&c.* ab alieno Epiſcopo attentari; ſiue proprius renuerit, ſiue non: nec habent Epiſcopi ſuperiores judices à quibus ad officium compellantur, vt vel ipſi Eccleſias conſecrent, vel ab aliis conſecrari permittant; nec eò res reducta eſt, vt poteſtas Superioris ordinis, exinde ad inferioris ordinis Sacerdotes transferatur, aut in propria cauſa Epiſcopos judicent illi, qui ſunt inferioris ordinis.

Itaque ex iis patet, nullam, ex Bullis ſuperiùs aſſignatis, Religioſos habere facultatem conſecrandi Eccleſias, Altaria, Calices, quam non habeant ceteri Sacerdotes: poſſe quidem ornamenta, paramenta, vt vocant *&c.* benedicere, ſed in ſuum tantùm vſum, & Monaſterij ſui. Cui quidem vltimæ parti confirmatio accedit ex Capitulo Mecliuienſi Fratrum Minorum apud Rodericum tomo 1. quæſtione 19. articulo 2. in quo determinatum fuit poſſe benedictionem iſtorum celebrari ab ipſis *pro Fratribus, Monialibus, & Tertiariis, & nullo modo pro aliis extra ordinem.* Non enim ſolum vſum limitant; ſed & poteſtatem vtendi ſibi non conceſſam declarant: quorum quidem auctoritas non eſt parui

Mmm ij

Digitized by Google

rum, vel Altarium, nec reconciliationem ipſam Eccleſiarum, aut cœmeteriorum, quæ faciliùs concedi poſſe videretur, ab Epiſcopo Preſbyteris committendas. Primò, quia eſt contra jus commune, contra quod, præſertim antiquum, & à majoribus acceptum non debet facere Epiſcopus, maximè in re adeò viſa graui, vt contra legem agens depoſitione plectendus, ejuſque actio nulla, & irrita judicetur. 2. Quia eſt contra inſtitutionem, & ordinationem CHRISTI, quâ ſolis Epiſcopis iſtarum functionum executio, non legis iſtius mutatio committitur. 3. Quia hæ functiones ſunt functiones Ordinis, quas tam inferioris ordinis Miniſtris, quàm iis qui ordinariè commiſſi ſunt, Epiſcopus tribuere non poteſt.

In contrarium verò eſt receptus vſus non vnius Prouinciæ, ſed ferè omnium Chriſtiani orbis; non quidem quoad conſecrationem Eccleſiarum, vel Altarium; ſed quoad reconciliationem Eccleſiarum, vel Cœmeteriorum per aquam ab Epiſcopo benedictam; itaut Epiſcopus cauſa Princeps hujus reconciliationis videatur; Sacerdotes inferiores deputati, inſtrumenta. Abſtinetur autem in hac reconciliatione à chriſmate, cujus applicatio ſpecialiter ad Epiſcopos ſpectat: quia ſicut chriſmatis confectio Epiſcopo demandata eſt à CHRISTO ſingulariter, quia denotat CHRISTVM omnis ſanctitatis auctorem; ita & ejus applicatio, propter conſtantem, & perpetuam ſanctitatem, quam res, quæ eo liniuntur, exinde acquirunt & ſeruant, ferè vt homines characterem. Ad hunc effectum ſignificandum, quæ conſecrantur Eccleſiæ, vel Altaria, chriſmate ſanctificantur, perpetuam ſanctitatem aſſecutura: quæ licèt actione enormi ſuſpendatur in Eccleſiis, & cœmeteriis, adeóque aquâ adhæreſcentes maculæ elici ſignificentur in reconciliatione, non tamen iterum conſecrantur. Quare non facilè audebo condemnare hunc morem committendi ad reconciliationem pollutæ Eccleſiæ, vel cœmeterij, etiam ſimplices Sacerdotes: ſed ſicut in fine præfati capitis, Summus Pontifex reconciliationem, quæ jure nulla fuerat declarata conſentaneè Leonis, Damaſi, & Hiſpalenſis 2. Synodi decretis, mandantibus Epiſcopis actam

miſericorditer tolerat, nec repeti in Epiſcoporum injuriam, & Eccleſiæ ſcandalum jubet: ita forſan dici poteſt idem Summus Pontifex, quia conſuetudinem adeò receptam extirpare vix potuit, peragendas demum reconciliationes hujuſmodi per ſimplices Preſbyteros permittere: quo in caſu vtcunque mutat naturam rei, vt habet Gloſſa in idem cap. *Quia*, inquit, *poteſt princeps mutare naturam rei, C. de rei vxoriæ actione*. L. *vnica, circa principium*. Mutatio autem quam facit Papa in permittenda iſta reconciliatione ſimplici Preſbytero, in eo eſt quod reconciliationem, quæ tanquam vna moraliter cum actione conſecrationis Eccleſiæ, & benedictionis cœmeterij, ad eandem vtique ſanctitatem tendens, cenſebatur, disjungat; ita vt Miniſter inferior poſſit reſtituere vſum ſanctificationis ſuſpenſum per pollutionem vtriuſque loci, cui ſuperior veluti characterem dederat, & effectum non amiſſibilem, quanquam antea ex lege Eccleſiæ ejuſdem Miniſtri functio eſſe videbatur. Quicquid ergo de conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris ſtatuatur, qua de re jam non diſputo, probabilem judico ſententiam non improbantium dari hocce tempore ſimplici Preſbytero ex diſpenſatione, & indulgentia Pontificia, reconciliandi facultatem.

Quod ad inſignia Abbatum ſpectat: Gauantus parte 2. tit. 1. Theſauri ſacri cit. refert ex actis Concilij Beneuentani Vrbanum II. ſancto Petro Cauenſi Abbati Cluniacenſis Ordinis primùm mitram dediſſe, qui quidem eam vt ſibi minùs congruam recuſabat: alij verò docent ante annos 1000. Syluestrum II. Abbati ſancti Sauini Placentiæ, & Leonem IX. anno 1043. Abbati S. Iuſtinæ Patau. His inſignibus infenſum legimus ſanctum Bernardum initio articuli: infenſiorem Petrum Bleſenſem epiſt. 9. *ad fratrem ſuum Guillelmum Abbatem*. Ambiri iſta, cum inuſitata erant, meo judicio, vix ſine ſuperbia poterant: vti verò conceſſis, ab iis nempe qui tribuere poſſunt, præſertim ſi ſint recepta, nec laudo, nec vitupero. Sed nemo ſui gradus menſuram excedat, nemo Eccleſiæ legem tranſgrediatur. Profectò nec Abbates Commendatarij, nec alij Sacerdotio nondum initiati, etiam eorum Monaſteriorum quibus jus iſtud conceſſum fuit,

Digitized by Google

videntur inſignibus Pontificalibus vti poſſe. Primò, quia ornamenta Pontificalia conceduntur Abbatibus propter inferiora quædam Pontificia ipſis conceſſa, cujuſmodi ſunt Tonſuræ, minorum Ordinum, vel ſaltem Lectoratus, aut Pſalmiſtatus collatio, ornamentorum, veſtiúmque ſacrarum, Crucis, & aliorum ſimilium benedictio. At hæc nonniſi Abbatibus Sacerdotio præditis, ac benedictis conceduntur, can. 1. diſt. 69. §. *Lectoris.* cap. 1. *de ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiauit*; quibus in locis agitur de Ordinatione; vt in priuilegiis datis Abbatibus Ciſtercij & 4. primis Abbatibus hujus Ordinis ab Innocent. VIII. ad petitionem Ioan. Abbatis Ciſtercij, & aliis paſſim. Igitur nec Pontificalia inſignia videntur ipſis competere, qui has duas conditiones non habuerint. 2. Quia nec videntur mitram, aut baculum vnquam in Eccleſia ferre, vſúſque iſte minimè probatus eſt in Eccleſia. 3. Quia nec Abbatibus commendatariis Senatus Pariſienſis permiſit vt in peculium Monachi demortui ſuccedant, quia Romanis legibus paterni erat in liberos imperij, ac dominici in ſeruos argumentum, quod proinde abjudicatum Abbatibus in Cœnobitas, in quos paternum nullum imperium exercent, Senatuſconſulto, 3. Calendas Septembris ann. 1591. Vnde & iſti Abbates fiduciarij, ſeu commendatarij inferiores Titularibus declarantur à Greg. XIII. in reſponſione ad 3. difficultatem à Concilio Rothomagenſi propoſitam. Inter Abbates quoque regulares benedictos, diſtinctio adhibenda eſt, vt habetur cap. *vt Apoſtolicæ*, de priuil. in 6. vbi Clemens IV. *de fratrum*, inquit, *noſtrorum conſilio præſenti Decreto ſtatuimus, vt Abbates, & alij, quibus mitræ vſus ab eadem Sede conceſſus, exempti quidem in prouincialibus Conciliis, & Epiſcopalibus Synodis (quibus nonnulli eorum intereſſe tenentur) mitris tantummodo aurifriſiatis, non tamen aureas, vel argenteas laminas, aut gemmas habentibus, vti poſſint: Non exempti verò ſimplicibus, & albis, ac planis vtantur. In aliis verò locis exemptis, & non exemptis, mitris liceat illis vti, prout conceſſa eis ab eadem Sede indulta permittunt.*

Crucem pectoralem ferre olim ſaltem Abbatibus minimè permiſſum fuit: quod his argumentis probat illuſtriſſimus

Digitized by Google

Epiſcopus Tullenſis, antiquitatis Eccleſiaſticæ illuſtrator egregius lib. 4. *Epiſcopalis panopliæ*. 1. Quia ex Conc. 8. generali Crux illa pectoralis ita Epiſcopis propria apparet, vt hujus ſolenni receptione Pontificio gradui reſtituti Epiſcopi viderentur. 2. Quia antiquioris notæ indulta Abbatibus priuilegia mitram tantùm Epiſcopalem, baculum paſtoralem, & alia Pontificia ornamenta, etiam ſandalia laudant; de Cruce pectorali ne verbum quidem faciunt: quare cùm *nemo ſibi debeat ſumere honorem* ad Hebr. 5. Crucem pectoralem nec debitam Sacerdotali ordini, nec aliunde conceſſam, ſumere ſibi non debent Abbates. Nec valet argumentum Raderi, qui de Abbate quodam anonymo ſuccenſo refert repertum illum catenâ ferreâ vinctum, & è collo pendulam gerentem Crucem ſacris reliquiis inſtructam. Nam hæc non de Cruce pectorali patente, ſed de latente ſub veſtimentis Cruce intelligenda ſunt.

Porro Abbates regulares ordinis ſancti Benedicti, & aliorum Ordinum (præterquam ordinis Canonicorum Regularium cujus vel ipſi Clerici rochetum, vt vocant, ſeu ſupparum, aut lineam veſtem, cujus ſtrictæ ſunt manicæ, veſtibus propriis ſuperinduunt) non ſolent rocheto iſto ornati procedere. Primò enim rubricæ Pontificalis Romani *de præparatione Sacerdotis celebraturi: Induit ſe*, inquiunt, *ſi ſit Prælatus ſecularis ſupra rochetum, ſi ſit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos ſecularis ſupra ſuperpelliceum, ſi commodè haberi poſſit; alioquin ſine eo, ſupra veſtes communes*. Vnde colligitur Prælatum regularem non habere pro ordinaria veſte rochetum, ſicut nec reliquos Sacerdotes; illud tamen induere poſſe vbi ad celebrationem Miſſæ ſacras veſtes aſſumunt.

Similiter cæremoniale Epiſcoporum in Synodo Epiſcopali, Abbates benedictos cum pluuialibus, & mitris ſimplicibus indutos nobis exhibet, lib. 1. cap. 31. poſt eos verò commendatarios. Conſentit rituum Eccleſiaſticorum, ſiue ſacrarum cæremoniarum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctor Marcellus electus Archiepiſcopus Corcyrenſis, Leonis X. tempore, lib. 3. ſect. 3. habitum Prælatorum in curia Romana nobis

Digitized by Google

nobis referens. Nam cap. 8. concionantem in habitu Pontificio Abbatem pluuiali, & mitrâ ornatum deſcribit: electum verò tantùm, & ſecularem concionantem in cappa ſupra rochetum. Ex quibus conſtat Abbates etiam benedictos (præterquam ordinis Clericorum Regularium) religioſas veſtes induere, nec in vllo conceſſu geſtare rochetum, ſed in ſolennioribus conuentibus pluuialibus ſupra amictum, & mitris ornatos eſſe; in aliis verò, minùs ſolennibus religioſis veſtimentis duntaxat indutos: celebraturos autem Sacrum ſuperpellicium, ſicut & reliquos Sacerdotes induere. Conſtat pariter Abbates electos, & Seculares rochetum induere poſſe, dummodo ſupra illud vel cappas habeant, vel pallia; aut, ſi celebraturi ſint, reliquas ſacerdotales veſtes: nunquam autem ipſis rochetum cum mozeta, vt Itali vocant, ſeu cum camalio induere licet.

Rochetum porro idem genus veſtis ac lineam pontificalem, colligit Baronius ad ann. 261. ex Pontio Diacono, qui in vita ſancti Cypriani ait eum propè martyrium remanſiſſe in linea, id eſt in rocheto, vt interpretatur Baronius: quâ ſimili phraſi vtitur Martyrologium 26. Nouembris, vbi ſanctus Alexander Epiſcopus, & Martyr ſub Antonino dicitur *ſuſcepiſſe gladium ſtans in linea.* Contrarius tamen mos eſt minoris noſtræ Britanniæ, in qua in comitiis publicis omnium ſtatuum Abbates commendatarij cum rocheto, & mozeta, ſeu camalio cum Epiſcopis deliberant.

ARTICVLVS XXX.

NON poterunt ſimiliter vlli Religioſi litteras teſtimoniales dare de vita, moribus, religione, & natalibus, neque litteras commendatitias in gratiam Secularium, vel aliarum perſonarum, quæ non ſunt Ordinis ipſorum; cùm id ſolum ad Epiſcopos, eorúmque Vicarios, aut ad Curatos pertineat.

Digitized by Google

Commentarius ad Articulum trigeſimum.

SVPERIVS ad articulum quartum docuimus quaſdam eſſe litteras, quæ à ſolis Epiſcopis dantur, & quæ formatæ vocabantur ; de quibus iterum alibi loquuti fuimus. Eæ nimirum ſunt, de quibus Concilium Antiochenum c. 8. ſecundùm verſionem Dionyſij Exigui : *Presbyteri*, inquit, *qui ſunt in agris, canonicas epiſtolas dare non poſſunt ; ad ſolos tantùm vicinos Epiſcopos litteras deſtinabunt : Chorepiſcopi autem* (quos Iſidorus ad præſentem Canonem, & Fulgentius Ferrandus in breuiatione Canonum, c. 80. Vicarios Epiſcoporum interpretantur) *qui ſunt irreprehenſibiles, dare poſſunt pacificas*, hoc eſt, generales epiſtolas, quas ſcilicet Iſidorus, & Fulgentius Ferrandus ſuprà formatas vocant.

Ex hoc Canone apparet duo diſtingui epiſtolarum genera: alias nempe, quæ non ſolùm ad finitimos Epiſcopos dirigebantur, ſed ad omnes per Eccleſiam Catholicam diſperſos Epiſcopos, & canonicæ dicuntur, quaſi Legales & Regulares, hoc eſt ab habentibus auctoritatem emiſſæ : formatæ item, quia formam habent ſtatutam, ac fixam, & concepta quædam verba, non ſecus ac publica inſtrumenta, & edicta ; quo ſenſu *formales epiſtolas* vocat Suetonius in Domitiano c. 13. Vocatæ ſunt pariter pacificæ, generales, Catholicæ, quia per eas in communionem totius Eccleſiæ Catholicæ admittuntur illi quorum in gratiam ſunt, quæ communio cùm nonniſi ab Epiſcopis petenda ſit, quorum per totam Eccleſiam Epiſcopatus vnus eſt, vnúmque Sacerdotium, ideo eæ duntaxat epiſtolæ ab Epiſcopis, vel eorum Vicariis, ipſorum auctoritate dantur, Epiſcoporúmque ſigillo muniuntur. Aliæ verò magis priuatæ ſunt, atque ideo etiam à Presbyteris vicanis dari poſſunt, ſeu à Curatis ruralibus ad vicinos ſaltem Epiſcopos, ac ſibi notos, quibus Parochianos ſuos illis commendent, vitam nempe illorum, probitatem, ac fidem laudantes : nec ſine illis peregrinari Parochianis olim fas erat. Has fortè Regularibus aliquando ſcribere licitum : Illas verò, hoc eſt Canonicas, & formatas nuſquam : Immo verò neutras ſcribere debent, ſaltem in

Digitized by Google

gratiam Secularium, quia Seculares ſunt extra ipſorum curam.

De prioris autem generis Epiſtolis, præſertim videtur locutum Concilium Aurelian. 2. can. 13. *Abbates, Martyrarij, Recluſi, vel Presbyteri apoſtolia dare non præſumant*; & Turonenſe 2. can. 6. *Vt nullus Clericorum, vel laïcorum præter Epiſcopos, epiſtolia facere præſumat*. Epiſtolia ergo, ſeu apoſtolia litteræ ſunt Epiſcopales authenticæ *de vita, moribus, & religione*, datæ, quæ in judicium prolatæ, innocentiæ alicujus fidem faciunt, & reum ipſum, cui objecta fuiſſent crimina, purgant, atque ab omni ſuſpicione liberant, vt colligitur ex can. 11. Concilij Chalcedonenſis, præſertim ſecundùm explicationem Zonaræ, & Balſamonis, qui ſuſpectis præſertim dandas eſſe epiſtolas commendatitias ſtatutum dicunt per hunc Canonem: de quibus diſſident Iuo, & Burchardus aliam fortè verſionem ſequuti, ſed hoc diſſidium nihil ad rem noſtram pertinet.

De iiſdem litteris intelligendum eſt, quod ſcribitur in epiſt. Clodouæi Regis ad Epiſcopos ſui regni, tomo 1. Conciliorum antiquorum Galliæ, his verbis: *De ceteris quidem captiuis laicis, qui extra pacem ſunt captiuati, & fuerint approbati, apoſtolia cui volueritis arbitrij veſtri eſt non negandum. Nam de his qui in pace noſtra tam Clerici, quàm laici ſubrepti fuerint, ſi veraciter agnoſcitis, veſtras epiſtolas de annulo veſtro infra ſignatas, ſic ad nos omnimodis dirigatis, & à parte noſtra præceptionem latam noueritis eſſe firmandam. Sic tamen populus noſter petit, vt cuicunque epiſtolas veſtras præſtare fueritis dignati, cum Sacramento per Deum, & benedictione veſtra dicere non tardetis rem iſtam, quæ poſcitur, veram eſſe: quia multorum varietates, vel falſitates inuentæ ſunt vt comprehendatur, ſicut ſcriptum eſt, perit juſtus cum impio.*

Epiſtolæ iſtæ vocantur apoſtolia, vt in Concilio Aurelianenſi 2. quia ab Apoſtolis, ſeu Apoſtolorum ſucceſſoribus dantur, puta, ab Epiſcopis, vel etiam quia mittuntur; quanquam alio ſenſu, libelli dimiſſorij dicuntur, ſeu litteræ quæ ab eo, à quo appellatum eſt, ad eum qui de appellatione cogniturus eſt, dantur, lege 106. ff. *de verborum ſignificatio-*

Digitized by Google

nibus, & lege 1. *de libellis dimiſſoriis*, & apud Briſſonium fusè. Quanta fuerit earum litterarum auctoritas patet ex eo quòd Rex eis ſe pariturum promittat: in gratiam tamen populorum petitur, vt Epiſcopi de earum veritate rogati, cum Sacramento, & benedictione reſpondeant.

His verò circa epiſtolarum iſtarum conditiones, & circa Apoſtolij nomen iis tributum, annotatis, clarus eſt Aurelianenſis Concilij 2. canon, vt ab iis dandis arceantur, 1° Abbates, 2° Martyrarij, id eſt qui Martyriis, & Oratoriis adſcripti ſunt ex can. 6. Concilij Chalcedonenſis, 3° Recluſi omnes, ſeu Monachi, quia ad nullum eorum perſonarum ſecularium cura pertinet, 4° etiam ipſi Preſbyteri, ſeu Curati qui non ſatis cogniti ſunt, neque ſufficientis fidei, atque auctoritatis, vt authenticas, canonicas, & generales epiſtolas dare poſſint, quamuis ad finitimos tantùm Epiſcopos, in commendationem ſuorum Parochianorum litteras ſcribere permittantur Antiochæni Concilij can. 80. citato.

ARTICVLVS XXXI.

REGVLARES omnes, quacunque exemptione præditi ſint, extra ſua Monaſteria commorantes, ſiue ſtudiorum causâ, ſiue aliâ, juriſdictioni Ordinariorum in omnibus ſubjacent; quemadmodum & ij qui ſoli, ſine ſuorum Superiorum obedientialibus, vt aiunt, litteris, iter faciunt; qui aliquo ſcelere ſe adſtringunt, ex quo publicum ſcandalum in Monialium Monaſteriis; qui eorumdem Monaſteriorum clauſuram non ſeruauerint, aut eorum bona dilapidarint. Quòd ſi in quibuſdam aliis caſibus accidat, vt extra ſuum clauſtrum, ac Monaſterium in ſcandalum aliquod impingant, Superiores Regulares ab ipſis pœnas exigere tene-

Digitized by Google

buntur, & intra certum tempus Epiſcopo notum facient correctionem in iſtos delinquentes non fuiſſe ab ipſis prætermiſſam; ſecus, Epiſcopus in illos animaduertere poterit. Quòd ſi ad euitandam pœnam delinquenti debitam, ejus Superiores ipſum ad aliam diœceſim ablegarint, ad ipſum reuocandum compelli poterunt, vt in loco delicti caſtigetur: & quidem ſi ipſi hac in re Superiores obedire noluerint, Epiſcopus poterit ſcribere ad Coepiſcopos in quorum diœceſibus delinquens morabitur, vt remittatur ad locum delicti, ibidem puniendus. In iis verò quæ ſpectant ad cauſas ciuiles, & perſonales, Religioſi poterunt agere ſiue nomine totius corporis, ſiue pro ſeipſis coram Officialibus Epiſcoporum, qui ſunt judices naturales, & ordinarij omnium Clericorum diœceſis, tam Secularium, quàm Regularium.

Commentarius ad Articulum trigeſimum-primum.

SIGILLATIM hæc omnia examinanda ſunt. Primùm ergo Regularem extra clauſtra Monaſterij degentem, etiam exemptum, ſi deliquerit, ab Epiſcopo puniendum eſſe probatur ex pluribus. 1° ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 3. *Eccleſiarum Prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſus prudenter, ac diligenter intendant: & nemo ſecularis Clericus, cujuſuis perſonalis, vel Regularis, extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis priuilegij prætextu, tutus cenſeatur, quominus, ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato, ſecundùm canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.* 2° ex Clemente VIII. Conſtitutione 39. quæ incipit *Suſcepti muneris*, editâ ann. 1596. 7. Calend. Martij, §. 1. *Maturo ſanè conſilio ipſius Concilij de-*

creto prouiſum eſt, vt quicunque Regularis, non ſubditus Epiſcopo, intra clauſtra degens, extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniatur, & Superior de punitione Epiſcopum certiorem faciat; ſin minùs, ipſe à ſuo item Superiore officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit. 3° ex variis Conciliis Italicis, quæ Summi Pontificis mentem oſtendunt 1° ex decretis Hieronymi de Federicis, Gregorij XIII. Nuncij, & in toto Dominio Ducis Sabaudiæ Viſitatoris Apoſtolici, parte 4. tit. de Regularibus: *Qui extra Monaſterium degit, etſi ſui Ordinis priuilegio ſe tueri velit, ſi deliquerit, ab ordinario loci, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, pro modo culpæ corrigi poterit, & juxta canonicas ſanctiones plecti.* Accedit Synodus Veneta ſub Laurentio Priolo ann. 1592. *Regularibus extra clauſtra degentibus interdicimus in quibuſcunque Venetiarum Eccleſiis, prædicationem, confeſſionem, & Miſſarum celebrationem, donec juxta obedientiam Religionum ſuarum vixerint in propriis Monaſteriis, niſi legitimam licentiam extra clauſtra permanendi habuerint, & in aliqua honeſta domo habitauerint: quibus tamen Sacrum faciendi tantùm licentiam concedemus. Illos autem admonemus, vt cùm noſtræ correctioni ſubjiciantur, nos ſeuerè contra eos procedemus, vbi ſcandalum populo præbuerint, & vitam, ac ſuos mores ad regularem, ſiue Eccleſiaſticam modeſtiam non compoſuerint.* Accedunt Conſtitutiones Arretinæ ann. 1597. cap. 40. tit. in quibus viri, locáque regularia Epiſcopali ſubjaceant juriſdictioni: *Qui extra Monaſterium degens deliquerit, etiam ſui Ordinis priuilegij prætextu tutus non cenſebitur, quominus ab Ordinario loci, tanquam ſuper hoc ab Apoſtolica Sede delegato, juxta canonicas ſanctiones, viſitari, puniri, & corrigi valeat.* Synodus Nucerina ann. 1608. *Regularis non ſubditus, extra clauſtra notoriè delinquens, ita vt populo ſcandalo ſit, ab Ordinario remittitur puniendus ad ſuum Superiorem: qui ſi negligens fuerit, vel ad alia loca tranſmiſerit, Ordinarius eidem ſub pœnis priuationis Dignitatum, & officiorum, jubere poterit vt reuocet, & puniat: in quo ſi negligens fuerit, ipſe Ordinarium illius loci in quo delinquens de-*

Digitized by Google

git, certiorem faciat, vt in eum pro modo culpæ animaduertat. Synodus Maceratenſis ann. 1651. cap. 5. de Regularibus, & exemptis num. 5. *Si quis Regularis extra clauſtrum, aut obedientiam ſui Superioris extiterit, noſtræ juriſdictioni ſubjacebit: ſicut ſi in aliquo ad fidem ſpectante deliquerit, ad noſtrum, vel Inquiſitoris tribunal deferendus eſt.*

Rectè autem Synodus Maceratenſis eos conjungit qui extra clauſtra degunt cum iis qui extra obedientiam: nam hi quoque ab Ordinariis plectendi ſunt juxta Concilium Trident. ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 4. *Nec liceat Regularibus à ſuis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint. Qui verò ſine prædicto mandato, in ſcriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam deſertor ſui inſtituti, puniatur.* Eadem eſt lex Sixti V. Bulla *Cùm de omnibus*, edita ann. 1587. 6. Calend. Decemb. publicata die 27. Nouemb. *Prohibemus atque interdicimus ne quis Regularis ex vna Prouincia ad aliam Prouinciam ſui Ordinis tranſeundo, etiam in itinere intra aliquod Monaſterium, domum, vel locum alterius Prouinciæ ad habitandum, vel tanquam hoſpes recipi, aut ad modicum tempus diuertere poſſit, niſi à Superiore ejus loci, vbi reſidet, expreſſam licentiam diſcedendi, in ſcriptis obtentam, ſeu litteras obedientiæ, vel commendatitias ſecum deferat, atque exhibeat; vel niſi ita cognitus ſit iis, ad quos diuerterit, vt de ejus perſona nullus omnino dubitationi, aut ſuſpicioni locus relinquatur: ideóque præcipimus vniuerſis & ſingulis locorum Ordinariis, corúmque Vicariis in ſpiritualibus generalibus, vt per ſuos Officiales, Miniſtros vel executores curent ab omnibus perſonis regulari habitu indutis, quas per ſuas ciuitates, vel diœceſes iter facere, vel tranſire, & ad quæcunque hoſpitia, vel diuerſoria ſe recipere contigerit, diligenter perquiri num hujuſmodi litteras obedientiæ, ſeu commendatitias ſecum deferant. Quòd ſi eos dictas litteras non habere, vel ignotos eſſe deprehenderint, poſſint contra ipſos, etiam tanquam dictorum criminum ſuſpectos procedere, & tandiu illos ſub cuſtodia detinere, donec certa de iiſdem notitia habeatur. Volumus etiam, vt ij qui etiam pietatis, vel hoſpitalitatis prætextu, Regulares alterius Prouinciæ ignotos, aut ſine licentia, vel lit-*

Digitized by Google

teris, vt ſupra, receperint, dictas pœnas priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, necnon officiorum, graduum, honorum, & dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant.

Idem ſtatuitur in viſitatione Pedemontana Hieronymi de Federicis ſupra cit. in Concilio Aucnionenſi, Conſtitutionibus Arretinis, Synodo Nucerina, & Maceratenſi locis ſuperiùs citatis, iiſdem ferè verbis quibus Concilium Tridentinum vſum eſt.

Par ſeueritas erga Regulares ad ſtudendum deſtinatos, ſi extra Conuentus degant, in Concilio Tridentino ſeſſ.25. de Regularibus cap. 4. *Illi autem qui ſtudiorum causâ ad vniuerſitates mittuntur in Conuentibus tantùm habitent: alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.* Quam Conſtitutionem amplectitur Synodus Arretina cap. citato, his verbis: *Contra eos pariter, qui ſtudiorum causâ ad vniuerſitates miſſi extra Conuentus ſuos habitauerint poteſt ab Ordinario procedi.*

Idem habet Conc. Rhemenſe ann. 1583. tit. de Regularibus, & eorum Monaſteriis num. 5. *Operæ pretium eſſe putamus, vt aliquot ex junioribus, qui ſint bonæ indolis, in Academias benè Chriſtianas proficiſci permittantur, litteris humanioribus, Theologiciſque operam daturi, modò in Collegiis regularibus, habitu Religionis ſeruato, viuant ex portione congrua illis aſſignata ab his qui prouentus annuos percipiunt: qui ſi gradum poſtea conſequantur in aliqua Facultate, non tamen ab officiis Monaſterÿ, & Regulæ ſuæ obedientia ſint immunes.* Hanc conditionem, ſcilicet (modò in Collegiis Regularibus viuant) non adhibet Concilium Turonenſe tit. de Monachis, & Monaſteriis, §. *Ex Monachis.* Similiter nec Articulus 26. Statuum Bleſenſium, quo Abbatibus, Conuentibus, Prioribus, & Prioribus Conuentualibus injungitur, vt aliquos in ſcholis publicis, & Vniuerſitatibus certo numero foueant, prout eorum Monaſteria, Prioratus, aut Conuentus ferre poterunt, itaut portio Monachalis ſtudentium, imo etiam major, ſi hæc non ſufficiat iis alendis ab Abbatibus, Conuentibus, & Prioribus ſubminiſtretur, nulla facta mentione quod in Conuentibus viuant. Articulo quidem 25. Præceptoris pro inſtructione Monachorum in propriis Monaſteriis lex ſtatuitur; quem-

Digitized by Google

quemadmodum in Statibus etiam Aurelianenſibus, articulo 20. Sed in Vniuerſitatibus, in quibus non ſuppetunt ſemper Conuentus ejuſdem Ordinis, cujus eſt Monachus qui ad ſtudendum mittitur, id fieri nequit; proindéque in eo caſu prouidere debet Epiſcopus, ſaltem vt viris probis, & ſpectatæ pietatis, Religioſi iſti commendentur.

Iis adcenſentur etiam qui in Monaſteriis degentes, extra clauſtra tamen delinquunt; de quibus Concil. Trident. ſeſſ. 25. de Regularibus, cap. 14. *Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterÿ degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit; Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſeuerè puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat: ſin minùs à ſuo Superiore officio priuetur, & delinquens, ab Epiſcopo puniri poſſit.* Accinit Hieronymus de Federicis parte 4. tit. de Regularibus, ſuprà citato: *Qui autem in Monaſterio degens, extra Monaſterÿ ſepta notoriè ita deliquerit, vt populo ſcandalo fuerit, is, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore debitâ pœnâ, infra tempus ab Epiſcopo præfigendum, afficiatur; de qua niſi certior fiat Epiſcopus, cum tranſacto illo temporis ſpatio, ex Trident. Concilio decreto, pro modo culpæ punire poterit.* Item Synodus Arretina ſuperiùs pariter citata cap. 40. *Regularis etiam non ſubditus Epiſcopo, & intra Monaſterÿ ſepta degens, ſi extra illa ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, niſi Epiſcopo inſtante à ſuo Superiore intra tempus ab eodem Epiſcopo præfigendum ſeuerè puniatur, ac de punitione Epiſcopus certior fiat; tum ipſe Superior eſt officio priuandus, & delinquens pœnâ debitâ ab Epiſcopo afficiendus.* Nucerina ſimiliter, tit. quoque ſuperiùs citato: *Qui autem extra Monaſterium degens deliquerit, etiam ſui Ordinis priuilegÿ prætextu tutus non cenſebitur, quominus ab Ordinario loci, tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato, juxta canonicas Conſtitutiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.*

Ad eandem claſſem referuntur ij qui in Monaſterio Monialium delinquunt circa clauſuram earumdem, permittentes vt aut viri, aut mulieres Monaſteria ingrediantur quibus lege prohibitum eſt; vel circa adminiſtrationem bonorum ad ipſas pertinentium, quamuis non notoriè: De quibus

Ooo

Digitized by Google

puniendis articulo ſequenti loquemur. Eos enim omnes Epiſcopus Superioribus denuntiare debet, ipſóſque obligare vt intra præfixum tempus eos puniant qui deliquerunt, & punitionem, ſeu animaduerſionem erga ipſos factam Epiſcopo notam faciant. Secus enim facientes Epiſcopus punire poterit, & amandatos in alienam diœceſim etiam proſequi; compellendo etiam Superiores quatenus ipſos ad pœnam ferendam ſiſtant, quemadmodum articulo præſenti decernitur, juxta Clementis VIII. Conſtitutionem 39. ann. 1596. 7. Calend. Martij, §. 2. vbi poſt verba initio ferè articuli citata hæc ſubduntur: *Verùm quia experientiâ compertum eſt, interdum in hujuſmodi decreti executione nimis remiſſè procedi; cùm enim Epiſcopus inſtat aliquem Regularem eo, quo ſuprà dictum eſt, modo delinquentem à ſuo Superiore puniri, ſæpe fit, vt Superior Regularem delinquentem ad alia ſuorum Ordinum loca extra Epiſcopi diœceſim ex induſtria impunitum tranſmittat, atque etiam ipſe aliquando ad alias Prouincias ſe conferat, nec vlteriùs ſuper delinquentis exceſſibus inquirat, nec de ejus punitione Epiſcopum certiorem reddat; vnde nec Regularis delinquens tunc ab Epiſcopo puniri poteſt, cùm extra ipſius diœceſim exiſtat, nec Superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio priuetur.* Et §. 3. *Nos*, &c. *præcipimus & mandamus, vt juxta prædictum decretum, quilibet ipſorum Regularem non ſubditum Epiſcopo, intra clauſtra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniat, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipſum in omnibus, & per omnia exequatur. Ceterùm ſi Superior in Regularem delinquentem non animaduerterit; quinimmo ſi illum impunitum ad alia ſuorum Ordinum loca, extra Epiſcopi diœceſim, vt præfertur, tranſmiſerit, volumus, & ſimili motu, atque auctoritate decernimus, vt Superior inſtante Epiſcopo, intra terminum ab Epiſcopo præfigendum, & ſub eiſdem indignationis noſtræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon & ſub inhabilitatis ad illa, & alia inpoſterum obtinenda, ac vlteriùs priuationis actiuæ, & paſſiuæ vocis, ad quas à nemine præterquam à nobis, & à Romano Pontifice pro tempore exiſtente reſtitui poſſit,*

Digitized by Google

ipſo facto ſimiliter incurrendis pœnis, ipſum Regularem delinquentem à loco ad quem tranſmiſſus fuit, reuocare, & in quo deliquit conſtituere, ſeu ſiſtere teneatur. Quòd ſi hoc etiam facere prætermiſerit, per præſentes ſimiliter ſtatuimus, vt Ordinarius loci ad quem Regularis delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab ipſo Ordinario loci, in quo deliquit, ſimiliter requiſitus, vel aliàs de illius delicto informatus, vt præfertur, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus prædictum Concilij decretum omnino exequi faciat, & in Regularem delinquentem ſeuerè animaduertere poſſit, & debeat.

Denique ſtatuitur hoc in articulo, quòd Religioſi etiam exempti, ciuiliter coram Epiſcopo, vel ejus Officiali conueniri debeant, ſi videlicet conueniantur ex contractu, vel quaſi contractu. Nam vel conueniuntur nomine Monaſterij, vel beneficij Eccleſiaſtici, vel nomine proprio. Si conueniantur nomine Monaſterij, nullus præter Epiſcopum judex ſtare poterit: non quidem Monaſterium, vel Superior Monaſterij: tunc enim Monaſterium habet rationem rei, ſeu partis, vt & Abbas ad quem Monaſterij adminiſtratio pertinet. Abſurdum autem eſt eundem eſſe reum, & judicem ſecundùm Innocentium. Itaque neque Abbas, neque Monaſterium in hac cauſa judicare poſſunt. Si conueniatur Regularis ratione beneficij Eccleſiaſtici, ratione cujus ſubditur Epiſcopo; videtur potiùs Epiſcopus judex ſedere debere pro judice quàm Abbas: ejus ſiquidem eſt rerum Eccleſiaſticarum cauſam definire, ad quem etiam viduarum, & pupillorum cauſæ referri debent ex Concilio Matiſconenſi 2. cap. 12. Abſurdum verò eſt dicere Religioſum nomine proprio conueniri, cùm non habeat proprium duodecima quæſt. 1. c. 9. & c. *Non dicatis*. Quare nec eo etiam tit. Monaſterium judicare poſſet in cauſa Monachi, cujus bona pertinent ad Monaſterium. 2° probatur, quia de tribus tantùm judicibus controuerſia eſſe poteſt, puta vel de Abbate, vel de Epiſcopo, vel de Magiſtratu ciuili. Omnibus autem præferendus eſt Epiſcopus. 1° quidem Abbati: tum quòd Abbatis nomen potiùs ſit ſollicitudinis, quàm honoris, vt notatur titulo *de ætate, & qualitate*, capite *Tuam*: ſed eſſe

Digitized by Google

judicem eſt honoris, ex lege *finali* codice, *Quando prouocatio non eſt neceſſaria:* tum quòd Clerici, & Monachi, qui inter ſe negotium aliquod habuerint, à ſuo Epiſcopo judicari debeant, & non à Secularibus ex Chalcedonenſi can. 9. Capitularium lib. 1. cap. 28. Trofleiano Concilio c. 3. tum quòd Abbati exempto nunquam hoc priuilegium datum reperiatur, vt de negotiis Secularibus judicet, & Monachorum ſuorum cauſas ciuiles in judicio definiat; Epiſcopis verò paſſim diuerſis Canonibus hæc poteſtas tribuatur, verbi gratia, à Conciliis Carthaginenſi c. 20. Græco, Carthaginenſi 3. c. 8. Mileuitano cap. 19. Andegauenſi c. 2. Matiſconenſi 1. c. 8. Matiſconenſi 2. can. 10. Aurelianenſi 4. can. 20. Arelatenſi ſub Carolo, c. 13. Moguntino cap. 8. Rhemenſi cap. 19. Triburienſi c. 10. Superior etiam Epiſcopus eſt laico Magiſtratu, ſaltem ex Canonibus Eccleſiaſticis, & Edicto Conſtantini ad Ablauium Præfectum pretorio ex legibus Theodoſij, Caroli Magni, aliorúmque Chriſtianorum Imperatorum, à quibus Epiſcopale judicium etiam laico præfertur. Denique aſſertionem hanc non ſolùm auctoritate ſuâ probat, verùm etiam dicti rationem aſſignat Innocentius IV. in Concilio generali Lugdunenſi Conſtitut. quæ incipit, *Volentes: Declaratione irrefragabili*, inquit, *definimus, quòd quantacunque ſic exempti gaudeant libertate, nihilominus ratione delicti, ſiue contractus, aut rei de qua contra ipſos agitur, ritè poſſunt coram locorum Ordinariis conueniri.*

Expreſſa item deciſio Bonifacij VIII. cap. vnico, de ſtatu Regul. in 6. *Epiſcopis autem, & aliis Prælatis inferioribus* (cujuſmodi ſunt Officiales) *injungimus, quòd & ipſi cauſas, ſeu negotia quæ præfatæ Moniales habebunt agere coram ipſis, aut in curiis eorumdem, ſiue ſint homagia, fidelitatis Sacramenta, lites, vel quicquid aliud, ipſa per Procuratores earum fieri faciant, & tractari.*

Innocentij IV. Conſtitutionem firmat Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. de reformatione c. 14. Vbi Prouincia judicandi etiam exemptos Regulares tribuitur Epiſcopis ſaltem, vt delegatis Sedis Apoſtolicæ. Quanquam verò delegatos ejuſmodi vix admittamus in Galliis, non idcirco

Monachi ſolutiores fiunt ab Epiſcopali juriſdictione, qua jure communi adſtringuntur.

APPENDIX AD ARTICVLVM XXXI.

Quænam Regularium delicta Epiſcopi punire poſſunt.

ATQVE hactenus articuli noſtri explicatio, & probatio continetur. Iam verò ad pleniorem, magíſque integram explicationem omnium cauſarum quas habere poſſunt Regulares, vel tanquam actores, aut denuntiatores, vel tanquam rei: vniuerſim obſeruandum eſt, cauſas iſtas vel eſſe ciuiles, & reales, vel perſonales. Reales, & ciuiles aguntur pro Monachis, vel contra Monachos in foro Epiſcopi, vel temporali. Nam nullum eſt temporale forum Monachorum in quantum ſunt Monachi, vel Abbates: licèt quatenus domini ſunt temporales illud habere poſſint: qua de re non eſt hîc quæſtio: ideóque ſi agitur de temporalibus Monaſterij bonis aduersùs quemcunque, quia ſunt res ſacræ, pertinebunt ad forum Epiſcopi ex can. *Cognouimus* 18. quæſt. 2. ex cap. *Si in ſingulis.* §. *Ad hoc, de ſtatu Monachorum*, & aliis paſſim. Si pariter ciuilis aduersùs Monachum intentetur cauſa, diximus ſuprà in explicatione articuli ad Epiſcopi forum pertinere hanc cauſam: neque Abbas habet aliquid juris in Clericum, vel laicum, vt eum citare, vel diſtringere poſſit, ſi res Monaſterij in aliquo læſerit; habet verò Epiſcopus bonorum ſpiritualium, ſeu ſacrarum rerum cognitionem cap. *Tua, de decimis*, & authenticâ *Statuimus*, codice *de Epiſcopis, & Clericis*, aliiſque paſſim.

Si verò cauſa ſit perſonalis, ſiue criminalis, vel agitur aduersùs Monachum exemptum, vel aduersùs non exemptum; ac proinde initio cauſæ ſpectandum eſt, an Monachus exemptus ſit, nec ne; vt ſciamus quinam adiri debeat judex. Vniuerſim autem omnia Monaſteria, ſicut & loca ſacra Epiſcopis ſubdita eſſe præſumuntur, niſi probentur exempta, cap. *Cùm venerabilis*, & cap. *Cùm dilectus, de Religioſis domibus*; ſufficitque Epiſcopo, quòd conſtet Monaſteria in ſua eſſe diœceſi c. *Monaſteria*, 18. quæſt. 2. Exemptus autem allegare

Digitized by Google

debet priuilegium, ejúſque verbis ſtare; aliàs eo ſe tueri non poteſt can. *Contra morem*, diſtinct. 100. & cap. *Cùm olim*, *de priuilegiis*. In contrarium duplex poteſt ab Epiſcopo fieri exceptio. Prima, vt ex verbis priuilegij oſtendat non ſufficienter probari priuilegium; ex inſpectione ſiquidem priuilegiorum de iis judicandum cap. *Porro*, *de priuilegiis*. Iuuabunt autem hæ regulæ. Per ſolutionem cenſus Romanæ Eccleſiæ non probatur exemptio cap. *Recepimus*, *de priuilegiis*. Priuilegium vni conceſſum non poteſt ad alium extendi cap. *Sanè*, eodem titulo. Innouatio priuilegiorum nouum jus non tribuit, cap. *Ex parte*, & cap. *Quia*, eodem. Licèt non teneatur exemptus ad obedientiam Pontifici ordinario loci, non tamen poteſt Eccleſiam in loco etiam exempto conſtruere, ſine licentia Diœceſani: & ſi conſtruat, cedit Epiſcopo cap. *Cùm olim* 14. eodem. Exemptus ratione certæ rei, vt loci, non eſt exemptus ratione alterius cap. *Cùm Capella*, eodem. Priuilegio conceſſo Monaſterio non intelliguntur Capellæ ipſi ſubjectæ exemptæ, cap. *Ex ore*, eodem. Receptus ſub protectione Papæ, non ideo exemptus eſt cap. *Ex parte*, eodem. Religioſi quibus à Papa conceditur, vt Eccleſias diœceſano ſubjectas poſſint in vſus proprios conuertere, non auctoritate propria, ſed à Diœceſano loci poſſeſſionem illarum Eccleſiarum recipere debent; niſi in priuilegio aliud exprimatur cap. *Paſtoralis*, eodem. Priuilegium conceſſum Monaſterio, vt Monachi excommunicari non poſſint, intelligitur de Monachis exiſtentibus in Monaſterio, vel Eccleſiis ei ſubjectis vtróque jure, cap. *Quoniam*, eodem.

Secunda exceptio aduersùs priuilegium eſt, ſi priuilegium abuſu exemptus amiſerit, cap. *Tuarum*, & cap. *ex parte* dicto tit. de Priuilegiis, & cap. *In audientia*, *de ſententia excommunicationis*. Si per renuntiationem ſimiliter amiſerit, cap. *Suborta*, *de ſententia, & re judicata*, & can. *Quàm periculoſum*. 7. quæſt. 1. Si per non vſum per longum tempus, cap. *Si de terra*, & cap. *Accedentibus*, eodem tit. Si per abrogationem: nam priuilegia contrariis decretis tolluntur, & faciliùs res ad priſtinam naturam redeunt, primitiuámque conditionem: qua de re multa dici poſſent. Denique ſi priuilegium amiſ-

Digitized by Google

ſum fuerit alio aliquo ex iis modis, quibus amitti poteſt.

His verò jam examinatis, alia item ſtatuenda ſunt ad totius rei diſcuſſionem neceſſaria.

Primóque loco profitemur non agere nos de Monaſteriis nullius diœceſis, quorum peculiaris eſt ratio, vt ſuprà docuimus, & de quibus ſolùm hoc monuit nos Concilium Tridentinum, quod ab Epiſcopo viciniori, vel ab eo qui in Concilio prouinciali deputatus fuerit, viſitari nonnunquam poſſint: qua de re ſuprà, vbi de Monaſteriorum viſitatione egimus. Sermo eſt itaque imprimis de Monaſteriis poteſtati Epiſcoporum ſubditis; aut de Monaſteriis, quorum Monachi, vel Monachæ à poteſtate Epiſcoporum eximuntur, nec tamen vllam Epiſcopalem poteſtatem, vel quaſi Epiſcopalem obtinuerunt: quorum proinde poteſtas in pluribus manca, & imperfecta ad Epiſcopalem poteſtatem ordinariorum locorum recurrere nonnunquam debet, ne eis accidat quod comminatus eſt Paſchalis II. can. *Abbatibus* 18. quæſt. 2. vt *cùm ſe nulli Epiſcopo omnino ſubeſſe profiteantur; conſequenter nullus Epiſcoporum quæ ſua ſunt eis tanquam extraneis largiatur.*

Certum eſt Monachos non exemptos à poteſtate Epiſcoporum, eorumque Abbates in omnibus Epiſcopali ſubjici juriſdictioni, ex Conciliorum decretis, vt Carthaginenſis 3. cap. 33. Africani. c. 11. Chalcedonenſis. c. 4. Toletani. 2. c. 1. Aurelianenſis. 3. c. 18. Oſcenſi ſub Recaredo Rege in principio, Toletani 10. c. 3. Vernenſis. c. 5. & 6. & aliis paſſim: quibus quidem Monachi poteſtati Epiſcoporum ſubjiciuntur. Accedunt Canones qui Abbates Epiſcopis ſubdunt, verbi gratia, Agathenſis can. 56. Epaonenſis. c. 8. Aurelianenſis 1. c. 21. Aurelianenſis. 3. c. 23. Aurelianenſis. 4. c. 11. Turonenſis. 2. c. 7. Toletani. 4. c. 50. & alij paſſim, præſertim tota 18. cauſa; & titulis decretalium: *De ſtatu Monachorum*, *& de Religioſis domibus*, ſiue in libris Decretalium Gregorij IX. ſiue in 6. Bonifacij, ſiue in Clementinis Clementis V. ſiue inter Extrauagantes.

In Monachos hujuſmodi omnia Epiſcopis licent, præter pauca ob abuſum poteſtatis Epiſcopalis ipſis denegata: cu-

Digitized by Google

juſmodi ſunt Abbatis abſque ſuffragiis Monachorum electio. Ordinatio Monachi abſque conſenſu Abbatis. Turbatio quietis Monachorum ob frequentes conuentus in eorum Monaſteriis : quæ omnia vetantur canone, *Abbas*, c. *Abbatem*, can. *Quam ſit*, & can. *Luminoſo*. 18. quæſt. 2. Item alienatio rerum Monaſterij prohibita eſt Epiſcopis in Concilio Nicæno 2. c. 12. Indebitorum jurium aſſumptio, ſeu potiùs injuriarum illatio in Concilio Anglico c. 3. & can. *Eleutherius*. 18. quæſt. 2. qui tribuitur Pelagio, aliàs Gelaſio, nec non in Toletano. 4. c. 50. Item officiorum Regularium, abſque Abbatis, & Monachorum conſenſu, ſine rationabili cauſa, collatio, vt ex Concilio Aquiſgranenſi conſtat c. 138. & 139. Cui non obſtat can. 50. Concilij Toletani 4. relatus à Gratiano. 18. quæſt. 2. can. *Hoc tantùm :* vbi inter ea quæ Sacerdotes, id eſt Epiſcopi ſibi ſecundùm Canones vendicare debent; illud ſtatuitur, *Quod Abbates aliáque officia inſtituant, atque extra regulam facta corrigant*: quæ duo explicatione indigent. Nam Abbatem eligi à Monachis, & inferiores præpoſitos ab Abbatibus ante docuimus: extra regulam autem facta corrigere maximè proprium eſt Abbatis, ex Regulis omnibus Monaſticis. Primùm ergo ita explicat Gloſſa vt Abbatum, & aliorum Officialium inſtitutio propria dicatur Epiſcopis, quod eorum ſit confirmare, tam Abbatem, quàm Officiales, vt & Abbatem benedicere; quod quidem canones omnes oſtendunt. Item quod eorumdem Epiſcoporum ſit eoſdem Abbates in ſuo Officio negligentes ineptos, & nociuos, quemadmodum, & alios Officiales deſtituere, alióſque ſubrogare can. *Si quis Abbas*. 18. quæſt. 2. & c. 2. *Nulla*, 93. diſtinct. Alterum verò Gloſſa in citatum canonem verbo *corrigere* duobus modis interpretatur. 1°. Quod in minimis exceſſibus ab Abbate, vel Priore Monachi ſint puniendi : ſed in majoribus, ab Epiſcopo, cap. *Monachi, de ſententia excommunicationis*, & can. *Si quis Monachus*, diſtinct. 90. & 12. quæſt. 1. c. *Non dicatis :* quibus canonibus rixas à Præpoſito, proprietatem autem ſecundùm arbitrium Preſbyteri, qui vicem videtur gerere Epiſcopi, judicari obſeruatur; cui interpretationi fauet can. 59.

Concilij

Digitized by Google

Concilij Meldenſis : *Vt Monachus de Monaſterio ſine conſultu, & præſcientia Epiſcopi, aut Vicarij ejus, ad hoc regulariter deductus, non ejiciatur : cujus diſpoſitione, & auctoritate de cetero vita, & conuerſatio ejecti, ne perditus perpetuò fiat, ſi aliquo modo ſaluari poteſt, ordinari debet, atque decerni.* Hæc autem pœna ejectionis erat grauiſſima, & grauiorum criminum. 2°. Quòd correctio Monachorum ad Epiſcopum præſertim ſpectet, ſi agatur ordine juris per accuſationem, & alias juris formulas : ſi verò ſecundùm formam correctionis fraternæ, non ſeruato ordine juris per denuntiationem, & interrogationem rei, adhibendo tantùm increpationes, aliáſque pœnas, quibus parentes, & Magiſtri erga liberos, & diſcipulos ſuos vtuntur, ad Abbatem pertineat. Quæ duplex ratio puniendi optimè diſtinguitur à Concilio Lateran. ſub Alexandro III. cap. 6. ſeu cap. *Reprehenſibilis*, de appellationibus : *Præſenti*, inquit, *decreto ſtatuimus, vt nec Prælati (niſi canonica commonitione præmiſſa) ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubjectos, niſi fortè talis ſit culpa, quæ ipſo ſuo genere ſuſpenſionis, vel excommunicationis pœnam inducat; nec ſubjecti contra diſciplinam Eccleſiaſticam in vocem appellationis erumpant. Si verò quiſquam pro ſua neceſſitate crediderit appellandum, competens ei ad proſequendam appellationem terminus præfigatur; intra quem ſi fortè proſequi neglexerit, tunc Epiſcopus liberè ſua auctoritate vtatur. Si autem in quocunque negotio aliquis appellauerit, & eo qui appellatus fuerit veniente, qui appellat venire neglexerit, ſi quid proprium habuerit, competentem ille recompenſationem faciat expenſarum, vt hoc ſaltem timore territus, in grauamine alterius non facilè quis appellet. Præcipuè verò hoc in Religioſis volumus obſeruari, ne Religioſi cùm pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati ſui, & Capituli diſciplinam appellare præſumant; ſed humiliter, ac deuotè ſuſcipiant quod pro ſalute ſua fuerit eiſdem injunctum.* Ex hoc capite multa ad rem præſentem valde neceſſaria deducimus. Primum, duplicem hic poteſtatem notari in Abbatibus : vnam Eccleſiaſticam, alteram verò Monaſticam, & quæ Abbatibus, tam exemptis quàm non exemptis, tam Preſbyteris quàm non Preſby-

Digitized by Google

teris poteſt conuenire. Secundum, pœnas quæ priori poteſtati conueniunt, eſſe excommunicationis, & ſuſpenſionis; quæ pœnæ declarantur ferri debere ordine juris ſeruato, puta canonica commonitione præmiſſa : & ideo ab iis pœnis, ſi quis ſe grauatum ſenſerit, appellari permittitur ad Epiſcopum, qui liberè ſua auctoritate vtatur. Tertium, pœnas quæ Monaſticæ Abbatis poteſtati tribuuntur, eſſe increpationes, aliáſque caſtigationes corporales, à quibus appellare ad Epiſcopum non licebit, ne quidem Monachis exemptis: quamuis ſicut de nimia Abbatis remiſſione, atque indulgentia queri poteſt Monachus non exemptus in viſitatione; ita & de nimia ejus ſeueritate querimoniam inſtituere eidem Monacho non exempto licebit, ex Concil. Aquiſgranenſi 2. ſub Ludouico parte 3. cap. 1. in fine, & Ticinenſi, c. 9.

Sicut autem valde propria eſt Abbatibus Monachorum coercitio domeſtica abſque ordine juris; à qua nempe dicuntur Abbates quaſi Patres; quia inſtar patrumfamilias conſtituti ſunt : ita coercitio Monachorum per Eccleſiaſticas cenſuras, & ordine juris ſeruato maximè propria eſt Epiſcopis, qui ſunt hierarchæ præcipui, & Eccleſiarum ſuarum capita. Hinc nec à pœnis quas Abbates paternâ iſtâ poteſtate ſuis inferunt Monachis, vlla incurritur infamia; ſicut nec ab iis quæ à parentibus filiis inferuntur, l. *inuentio*, c. ex quibus cauſis infamia irrogatur, & alibi. Econtra verò ſicut illatæ alicui injuriæ vindicta facta à judice reum infamat, l. *Non damnata*, c. ex quib. cauſ. infam. irrogat. ita & cenſuræ latæ ſiue ab Abbate, ſiue ab Epiſcopo reum infamant cap. *Cùm deſideres, de ſententia excommunicationis*, & can. *Infames*, 6. quæſt. 1.

Ex his porro colligere eſt, Abbatum, quatenus Abbates ſunt, coercitionem purè eſſe domeſticam; eiſdem verò, poſteaquàm Sacerdotium cum ordine Monaſtico Eccleſia conjunxit, poteſtatem Eccleſiaſticam acceſſiſſe; ſed eam longè imperfectiorem, tum quòd per appellationem, ex prædictis, corrigi poſſit ſententia Abbatis excommunicantis, vel ſuſpendentis : tum quòd plurima ſint in quibus Epiſcopi

Digitized by Google

opem, conſiliúmque expoſcere debeant Abbates, nec ipſi rem peragere poſſint. Nam, verbi gratia, ad Abbatem quem cecidiſſe nuntiabatur, ſacro Ordine priuandum, & in pœnitentiam redigendum per Epiſcopum judicem, ſcribit Gregorius Venantio Lunenſi Epiſcopo lib. 4. Epiſtola 5. & habetur cap. *Accedens*, diſtinct. 50. apud Gratianum. Similiter Abbatem, *Qui in regimine cautus, humilis, caſtus, miſericors, diſcretus, ſobriúſque non fuerit, ac diuina præcepta verbis, & exemplis non oſtenderit, ab Epiſcopo in cujus territorio conſiſtit, & à vicinis Abbatibus, & ceteris Deum timentibus, à ſuo arcendum honore*, ſtatuit Concilium Triburienſe can. *Si quis Abbas*. 18. quæſt. 2. etiamſi omnis Congregatio vitiis ſuis conſentiens, cum Abbatem habere voluerit. Item ad Monachos vagos requirendos, & detinendos auxilium Epiſcopi ab Abbatibus eſſe poſtulandum decernit Concilium Aurelianenſe 1. c. 21. ſeu c. *Abbates*, apud Gratianum 18. quæſt. 2. *Ipſi autem*, inquit, *qui fuerant peruagati, vbi inuenti fuerint, cum auxilio Epiſcopi tanquam fugaces ſub cuſtodia reuocentur.* Et cùm nonnulli *Monaſteria ſeruorum Dei, vel etiam fœminarum, pro ſuo quiſque libito, & diuerſarum cauſarum executione perturbarent*, grauiter id tulit ſanctus Gregorius, voluítque vt Epiſcopus Monachorum & Monialium *Vitam competenti, regularíque moderamine diſponeret, qui pro commiſſis eorum animabus compellitur reddere rationem*, lib. 7. Epiſt. 65. *Vitali defenſori*, ſeu can. *Cognouimus*. 18. quæſt. 2. Quæ omnia decreta ſecutus Bonifacius VIII. ad executionem eorum, quæ ſpectant clauſuram Monialium, ſtatuit vt Epiſcoporum auctoritas etiam aduersùs exemptos aduocetur; imo, & auxilium brachij ſecularis, cap. vnico de ſtatu Regularium. Quorum tamen maxima differentia eſt: nam Epicopus aduocatur tanquam judex in Monaſteriis; Magiſtratus verò ſecularis tanquam executor Epiſcopalis ſententiæ. Solent enim duæ iſtæ poteſtates, Epiſcopalis, & politica ſeſe mutuò fouere, & amplecti. Denique ad reformationem Monaſteriorum non ſolùm ſubditorum, quod Epiſcopis ordinario jure conuenit, ſed etiam exemptorum neceſſitate quadam veluti ineuitabili Epiſcopi tam jure antiquiori, quàm

Digitized by Google

nouo per Tridentinum induĉto, accerciti ſunt. Alexander III. cap. *Relatum, ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant; ad obſeruationem Regulæ, appellatione remota, compelli ab Epiſcopo Monachos* jubet. Et Honorius III. *contra religioſas perſonas de clauſtris exeuntes ad audiendum leges, vel phyſicam, tam à Diœceſanis, & Capitulis ipſorum, quàm à ceteris Epiſcopis in quorum diœceſibus ſtudent, excommunicari, & prædictis pœnis obnoxios publicè nuntiari*, ſtatuit, cap. *Super ſpecula*, eodem tit. Eoſdem verò reſiſtentes à Monaſteriis amoueri, & in eorum locum Fratres alterius Ordinis, ſi non poteſt dictum Monaſterium in ſuo Ordine reformari, induci citato cap. *Relatum*, voluit Alexander III. quemadmodum, & ſeculares in contumacium locum introduci poſſe ſtatutum eſt, cap. *Inter quatuor, de religioſis domibus*. §. finali, & can. *Quæ ſemel*, 19. quæſt. 3. Innocentius quoque III. in Concilio generali Lateran. prout refertur, cap. *In ſingulis, de ſtatu Monachorum*, decreuit vt quantumcunque Monaſteria ſint in Congregatione Regulari, & per Viſitatores à Capitulo generali deputatos corrigi & emendari poſſint, tamen *diœceſani Epiſcopi Monaſteria ſibi ſubjecta ita ſtudeant reformare, vt cùm ad ea prædicti Viſitatores acceſſerint, plus in illis inueniant quod commendatione, quàm quod correctione ſit dignum.* Subdit etiam juſſionem, tam *diœceſanis Epiſcopis quàm perſonis quæ præerunt Capitulis celebrandis, vt per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remotâ, compeſcant Aduocatos, Patronos, Vicedominos, Rectores, & Conſules, Magnates & Milites, ſeu quoſlibet alios, ne Monaſteria præſumant offendere in perſonis, aut rebus: & ſi forſan offenderint, eos ad ſatisfactionem compellere non omittant.* Quæ poſteriora verba oſtendunt etiam diœceſanos Epiſcopos ad Capitula generalia Monaſteriorum vocatos fuiſſe. Neceſſitatem quoque præſentiæ Epiſcopalis caput idem oſtendit, vt externi, ſeu laici in quos Monachi nullum habent imperium, ſi Monachos offenderint, viis juris ad ſatisfactionem compellantur. Plura ab Honorio III. Abbatibus, & Monachis in Lombardia, & Marchia conſtitutis circa Monaſteria in Congregatione Regulari poſita ab Epiſcopis facienda præſcribuntur:

Digitized by Google

vt ſi Abbates non exempti à Viſitatoribus negligentiores, & remiſſiores inuenti fuerint, Viſitatores Diœceſano loci denuntient, qui ipſos amoueat, & fideles eis, ac prouidos det Coadjutores vſque ad Capitulum generale. Item ſi dilapidator Abbas inuentus fuerit, pariter fiat à Diœceſano abſque ſtrepitu. Si Epiſcopus renuat id facere, Viſitatores, vel Præſidentes Capitulo generali defectum Epiſcopi Apoſtolicæ Sedi nuntient, cap. *Ea quæ, de ſtatu Monachorum.*

Duobus ergo modis Monachos ſibi ſubditos corrigit, & ad Regulam obſeruandam compellit Epiſcopus: vel per appellationem, vt ſuprà dictum eſt; vel ſupplendo negligentiam Abbatis, vt iis poſterioribus capitibus oſtenditur, confirmatúrque capite *Quanto*, de officio Iudicis ordinarij, & cap. *Irrefragabili*, eodem tit. Nam Priori cap. ſi intra certum tempus Capitulum non corrigit ſubditum, Epiſcopus corrigit: poſteriori verò ſi exempti non adminiſtrant juſtitiam, nec facilè Papa poſſit adiri, eorum negligentiam ſupplet Ordinarius.

Aliæ verò ſunt rationes ob quas Epiſcopus poteſt ipſe ſententiam ferre, ejúſque executionem per ſuos Officiales, vel apparitores procurare; & vt id fiat demandare.

Prima quidem, quando occurrunt crimina, etiam exemptorum, quæ actualem, ſeu ſolennem exauctorationem requirunt, vt docent Innocentius, Hoſtienſis, & Abbas, in cap. *Ad falſariorum, de crimine falſi*, Ioannes de Lignano, Clementina, *Ne in agro, de ſtatu Monachorum.* Chopinus Monaſticõn lib. 1. tit. 2. num. 17. & alij. Probatúrque 1° ex can. *Accedens*, diſtinctione 50. in qua Gregorius Magnus ſtatuit, vt Venantius Lunenſis Epiſcopus de Saturnino Preſbytero judicium ferat, de quo perlatum fuerat, quia poſtquam pro crimine lapſus ſui à Sacerdotij ordine dejectus fuerat, ad explendum miniſterium Sacerdotij præſumpſerat accedere, & omnipotenti Deo hoſtiam immolare; quòd ſi ita factum reperérit, eum monet, vt ſacri Corporis & Sanguinis Dominici participatione priuatum in pœnitentiam redigat: ſimiliter & Diaconum Abbatem de Portu Veneris à ſacro Ordine in perpetuum rejectum ab officio Abbatis deponat, alterúmque

Digitized by Google

ei ſubrogari faciat: Subdiaconum item ſimili culpâ conſtri-ctum ab officio ſuo irreuocabiliter deponat, inter Laicos communionem accepturum. 2°. Quia degradatio pertinet ad ſolum Epiſcopum, cap. 2. *De Clerico excommunicato*, cap. 1. *De hæreticis*, in 6. cap. *Degradatio, de pœnis*, in 6. Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. de reformat. cap. 4. 15. quæſt. 7. can. *Epiſcopus Sacerdotibus*, & cap. *Inter corporalia, de tranſlationibus*.

Adde quòd qui degradati ſunt brachio ſeculari tradi ſoleant, cap. *Quoniam, de officio Ordinarij*: At verò ſolus Epiſcopus aliquem poteſt tradere brachio ſeculari puniendum, cùm enim vtraque poteſtas ſibi mutuum præſtet auxilium 11. quæſt. 1. can. *Petimus*, & 23. quæſt. 5. can. *De liguribus*, poteſtas clauſtralis jus illud non habet, vt ſeculari brachio quemquam tradat, ſed tantùm Epiſcopalis, & Hierarchica, quæ cum politica ſocietatem ita iniit, vt vna aliam juuet, can. *Cùm ad verum*, 96. diſt. & can. *Ventum eſt*, 1. quæſt. 1. Vnde in fauorem ipſorum Monachorum cùm implorandum eſt brachium ſeculare, Epiſcoporum auxilium aduocatur; qui tam per cenſuras Eccleſiaſticas, quàm aduocato brachio ſeculari contumaces, & injuriam Monaſteriis inferentes compeſcant, vt paſſim obſeruare eſt.

Altera occaſio eſt quando agitur de crimine hæreſeos, vel ſchiſmatis: nam Regularium Superiores non cognoſcunt cauſas ſuorum ad ſacram Inquiſitionem ſpectantes, ſed ab Epiſcopis, & Inquiſitoribus puniuntur, ex Concilio Vienneńſi, Clementina *Multorum*. §. *Propter quod, de hæreticis*, ex Conſtitutionibus 51. Pij IV. & 26. Pauli V. quibus etiam exempti cujuſcunque Ordinis Regulares, ſi de hæreſi ſuſpecti ſint, ab Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis puniendi mandantur. Addit, & Paulus V. *Denuntiationes quaſcunque etiam ab ipſiſmet Regularibus faciendas, & cauſas ad officium ſanctæ Inquiſitionis ſpectantes, coram Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis vicinioribus fieri, proponi, & tractari debere*; quemadmodum refert Synodus Nucerina ann. 1608. titulo *in quibus viri, & loca regularia Epiſcopali ſubjaceant juriſdictioni*. Addit Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. cap. 2. de reform. *Si verò*,

Digitized by Google

quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiamſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quòd ſi hæreſes prædicauerit; contra eum ſecundùm juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat: etiamſi Prædicator ipſe generali, vel ſpeciali priuilegio exemptum ſe eſſe prætenderet: quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolicâ, & tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedat. Quæ eadem habet Synodus Nucerina tit. citato. Arretina cap. 40. vtráque §. *Atſi, quod abſit,* Concilium Auenionenſe prouinciale ſub Franciſco Maria ann. 1564. *de prædicatione verbi Dei.* §. *Diligenter.* Synodus Maceratenſis ann. 1651. §. 5. num. vltimo.

Rationes plures ſunt earum Conſtitutionum : quarum præcipua eſt, quia definitio circa res de Fide ſpectat præſertim ad Epiſcopos, vt ſuperiùs variis in locis docuimus, oſtenditque Clemens Romanus epiſt. 3. vbi docet *audire* Epiſcopum *attentiùs opportere, & ab ipſo ſuſcipere doctrinam Fidei; monita autem vitæ à Presbyteris; à Diaconis verò ordinem diſciplinæ :* quæ verba parùm immutata habentur, lib. 3. recognitionum ejuſdem pag. 49. Ergo vbi agitur de doctrina Fidei judicium maximè ſpectat ad Epiſcopos.

Eædem rationes militant aduersùs ſchiſmaticos. Nam, vt ait ſanctus Auguſtinus, *hæreſis eſt inueteratum ſchiſma*, nec ſchiſmaticus contumaciam ſuam defendere poteſt, niſi ſeceſſioni ſuæ addat errorem: ſic, verbi gratiæ, Donatiſtæ ſchiſma aduersùs Cæcilianum conflatum defendere non potuerunt, niſi accuſatione vniuerſalis Eccleſiæ tanquam ſpuriæ, & adulterinæ, quòd ſe traditorum communicatione inquinaſſet; à qua etiam collata ab ipſis Sacramenta fœdarentur, vt leges apud Optatum Mileuitanum, & Auguſtinum in libris aduersùs hanc hæreſim conſcriptis. Sic Quartadecimani ſeceſſionem excuſare ſuam non potuerunt, quin propriæ conſuetudini adderent hæreſim, cùm nempe totius Eccleſiæ morem reprehenderunt, vt patet ex epiſt. Polycratis Epheſiorum Epiſcopi apud Euſebium. Quare eædem rationes quæ pro Epiſcoporum poteſtate aduersùs hæreticos proferuntur, eædem aduersùs ſchiſmaticos quoque locum habebunt.

Digitized by Google

Tertia occaſio diſtringendæ ab Epiſcopis in Monachos cenſuræ, & animaduerſionis, ſunt crimina omnia enormia, ſeu atrocia, in quæ ſi impegerit Regularis, & de iis accuſatus fuerit, poterit ab Epiſcopo puniri. Probari hoc ſolet ex cap. *Licèt, de officio Iudicis ordinarij*: ſed illud loquitur tantùm de correctione Regularium non exemptorum, à qua etiam ad Archiepiſcopum appellatio detur. Efficaciùs ergo probari poteſt ex Concilio Lugdunenſi cap. *Volentes, de priuilegiis. Volentes*, inquit, *libertatem quam nonnullis Apoſtolica Sedes priuilegio exemptionis indulſit, ſic integram obſeruari, vt & illam alij non infringant, & ipſi ejus limites non excedant declaratione irrefragabili diffinimus, quòd quantumcunque ſic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſiue contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, ritè poſſunt coram locorum Ordinariis conueniri; & illi, quoad hoc, ſuam in ipſos juriſdictionem, prout jus exigit, exercere. Nunquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non vtique: quia nec coram Ordinariis ipſis, dummodo ſit in loco exempto commiſſum delictum*, &c. Addit etiam idem Concilium Lugdunenſe eodem cap. §. *In eos*, eoſdem Monachos ad Monaſteriorum ſuorum Prioratus iiſdem Monaſteriis ſubjectos, vel ad eorum regimen, vel ad faciendam in eis reſidentiam deſtinatos, deinceps juriſdictioni Epiſcoporum ſubditos iri, & in illis locis puniri poſſe. Ex quo proinde decreto Concilij conſtat Monachos extra clauſtra delinquentes, ratione delicti, ab Ordinariis puniri poſſe, dummodo delictum in loco exempto commiſſum non ſit.

Hanc Conſtitutionem Concilium Trident. innouat, & confirmat ſeſſ.7.cap.14. de reform. quin etiam addit, ſi Regularis non ſubditus Epiſcopo, & extra Monaſterium degens, notoriè extra Clauſtra delinquat, & populo ſcandalo ſit, Epiſcopum inſtare debere, vt is à ſuo Superiori intra tempus ab ipſo Epiſcopo præfigendum ſeuerè puniatur, vt ſuprà oſtendimus. Quòd conforme eſt capiti *Quanto, de officio Iudicis ordinarij*; vbi Ordinarius ſupplet negligentiam Abbatis non reuocantis Monachum vagabundum, & capiti *Irrefragabili*, eodem titulo, vbi Capitulo non corrigente exceſſus

Digitized by Google

exceſſus Canonicorum ſtatuitur Epiſcopum corrigere eos debere; & Canonicis, abſque manifeſta, & rationabili cauſa ceſſantibus à diuinis in contemptum Epiſcopi, Metropolitanus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, ad querelam Epiſcopi eos, cognitâ veritate, caſtigandi accipit poteſtatem. Quod Concilium Tridentinum ampliauit cap. 6. de reform. ſeſſ. 25. Speciatim verò notandum eſt quod habetur capite iſto ſexto, vt *in criminibus ex incontinentiâ prouenientibus, de qua in decreto de concubinariis, & in atrocioribus delictis, depoſitionem, aut degradationem requirentibus, vbi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideo opus ſit perſonali detentione, poſſit initio ſolus Epiſcopus ad ſummariam informationem, & neceſſariam detentionem procedere, ſeruato tamen in reliquis ordine præmiſſo.* Videtur autem hæc regula etiam ad Regulares exemptos extendi poſſe: quia nempe par illorum, & Canonicorum exemptorum eſt ratio; adeout in atrocioribus iſtis criminibus detineri poſſit Regularis judicandus, ne fugiat pœnam ſibi debitam, antequam moneatur Superior, & criminis ſuſpicio diffametur: quod præſertim in Gallia locum habet, vbi prehenſio rei ad quemlibet judicem ſpectare videtur, nec adeo anxiè quæritur vtrum reus juriſdictioni judicis ſubjaceat; cùm remiſſionem ad proprium judicem petere poſſit. Cùm ergo intererit boni publici apprehendi Regularem atrocioris criminis ſuſpectum, reprehendi, meo judicio, non poterit factum Epiſcopi illum curantis apprehendi, & in carcerem, vel cuſtodiam mitti, donec Superior moneatur, ſi opus ſit, & judicij forma in reliqua cauſa ſeruetur.

Adde Galliæ morem eſſe, vt in atrocibus criminibus etiam Magiſtratus ſecularis interueniat pro delicto, vt vocant, priuilegiato, quod in infinitum jam extenditur. Clauſtralis autem Prælati cum Magiſtratu ſeculari nullum eſt commercium; ſed ſola Eccleſiaſtica poteſtas de his poteſt ſatagere cum ſeculari: ſecus verò ad ſolam ſecularem poteſtatem res reuocabitur, ſi Regulares incaſſum in atrocioribus criminibus Epiſcopi judicium fugiant. Formam iſtorum judiciorum, quæ ſunt mixti fori, leges apud Gregorium Ma-

Digitized by Google

gnum lib. 2. epiſt. 1. 2. 6. & 7. indictione 11. Iuſtinianum Nouella 123. cap. 2. Edictum Clotarij Regis in Conuentu Epiſcoporum Pariſiis poſt Concilium Pariſienſe 5. tomo 1. Conciliorum Galliæ. Hiſpalenſe 2. c. 9. Aurelianenſe 4. c. 20. Hincmarum tomo 2. Auctuarij Bibliothecæ Patrum cap. 29. pag. 591. in 8. Synodo aduersùs Photium, & in Chalcedonenſi aduersùs Dioſcorum; in quibus tamen exemplis reperies laïcis aliquando plus, aliquando minùs datum. Vt ut ſit, niſi in iſtis criminibus clauſtrum Eccleſiæ cedat, cedet omnino Eccleſia ciuili foro.

Quarta occaſio quæ ſe offert Epiſcopo ad exercendam in Monachos etiam exemptos animaduerſionem, eſt cùm ipſi priuilegio abutuntur, & ſibi minimè conceſſa aduersùs Epiſcopalem poteſtatem attentant. Tunc temporis ſiquidem Epiſcopi juriſdictionem ſuam tueri coguntur, quod vnicuique judici permiſſum eſt, etiam pœnali judicio, cap. *Paſtoralis, de officio deleg.* Sic Metropolitano impedientes ſuam juriſdictionem, dummodo ſit notoria, *punire propriâ auctoritate* conceditur cap. 1. *de pœnis*, in 6. Sic etiam eidem Metropolitano, cui per Canones extra Concilium excommunicare, ſuſpendere, vel aliter punire Epiſcopos ſuæ Prouinciæ interdictum eſt, can. *Per ſingulas*, can. *Saluo*, can. *Si Archiepiſcopus*, can. *Nullus Primas*, & aliis 9. quæſt. 3. nihilominus impedientem, turbantémque ipſius juriſdictionem excommunicare permiſſum eſt, cap. *Venerabili, de ſententia excommunicationis*, & cap. *Romana, de appellationibus*. Eáque ratio agendi contra Regulares exemptos videtur eſſe potiùs defenſionis, quàm actionis aduersùs exemptum. Hinc cap. *Cùm & plantare, de priuilegiis* Religioſos exemptos ob plurima aduersùs Epiſcopi auctoritatem, priuilegiorum exceſſu, attentata puniendos ſtatuit Alexander III. in Concilio Lateranenſi; puta ſi Eccleſias, & decimas de manu laïcorum recipiant; ſi excommunicatos, & nominatim interdictos juxta Epiſcoporum ſententiam non euitent; ſi in Eccleſiis quæ ad eos pleno jure non pertinent, Preſbyteros inſtituendos Epiſcopis non repræſentent, aut inconſultis Epiſcopis remouere audeant inſtitutos; ſi Templarios, vel Hoſpitala-

Digitized by Google

rios ad Eccleſiaſticum officium admittant, vel corpora defunctorum apud eos ſepeliant; ſi confratres, ſeu oblati ipſorum non ſe omnino religioni addicant, quos ab Epiſcoporum poteſtate nullatenus eximi ſtatuit; eáque verba ſubjungit: *Quòd autem de prædictis Fratribus dictum eſt, ab aliis quoque Religioſis, qui præſumptione ſuâ, Epiſcoporum percipiunt jura, & contra canonicas eorum ſententias, & tenorem priuilegiorum noſtrorum venire præſumunt, præcipimus obſeruari. Si enim contra inſtitutum hoc venerint, & Eccleſiæ, in quibus iſta præſumpſerint, ſubjaceant interdicto; & quod egerint, irritum habeatur.*

Clemens V. in Concilio Viennenſi cap. *Religioſi*, Regulares exemptos circa Sacramenta priuilegiis abutentes excommunicat; & Ordinariis mandat, vt excommunicatos faciant publicè nuntiari. Sequenti etiam capite eoſdem plurima alia indebita præſumentes à Prælatis ipſorum corrigi jubet; quos, niſi inferiores ſuos coegerint Eccleſiis, aut perſonis Eccleſiaſticis damnificatis, aut læſis ſatisfactionem plenariam exhibere, intra menſem, poſtquam requiſiti fuerint, ſuſpenſione ipſo facto incurrendâ plectit. Alexander III. cap. *Ad hæc, de priuilegiis*, Archiepiſcopo Cantuarienſi mandat, vt ſi Hoſpitalarij in excommunicatione defunctos, quos in Cœmeteriis Eccleſiarum ſepelierint, extra Cœmeteria ejicere noluerint, aduersùs ipſos ſententiam exequatur. Cæleſtinus III. Regulares, Templarios, Hoſpitalarios, & alios Oratoria in domibus ſuis habentes, ſi campanas in eis ponant, publicéque pulſent, per cenſuram Eccleſiaſticam coercendos eſſe decernit, cap. *Patentibus*, eodem.

Et ſanè ſuis priuilegiis priuandus eſt qui alienis derogat, cap. *Dilecti*, eodem: & priuilegium meretur amittere qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, 11. quæſt. 3 can. *Priuilegium*, & cap. *Tuarum, de priuilegiis*, vnde Hoſpitalarios qui varios exceſſus commiſerant, Clericos ſuſpenſionis, Laïcos excommunicationis ſententiâ feriendos Archiepiſcopo Lugdunenſi præcipit Summ. Pont. in quem locum notat Gloſſa quod ratione delicti perditur priuilegium: nec enim prætextu priuilegij flagitiorum creſcit auctoritas, codice de pri-

Digitized by Google

uilegiis ſcholarium, lege 11. nec remiſſio peccatorum dat licentiam delinquendi, 1. quæſt. 7. can. *Exigunt*, & de pœnitentia diſtinct. 3. can. *Sanè*: vnde & dicit Imperator non permittas delinquentes aliquibus priuilegiis vti, authentica de mand. prin. §. *Quòd ſi delinquentes*, collatione 3. Aliorum tamen ſententiam refert eadem Gloſſa, ſcilicet niſi expreſsè permiſſum ſit Ordinario, priuilegiis exuendos non eſſe qui ipſis donati ſunt, ſaltem antequam priuilegiis indigni fuerint declarati. At verò nouiſſimo Concilio Trident. aliiſque decretis Summorum Pontificum priuilegiis abutentes auctoritate Apoſtolicâ puniendi declarantur. Quòd ſi fortè contingeret Monachos veſtes, habitúmque monachalem exuere, & ſeculariter omnino viuere, jam ſe priuilegio tueri nequaquam poſſent, quemadmodum nec Clerici qui à Prælatis ſuis tertiò commoniti arma deponere noluerint, quos *de priuilegio Clericorum ſubſidium aliquod habere* non debere declarat, cap. *In audientia*, tit. *De ſententia excommunicationis*.

Denique ſunt quædam genera delictorum in Monachis, propter quæ Eccleſia Ordinariis locorum indulſit, vt in ipſos quantumuis exemptos agere poſſent: qualia ſunt, verbi gratia, peccata contra clauſtralem diſciplinam: circa quam duobus præſertim modis agere Ordinariis permiſit Eccleſia. 1° Monendo Superiorem in quibuſdam caſibus, de quibus ſuprà. 2° In viſitatione ipſa Monaſteriorum, in qua ſententiæ Epiſcoporum abſque appellatione executioni ſunt demandandæ ex Concil. Trident. cap. 5. 20. 21. & 22. ſeſſ. 25. de regularibus: quod vtique juri, & ratione conforme eſt. Nam cui mandatur juriſdictio, mandantur ea omnia ſine quibus juriſdictio exerceri non poteſt; atque adeo & vis coercendi. Alia peccata ſunt, quæ irregularitatem, anomaliam, & diſcrepantiam notabilem in Regularibus inducunt; ad quam vitandam Eccleſia judicauit Ordinariis locorum poteſtatem dandam eſſe, vt ad vnitatem Monachos reuocarent; puta vt feſta cum reliquo populo, jejunia ſolennia, & proceſſiones celebrent, aliáque hujuſmodi: in quibus ſi diſcrepent Monachi à ceteris, videntur Eccleſiam quodammo-

Digitized by Google

do diuidere & ex vna duas facere; quod monſtroſum foret. Item ſi delinquant Regulares circa cetera diſciplinæ Eccleſiaſticæ capita; puta circa teſtamenta, circa vnionem beneficiorum, Monaſteriorum erectionem, circa cenſuras, aut interdicta ſeruanda, circa Sacramentorum adminiſtrationem quæ ad ipſos non ſpectat, & cetera hujuſmodi, in quibus dubio procul ſubjacent Regulares Ordinariorum juriſdictioni, vt vel ex vno Concilio Tridentino maximè patet. Neque hoc derogabit ipſorum priuilegiis; nam nihil vetat aliquem ratione vnius ſubdi Epiſcopo, non ratione alterius, vt patet ex Concilio generali Lugdunenſi, cap. *Volentes, de priuilegiis*, in 6. in quo exempti *gaudere* tamen *libertate* conceſſa dicuntur, quamuis *ratione delicti, ſiue contractus, aut rei de qua contra ipſos agitur, poſſint coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc, ſuam in ipſos juriſdictionem, prout jus exigit, exercere:* & cap. *Cùm capella, de priuilegiis*, in quo Clerici ratione capellæ ducis Burgundiæ exempti Apoſtolicis priuilegiis, ratione Parochialium Eccleſiarum, & aliis in caſibus ad Epiſcopalem juriſdictionem ſpectare declarantur, itaut *Officij* ipſorum *debitum* Ordinarius loci *in eoſdem liberè proſequatur*. Itaque diſſentaneum non eſt, vt aliqui ratione diſciplinæ clauſtralis ſubjaceat ſolis Superioribus regularibus; ratione verò diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſubdatur Ordinario loci tanquam vindici ſuarum legum, & Ordinis ac diſciplinæ Eccleſiæ.

Vnum eſt fortè quod obſtare poſſet; ſi nempè Apoſtolico indulto pœnæ inferendæ ab Ordinario loci ſubtrahantur; verbi gratia, pœnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti. Nam quibus hæc indulta ſunt, Clemens IV. cap. *Ne aliqui, de priuilegiis*, in 6. eos priuilegio gaudere vult, adhibita diſtinctione priuilegiorum perſonalium, & priuilegiorum Ordinum, ac locorum. Nam de priuilegiis quæ ſunt perſonis conceſſa, nullam habet rationem, niſi ad petitionem Regum, Reginarum, vel eorum filiorum conceſſa ſint. Priuilegia verò conceſſa Ordinibus, vel locis tenere vult; itaut ij quibus illa data ſunt, nec excommunicentur, nec ſuſpendantur, nec interdicantur. Vtrum autem, vbi deliqueQqq iij

rint contra legem ab Ordinario latam, & cui ipſi obligentur, hoc decretum ampliari debeat, poſſet eſſe quæſtio: ad quam omnino dirimendam poteſtatem Apoſtolicam Concilium Trident. Epiſcopis indulſit, vt nihil ſit quod eos remorari queat.

ARTICVLVS XXXII.

EPISCOPI clauſtra Monaſteriorum Monialium ordinariè ſingulis annis; extraordinariè, cùm neceſſum fuerit, viſitare poterunt, quacunque exceptione aduersùs ipſorum juriſdictionem non obſtante. Poterunt ſcilicet muros intra, & extra catharactas, exedras ad colloquium perluſtrare; vt videant, & recognoſcant, num aliquid ad clauſuram deſideretur, num omnia tuta, & optimè ſtructa ſint; itaut ad ſepta ipſa ritè fouenda Moniales liceat ipſis, ſub pœnis à jure ſtatutis, compellere: quemadmodum & impedire ipſi obligantur, ne hujuſmodi clauſura quacunque ratione violetur.

ARTICVLVS XXXIII.

CONSTITVTIONES ab Epiſcopis factæ pro clauſura Monialium, quæ ingreſſum in Monaſteria extraneis, & egreſſum clauſtris è Monialibus interdicunt, ſanctè, & religiosè ſeruabuntur; neque permittetur vlla Monialis è Monaſterio ſuo egredi, niſi in caſibus à jure permiſſis; itaut quæcunque diſceſſura ſit, præter licentiam Superiorum

Digitized by Google

Regularium, duplicem aliam habeat, vnam Epiſcopi Diœceſis ad quam profectura eſt, aliam Diœceſis à qua eſt exitura.

Commentarius ad Articulos trigeſimum-ſecundum, & trigeſimum-tertium.

CONTINENT hi articuli ea, quæ ad clauſuram Monialium ſpectant: ad quam nempe pertinet vt diligenter caueatur, ne vel Moniales extra clauſtra Monaſterij egredi poſſint, vel aliqui, aut aliquæ, quibus non licet, ad interiora Monaſterij admittantur.

Olim clauſura Monialium, ac ſacrarum Virginum non adeo ſtricti juris fuit, quàm nunc eſſe videtur, ob corruptionem poſteriorum temporum, vbi neque ſimplicitati, neque morum puritati, ac caſtimoniæ locus vix vllus relictus eſt. Quaſdam enim Virgines, & Sanctimoniales in parentum domibus aliquando cuſtoditas legimus in Concilio Carthaginenſi 3. c. 33. & in Africano c. 11. necnon in collectione Græca Carthaginenſium Synodorum c. 44. vbi circa Virgines idem ſtatutum quod repetitur lib. 1. Capitularium c. 40. ſcilicet: *Sacræ Virgines, cùm à parentibus ſegregantur, à quibus cuſtodiebantur, Epiſcopi, aut, eo abſente, Presbyteri prouidentia, honeſtioribus mulieribus commendentur, vel ſimul habitantes ſeſe cuſtodiant, vt ne vndique vagantes opinionem Eccleſiæ lædant.*

Attamen jam à multo tempore Monaſteriorum regulariter ordinatorum ad Monialium vſum clauſura ſtrictè ſancita fuit. Nam in Epaonenſi Concilio, c. 38. *Monaſteria puellarum nonniſi probatæ vitæ, & ætatis prouectæ, ad quaſcunque earum neceſſitates, vel miniſtrationes permittantur intrare: ad faciendas verò Miſſas qui ingreſſi fuerint, ſtatim exacto miniſterio regredi feſtinabunt; aliàs autem nec Clericus, nec Monachus juuenis vllum ad puellarum Congregationem habebit acceſſum, niſi hoc aut paterna, aut germana neceſſitudo probetur admittere.* Matiſconenſe 1. c. 2. & Arelatenſe 6. c. 7. eadem ferè continent

quæ Epaonenſe : prætcrquam quòd expreſsè viros tantùm prohibent intrare ; Epaonenſe verò etiam feminas, niſi probatæ vitæ, & ætatis prouectæ. Trullanum, c. 47. *Neque mulierem in Monaſterio virorum, neque virum in Monaſterio mulierum dormire permittit.* Turonenſe ſub Carolo, cap. 29. *Presbyteris, Diaconis, ceteriſque Clericis clauſtra Monaſteriorum puellarum non eſſe conceſſum habitare* declarat, *neque intrare Monaſteria* &c. *Similiter, & aliis hominibus eadem Monaſteria importunè frequentare cupientibus omnem aditum recludi* jubet. Idem habet Cabilonenſe 2. ſub eodem. Iuſtinianus Nouella 133. cap. 3. negat ingredi licere *neque mulieres in virile Monaſterium, neque viros in femineum, occaſione mortui, vel ibi ſepulti ad memoriam, vel per aliam cauſam, etiamſi quis fratrem fortè, vel ſororem, aut aliquem ex genere habere in Monaſterio dicat : cognatio enim Monachis in terra non eſt* &c. Ideo cap. 4. præcipit Præſulibus, vt ad hæc cuſtodienda vigilent, ſcrutentur, atque inueſtigent vtrum omnia ritè cuſtodiantur. Capite verò 5. ad negotia agenda in ſingulis Monaſteriis tam virorum, quàm mulierum *reſponſarios, ſiue apocriſiarios viros ſenes, & monachicum certamen ſuperantes, nec facilè corporales injurias paſſuros* : & quidem in Monaſteriis mulierum, ſi fieri poteſt, *eunuchos, aut ſenes, & caſtitatis teſtimonium habentes, qui Abbatiſſæ loquantur, & nulli alteri ex Reuerendiſſimis Monialibus, niſi per Officiarias agentes* : quarum officium eſt *ingreſſus, & egreſſus in Monaſterium inſpicere, egreſſus Monialibus prohibere, & inacceſſibiles viris ingreſſus, præterquam apocriſiariis conſtituere* &c.

Poſterioribus temporibus lex confirmata eſt : puta in Conciliis ſub Carolo Magno, Turonenſi, c. 30. Cabilonenſi, c. 57. Moguntino c. 13. & 20. Aquiſgranenſi 2. ſub Ludouico parte 3. cap. 15. Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi Epiſtola ad Preſbyteros Aurelianenſes, cap. 46.

Strictiùs adhuc, & ſeueriùs Monaſteriorum clauſura ſancita eſt poſtremis Eccleſiæ decretis. Bonifacius VIII. cap. vnico, *De ſtatu Regularium, periculoſo,* inquit, *& deteſtabili quarundum Monialium ſtatui (quæ honeſtatis laxatis habenis, &*

Monachali

Monachali modeſtiâ, ſexúſque verecundiâ impudenter abjectis extra ſua Monaſteria, nonnunquam per habitacula ſecularium perſonarum diſcurrunt, & frequenter intra eadem Monaſteria perſonas ſuſpectas admittunt in illius, cui ſuam integritatem voluntate ſpontaneâ deuouerunt, grauem offenſam, Religionis opprobrium, & ſcandalum plurimorum, prouidere ſalubriter cupientes; præſenti conſtitutione perpetuò irrefragabiliter valiturâ, ſancimus, vniuerſas, & ſingulas Moniales præſentes, atque futuras, cujuſcunque Religionis ſint, vel Ordinis, in quibuſlibet mundi partibus exiſtentes, ſub perpetua in ſuis Monaſteriis debere de cetero permanere clauſura: ita quòd nulli earum Religionem tacitè, vel expreſsè profeſſæ, ſit, vel eſſe valeat quacunque ratione, vel cauſa, niſi fortè tanto, & tali morbo euidenter earum aliquam laborare conſtaret, quòd non poſſet cum aliis abſque graui periculo, ſeu ſcandalo commorari, Monaſteria ipſa deinceps egrediendi facultas; nullíque aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ (niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia) ingreſſus, vel acceſſus pateat ad eaſdem: vt ſic à publicis, & mundanis conſpectibus ſeparatæ omnino ſeruire Deo valeant liberiùs, & (laſciuiendi opportunitate ſublata) eidem corda ſua, & corpora in omni ſanctimonia diligentiùs cuſtodire. Iſtius verò decreti exequendi poteſtatem locorum Ordinariis, eodem capite concedit. §. finali, his verbis: *Et quoniam parum eſſet condere jura, niſi eſſent qui ea executioni debitè demandarent; Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis vniuerſis diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ ſub obteſtatione diuini judicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipiendo mandamus, quatenus eorum quilibet in ciuitate, ac diœceſi propria, in Monaſteriis Monialium ſibi ordinario jure ſubjectis, ſuâ, in iis verò quæ ad Romanam immediatè ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicæ auctoritate*, &c.

Similiter Clemens V. in Concilio Viennenſi cap. *Attendentes, de ſtatu Monachorum: Hoc igitur*, inquit, *ſacro approbante Concilio, duximus ſtatuendum, vt ſingula Monialium Monaſteria per Ordinarios, exempta videlicet, quæ ita Sedi Apoſtolicæ, vt nulli alij ſubjecta noſcuntur, Apoſtolicâ; non exempta verò*

Digitized by Google

ordinariâ auctoritate; ac exempta alia per alios quibus ſubſunt, annis ſingulis debeant viſitari. Item: *Illas quoque mulieres quæ vulgo dicuntur Canonicæ ſeculares, & vt ſeculares Canonici vitam ducunt, non renunciantes proprio, nec profeſſionem aliquam facientes, per locorum Ordinarios, ſi exemptæ non fuerint, ſuâ: ſi verò exemptæ fuerint, Apoſtolicâ auctoritate præcipimus viſitari. Per hoc tamen non intendentes earum ſtatum, regulam, ſeu ordinem approbare.*

Denique Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 5. *Bonifacij VIII. Conſtitutionem, quæ incipit periculoſo, renouans ſancta Synodus vniuerſis Epiſcopis ſub obteſtatione diuini Iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, vt in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis, ordinariâ; in aliis verò ſedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent, inobedientes, ac contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliáſque pœnas, quacunque appellatione poſtpoſitâ, compeſcentes, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis: quod autem vt præbeatur, omnes Chriſtianos Principes hortatur ſancta Synodus, & ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, omnibus Magiſtratibus ſecularibus injungit. Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire à Monaſterio, etiam ad breue tempus, quocunque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa, ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuſcunque, & priuilegiis non obſtantibus. Ingredi autem intra ſepta Monaſterij nemini liceat, cujuſcunque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda. Dare autem tantùm Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis: neque alius vllo modo poſſit, etiam vigore cujuſcunque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi. Et quia Monaſteria Sanctimonialium extra mœnia vrbis, vel oppidi conſtituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus ſine vlla ſæpe cuſtodia ſunt expoſita, curent Epiſcopi, & alij Superiores, ſi ita videbitur expedire, vt Sanctimoniales ex iis ad noua, vel antiqua Monaſteria intra vrbes, vel oppida frequentia reducantur, inuo-*

Digitized by Google

cato etiam auxilio, ſi opus fuerit, brachij ſecularis. Impedientes verò, vel non obedientes, per cenſuras Eccleſiaſticas parere compellant.

Has conſtitutiones in Galliis amplexata ſunt varia Concilia prouincialia, quorum plurima à Summis Pontificibus probata ſunt. Concilium Rothomagenſe ann. 1581. tit. *de Monaſteriis* num. 27. Concilium Rhemenſe ann. 1583. tit. *de Regularibus, & eorum Monaſteriis*, num. 12. quod quidem ita ſtatuit: *Locos Monachorum Regulares mulieres non ingrediantur, viciſſimque viri non intrent feminarum clauſtra; imo nec aliæ feminæ. Quiſquis verò clauſtra Monialium ſine Superioris licentia, quam nonniſi in caſibus neceſſariis impertietur, fuerit ingreſſus, ſententiam excommunicationis ſe incurriſſe nouerit.* Et paulopoſt, num. 17. *Sanctimoniales quæ ſolæ degunt apud parentes, vel numero paucæ in Xenodochiis, aut Monaſteriis quæ ruri exiſtunt, ne ſatanæ, vel malorum hominum prædæ ſint expoſitæ, ſi fieri poteſt, in vrbes, vel oppida proxima Monaſteriis occludendæ ducantur, etiam inuitæ, & quamuis earum priuilegia reclament, juxta decretum Concilij Trident. & Conſtitutionem Pij V.* Burdigalenſe anno 1583. tit. *de Monaſteriis*, ſub finem, *Nemini, cujuſcunque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, Sanctimonialium ſepta, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda ingredi liceat; quæ quidem licentia in caſibus tantùm neceſſariis, & non in aliis ab Epiſcopo concedi poteſt. Hortamur autem obnixè in Domino Coepiſcopos noſtros, vt quæ illis ſub interminatione maledictionis æternæ à S. Synodo Tridentina de clauſura, ſeptiſque Sanctimonialium injuncta ſunt, diligenter curent exequenda; vt in quibus locis violata fuerint, diligenter inſtaurentur; vbi adhuc integra ſunt, conſeruentur; inobedientes, atque rebelles, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliáſque pœnas, poſtpoſitâ quacunque appellatione, compeſcendo, Magiſtratus ope, ſi opus fuerit, ad hoc aduocatâ. Omnia verò ejuſdem S. Synodi Tridentinæ decreta, & Conſtitutionum Summorum Pontificum de Regularibus, & Monialibus, non minùs accuratè in omnibus Monaſteriis obſeruentur, ac ſi in his conſtitutionibus noſtris eſſent inſerta.*

Digitized by Google

His adde Turonenſe Concil. anno 1583. tit. *De Monialibus*, §. *Ipſarum*, Bituricenſe ann. 1584. tit. 37. *De Monaſteriis, & domibus Religioſis*. c. 20. 21. 22. 23. 24. Aquenſe ann. 1585. tit. *De Monialibus*, §. *Tanti*, §. *Duo igitur*, §. *Meminerint*, §. *Anathemati*, §. *Simili quoque*, §. *Eáque omnia*, §. *Curent Epiſcopi*, §. *Nulli Moniali*, §. *Caueant*, §. *Ne præterea.* Concilium Tholoſanum anno 1590. parte 1. cap. 7. *De Monialibus*, §. *Nulli*, §. *Si quas*, §. *Nemini*, §. *Quibus*, §. *Moniales*; Concilium Narbonenſe ann. 1609. *De Abbatibus Regularibus*, *& Monialibus*, §. *Quacunque*, §. *Hortamur*, §. *Nemini*; Concil. Burdigalenſe ann. 1624. cap. 19. *De Monialibus*, §. 1. 2. 3.

Quin etiam plurimis Edictis regiis poteſtas Epiſcoporum ad clauſuram Monialium diſtrictè cuſtodiendam ſancita, & ſtabilita eſt Statuum Bleſenſium art. 31. Melodunenſis Ordinationis articulo 2. Edicto Regis Caroli IX. ad articulum 28. Cleri, ann. 1574. aliiſque: quibus nempe clauſuræ obſeruatio Epiſcopis injungitur, & poteſtas coercendi per cenſuras Eccleſiaſticas inobedientes, non obſtante quacunque prouocatione, aſſeritur: Monialium egreſſus è Monaſterio abſque licentia Epiſcopi prohibetur, non obſtantibus indultis, aut priuilegiis in contrarium datis: cujuſcunque dignitatis, ſexus, vel ætatis hominum ingreſſus abſque licentia Epiſcopi, vel Superioris ſcripto conſignata, & vbi neceſſitas duntaxat vrget, ſub pœna excommunicationis interdicitur: ſecuritati denique Monaſteriorum in agris ædificatorum ab Epiſcopo prouidendum ſtatuitur, & eorum reductio ad vrbes, ſi Epiſcopo ita viſum fuerit, permittitur, inuocato, ſi opus eſt, brachio ſeculari, & cenſurarum Eccleſiaſticarum additâ poteſtate.

Plurima paſſim in Conciliis Italicis ſeueriſſimè ſtatuuntur ad aſſerendam Monialium clauſuram. Legantur Concilium Prouinciale Mediolanenſe, 1. *De Monialium clauſura*, 2. *Capita quædam ad Moniales pertinentia*, 4. *De Monialibus*, 5. & 6. *De iis quæ ad Moniales pertinent.* Quando verò Monialium Monaſteria, & quibus caſibus earum Prælati ingredi poſſint, leges in conſtitutione, quæ incipit *Dubiis quæ*

Digitized by Google

emergunt, Gregorij XIII. ann. 1582. quâ vtique conſtitutione, §. 2. pœnæ ſeueriſſimæ adhibentur tum aduersùs Epiſcopos Bullam non obſeruantes, & poteſtate abutentes, tum aduersùs Superiores Regulares.

ARTICVLVS XXXIV.

CVM Superior Religionis candidatæ veſtem imponere, aut illam ad votiuam profeſſionem admittere voluerit, quantumcunque Superior regularis, & Directores ordinarij exemptos ſe prædicent, Epiſcopum tamen diœceſanum, aut ejus Vicarium ante menſem circiter admonebunt. Quæ autem profeſſionem regularem emiſſura erit, aut veſtem receptura, examinetur antequam alterutrum fiat: quod vtrumque extra clauſtra, & loca regularia dicti Monaſterij perfici debet.

Commentarius ad Articulum trigeſimum-quartum.

HANC Epiſcopis poteſtatem tribuit, curâmque ſimul impoſuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de Regularibus, cap. 17. *Libertati profeſſionis Virginum Deo dicandarum proſpiciens ſancta Synodus, ſtatuit, atque decernit, vt ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quàm explorauerit Epiſcopus; vel eo abſente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat: & ſi voluntas ejus pia, ac libera cognita fuerit, habuerítque conditiones requiſitas juxta Monaſterij illius, & Ordinis Regulàm, necnon Monaſterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat: cujus profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret teneatur præfecta Monaſterio eum ante menſem certiorem facere: quòd*

Digitized by Google

ſi præfecta certiorem Epiſcopum non fecerit, quandiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit. Hanc ſanctionem Tridentinam exſcribunt Concilium Rothomagenſe ann. 1581. tit. *de Monaſteriis*, num. 24. Aquenſe ann. 1585. tit. *de Monialibus*, §. *Libertati*, Burdigalenſe ann. 1624. cap. 19. *de Monialibus*, §. 4. Burdigalenſe prius ann. 1583. cap. 25. *de Monaſteriis*, generaliter idem ſtatuerat, dum omnia Synodi Tridentinæ decreta de Regularibus, & Monialibus non minùs accuratè in omnibus Monaſteriis obſeruari præcipit, ac ſi ea Conſtitutionibus ſuis inſerta eſſent. Eandem legem ſtatuit Turonenſe ann. 1583. titulo *de Monialibus : Statuimus inſuper, & decernimus, vt ante ſuſceptionem habitus ab Epiſcopo, vel eo abſente, aut impedito, ab ejus Vicario, aut aliquo ab eo deputando, Virginis voluntas diligenter extra Monaſterij ſepta inquiratur, & examinetur num coacta, aut ſeducta ſit, & vtrum intelligat quid agat: cùm verò iterum ante profeſſionis emiſſionem ejuſdem Virginis voluntas fuerit exploranda, id non fiat extra ſepta, niſi fortè ex cauſa in Monaſterij Eccleſia exteriore.* Tholoſanum anno 1590. parte 1. cap. 3. *de Monialibus*, §. 9. *Ne intra ſepta Monaſterij, ſed in ipſa Monaſterij Eccleſia, palam, & publicè Nouitiæ examinentur, quo liberè, confidentérque ſuum animum teſtari queant.* Has Conciliorum Conſtitutiones auctoritate regiâ in Statibus Bleſenſibus anno 1579. art. 28. confirmatas legimus.

Similiter in reliquis Prouinciis idem ſtatutum eſt. Sufficiat nobis Concilium Mediolan. 5. tit. *de puellis ad Religionem admittendis : Præfecta, & Moniales de puella earum ſuffragiis ad ſuſcipiendam Religionem admittenda, quidquam polliceri, aut Capitulum cogere non audeant, priùs quàm libero in loco ab Epiſcopo, aut ab eo, cui ipſe id munus delegarit, puella ſecretò examinata, ac probata facultatem ſuſcipiendi in eo Monaſterio Religionem ſcripto conſequuta fuerit, conſentiente etiam illius Monaſterij Superiore.* Et titulo ſequenti *de Nouitiis ad profeſſionem recipiendis : Quoniam ex Concilij Trid. decreto profeſſio ante decimum-ſextum annum expletum, & ante annum probationis poſt ſuſceptum habitum facta, nulla eſt, nullámque parit obligationem ; curent Epiſcopi ne Nouitia vlla, ante illam

ætatem, & tempus ad profeſſionem admittatur: præfecta autem Monaſterio triginta ante diebus Epiſcopo ſignificet, quo tempore Nouitia profeſſura ſit; vt vel ipſe, vel, ſi is abeſt, impeditúrve, alius, cui ille id negotij dederit, Nouitiæ voluntatem cognoſcat, perſpiciátque an ejuſmodi conditionibus ſit, quas Monaſterij illius, & Ordinis regula poſtulat, an item Monaſterium idoneum: ei denique demonſtret quàm grauis ea res ſit, quámve multas res tria illa Religionis vota requirant: vt ea antequam ad profeſſionem recipiatur, vinculi vim intelligat quo ſe obſtringi vult. Si præfecta id facere neglexerit, ejuſdem Tridentini Concilij decreto ab ejus officio tamdiu amoueatur, quamdiu Epiſcopo videbitur.

ARTICVLVS XXXV.

NVLLI Seculares, aut Regulares, cujuſcunque exemptionis prætextu, ad excipiendas Monialium confeſſiones, tam ordinariè, quàm extraordinariè admitti poterunt; niſi ſpecialiter ad hunc effectum committantur, & approbentur ab Epiſcopis diœceſanis: quæ commiſſio, & approbatio gratis ipſis tribuetur. Et, ſi accidat, vt Confeſſarij ſuo munere non ritè fungantur, Epiſcopi Superiores monebunt, vt illos ab hoc officio amoueant: ſi verò ipſi non obedierint, propriâ eos auctoritate, amouere poterunt.

Commentarius ad Articulum trigeſimum-quintum.

CONCILIVM Trident. ſeſſ. 25. de Regularibus, cap. 10. curam confeſſionis Monialium etiam exemptarum Epiſcopis tribuit. Idem quoque ibidem præcipit, vt *præter ordinarium Confeſſorem, alius extraordinarius ab Epiſcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium*

Digitized by Google

Confeſſiones audire debeat. Concilium Rothomagenſe ann. 1581. tit. *de Monaſteriis*, num. 30. *Non deputentur Monialibus Confeſſarij, atque aliorum Sacramentorum, & Officij diuini Miniſtri; niſi de Epiſcopi conſenſu, & præuio examine per eum, aut etiam Vicarium faciendo: & præter ordinarium Confeſſorem, alius extraordinarius ab Epiſcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat.* Concilium Bituricenſe ann. 1584. tit. 37. *de Monaſteriis, & domibus Religioſis*, can. 28. *Confeſſores Monialium ante quàm ad ſuum munus admittantur ab Epiſcopis examinentur, & præter Confeſſores ordinarios ab iiſdem alij Confeſſores extraordinarij ſeligantur, qui ſingulis annis bis, aut ter earum Confeſſiones audiant.* Concilium Burdigalenſe ann. 1624. cap. 19. de Monialibus, num. 5. Gregorij XV. Conſtitutionem quæ mox proferetur in Concilio recipit, & promulgat.

Gregorius autem XV. Bulla *Inſcrutabili*, edita ann. 1621. quæ eſt 18. Conſtitutionum ipſius, §. 5. circa Confeſſores Monialium hæc ſtatuit: *Confeſſores verò Regulares, ſiue Seculares quomodocunque exempti, tam ordinarij, quàm extraordinarij ad confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant; niſi priùs ab Epiſcopo diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & adminiſtrantes bona ad ejuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus ſubjectarum, pertinentia, ſiue Regulares extiterint, ſiue Seculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur; ad ídque juris remediis cogi, & compelli queant: liceátque Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, vt ejuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoueant; iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amouendi, quoties, & quando opus eſſe judicauerit. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus, vnà cum Superioribus regularibus quarumcunque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorundem Monaſteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe,*

Digitized by Google

eſſe, ac præſidere, abſque vlla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa.

Controuerſiæ autem circa hunc articulum, ſicut & circã plures alios motæ fuerunt à Regularibus, quarum deciſiones à Congregatione Cardinalium Concilij Trident. interpretum factæ, tam à Gregorio XV. quàm ab ejus poſtea ſucceſſore Vrbano VIII. approbatæ ſunt. Prima fuit, *An facultas Epiſcopis per Conſtitutionem attributa in exemptos tam Seculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in perſonas nullius diœceſis.* Ad quam negatiuè reſponſum eſt; ſcilicet, *non eſſe tributam.* Altera, *An Confeſſores Monialium ante editam Conſtitutionem deputati, debeant ab Epiſcopo examinari, & approbari.* Reſponditque ſacra Congregatio, *Confeſſores quidem extraordinarios Monialium nullatenus poſſe poſt Conſtitutionem illarum confeſſiones audire, niſi priùs ab Epiſcopo diœceſano idonei judicentur, & approbentur; Ordinarios verò Confeſſores ante Conſtitutionis publicationem deputatos poſſe durante triennio ab eorum deputatione inchoando pergere in confeſſionibus Sanctimonialium audiendis abſque alio examine, & approbatione Epiſcopi. Quòd ſi contingat, vt illorum facultas à Sede Apoſtolica vltra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Epiſcopo examinari, & approbari.* Tertia, *An Superiores regulares ſimiliter ante ipſius Conſtitutionis publicationem electi, ſeu deputati, aliâ indigeant Epiſcopi approbatione pro confeſſionibus Sanctimonialium ſibi ſubjectarum audiendis.* Reſponſum eſt, *Superiores regulares electos, ſeu deputatos ante ipſius Conſtitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, poſſe durante eorum officio pergere ſine alia Epiſcopi approbatione in confeſſionibus audiendis illarum tantùm, quæ ſponte, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos qui poſt Conſtitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, ſeu dignitatibus expleto jam tempore à Conſtitutionibus cujuſcunque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam poſſe Sanctimonialium confeſſiones audire, niſi priùs à diœceſano Epiſcopo idonei judicati, atque approbati fuerint.* Quarta, *An confeſſiones quas audiunt Superiores regulares electi, ſeu deputati,*

Digitized by Google

vel confirmati, poſt publicationem, & ſcientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtentâ Epiſcopi approbatione, ſint nullæ, atque irritæ, nec ne. Reſponſum eſt, *Confeſſiones hujuſmodi nullas, atque irritas eſſe.* Quinta, *An Confeſſores regulares extraordinarij ſemel ab Epiſcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium confeſſiones pro vna vice infra annum ad præſcriptum ſacri Concilij Trident. poſſint virtute dictæ approbationis pluries, tanquam Confeſſores extraordinarij, earundem confeſſiones audire abſque noua Epiſcopi licentia.* Reſponſum eſt, *Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro vna vice audiendas, haud poſſe pluries in vim approbationis ejuſmodi illarum confeſſiones audire; ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.* Vltima denique, *Cùm in eadem Conſtitutione ſtatutum ſit, vt liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, vt amoueant Confeſſores Monialium, atque Adminiſtratores bonorum ad earundem Monialium Monaſteria pertinentium, iiſque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amouendi, quoties, & quando opus eſſe judicauerit; an ejuſmodi cauſam Epiſcopus Superioribus regularibus ſignificare teneatur.* Reſponſum eſt, *non teneri ejuſmodi cauſam ſignificare Superioribus Regularibus; ſed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Epiſcoporum, quorum conſcientiam ſacra Congregatio ſeriò onerauit, ne facultate ſibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in diſtricto Dei judicio rationem reddituri.*

Diù ante hanc Conſtitutionem in vſu Italiæ fuiſſe, vt etiam Confeſſores Monialium exemptarum ab Epiſcopis probarentur, patet ex Concil. Mediolan. 5. tit. *Quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent: In iis,* inquit, *quæ ad Sacerdotes pro ſacræ confeſsionis miniſterio, vel examinandos, vel probandos pertinent, ne Prælatus etiam Regularis, & exemptus ſe in aliena diœceſi vllo modo ingerat; ſed eam omnem illos examinandi, probandíque curam Epiſcopo diœceſano planè relinquat.* Item ex Concilio ſexto ejuſdem Prouinciæ, eodem titulo: *Ne in Monaſteriis quidem, & locis, vbi Regulares ſpiritualem, temporalémque juriſdictionem habent, quiſquam Sacerdos,*

Digitized by Google

etiam Regularis, & exemptus confeſsiones audiat, niſi primùm ab Epiſcopo, intra cujus diœceſis fines ea Monaſteria, locáve ſunt ad id probatus fuerit. Quòd ſi alicubi ante hanc Conſtitutionem contraria erat conſuetudo, ipſam tamen editam ſtatim amplexata eſt Italia tota. Sic, verbi gratia, Synodus Mediolanenſis 33. ſub Federico Cardinali Borromæo, cap.3. §. *Et ad tollendos* ejus meminit: *Apoſtolicæ nuper Conſtitutionis, qua nimirum jubentur Confeſſarij Regulares, cùm ad ſubjectarum ſibi Monialium confeſsiones audiendas deputantur, ab Ordinario ſpeciali in ipſum examine ante approbari, quàm alias ex conceſſa facultate confeſſiones illi ſecularium audierint* &c. Recens eſt Conſtitutio Synodi Maceratenſis, habitæ anno 1561. quæ teſtis hodiernæ praxis Italicæ eſſe poteſt idonea, cap. 12. *de Monialibus*, num. 4. *Vnus ſit omnium Confeſſarius à nobis approbatus, nec vlla ex Monialibus alteri ſine ſpeciali noſtra facultate confiteatur.*

Porro ex approbandi poteſtate Epiſcopis conceſſa, ſequitur & reprobandi eos qui ſe indignos produnt, conceſſam ipſis facultatem, vt docuimus ad art. 6. & expreſsè in caſu præſenti definiuit Gregorius XV. & interpretati ſunt DD. Cardinales.

Atque ita reſtituuntur antiqua decreta, quæ religioſis feminis Preſbyteros præponendos ab Epiſcopo deputandos, & aſſignandos decernunt, puta Concilij Carthaginenſis 4. c. 97. refertur cauſa 18. quæſt. 2. c. 11. *Qui religioſis feminis præponendus eſt ab Epiſcopo loci comprobetur.* Et Hiſpalenſis 2. c. 11. *Tunc ſalubria* CHRISTO *dicatis Virginibus præbemus, quando eis Patres ſpirituales eligimus.*

ARTICVLVS XXXVI.

OMNES Monialium famuli cujuſcunque ſexus, quantumcunque intra Monaſteria commorantes, ſi extra loca regularia verſentur, ſuis Parochiis addicti ſunt, æquè ac ceteri vici incolæ; niſi

Digitized by Google

Monaſterium ſpeciali priuilegio gaudeat. Famulæ verò ſeculares intra Monaſteria degentes, vel puellæ, quæ in Monaſteriis inſtruuntur, vel exercentur, clauſuram inuiolatam ſeruare tenebuntur.

Commentarius ad Articulum trigeſimum-ſextum.

DVÆ ſunt hujus articuli partes. Prima eſt de exterioribus famulis, & domeſticis, in Monaſteriis, ſed extra clauſtra degentibus: Altera de iis quæ intra clauſtra verſantur.

Priores Parochiis ſuis jure communi obligari, &, ſecluſo ſpeciali priuilegio, addici probatur. 1°. ex cap. *Per exemptionem, de priuilegiis*, in 6. *Per exemptionem*, inquit Bonifacius, *Eccleſiæ conceſſam, ipſa Eccleſia, & ipſius Monachi, vel Canonici, Clerici etiam, & conuerſi, perpetuóque oblati (non autem Eccleſiæ ejuſdem Presbyter, qui Parochianorum curam habet, quoad ea quæ ad curam eandem pertinent, nec ipſi Parochiani etiam) intelliguntur exempti. Verùm ſi Canonici alicujus Eccleſiæ eximantur, ipſi ſoli Canonici, non autem Eccleſia, vel alij ejus Clerici ſunt exempti. Si autem Clerici cujuſuis Eccleſiæ eximantur, tunc tam Canonici, quàm alij Clerici eximuntur, non tamen Eccleſia, niſi aliud in exemptionis priuilegio exprimatur.*

Probatur item ex capite *Priuilegium, de verborum ſignificatione*, in 6. cujus capitis eadem eſt ratio, quæ prioris; nimirum, vt cùm priuilegium ſit ſtricti juris, generali exemptione Monaſterio conceſsâ non intelligantur vllæ aliæ perſonæ, præter eas ſine quibus exemptionis priuilegium intelligi non poteſt. At verò rectè intelligitur priuilegium exemptionis Monaſterij, licèt famuli, ſeu familiares extra ſepta degentes, ejus participes non fuerint; proindéque in hoc caſu non valet illud quod ex lege *adminiſtrationem* in principio. ff. *de excuſatione tutorum* infert Bartolus ibidem, priuilegium alicui conceſſum extendi etiam ad Miniſtros ſuos, quibus ipſe indiget: quod intelligitur tantùm de priuilegiis quæ in perſonam priuilegiatam reſiliunt, qualis caſus habetur cap. *Licèt de priuilegiis*. §. *Cùm conceditur*,

Digitized by Google

in 6. vbi hæc leges: *Cùm conceditur ſingulari perſonæ, vt modo præmiſſo tempore interdicti celebrare valeat, vel audire diuina, ejus familiares domeſtici ad audiendum cum ea, & celebrandum ſibi diuinum Officium licitè admittuntur. Non ſic autem in familiaribus alicujus conuentus, ſeu Collegij eſt cenſendum. Illi enim, niſi priuilegiati fuerint, admitti non debent.* Rationem diuerſitatis aſſignat Gloſſa, verbo *non debent*, in citatum, cap. *Licèt: quia in primo caſu aliàs priuilegium eſſe poſſet inutile: quod eſſe non debet. Sed in hoc ſecundo caſu conuentus poteſt ſine familiaribus per ſe celebrare Diuina, & ideo priuilegium eſt reſtringendum.*

Alia diſparitas elucet, quia cùm externi Monaſterij famuli à Monialibus muris diuiſi ſint; nihil officit Monialibus, quòd ij ad Eccleſiam Parochialem ſpectent, aut ad Eccleſiam Monaſterij. At verò turbatur dominus, ſi cùm poſſit in ſua domo Miſſam audire, familiam à ſe eo tempore debeat amouere, nec ſimul cum domino ipſa Miſſam audire queat. Quamobrem Clementina, *Religioſi, de priuilegiis* vbi indicitur pœna *Religioſis qui Clericis, aut Laïcis Sacramentum extremæ vnctionis, vel Euchariſtiæ miniſtrare* præſumunt, *aut matrimonium ſolenniſare, non habita ſuper his Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali*, &c. Exceptio poſtea hæc adhibetur. §. vltimo, *Sanè Religioſis illis, quibus eſt ab Apoſtolica Sede conceſſum, vt familiaribus ſuis domeſticis, aut pauperibus in Hoſpitalibus ſuis degentibus Sacramenta poſſint Eccleſiaſtica miniſtrare, nullum ex præmiſſis volumus, quoad hoc, præjudicium generari:* Cujus Conſtitutionis priora verba regulam generalem confirmant, quòd famuli intra Monaſterium, ſed extra loca Regularia manentes, à Religioſis Monaſterij Sacramenta Parochialia ſuſcipere non poſſint, ſed tantùm à Parochis. Aduersùs quam legem generalem excipiuntur Religioſi illi, quibus eſt ab Apoſtolica Sede conceſſum, vt familiaribus ſuis domeſticis, ſeu pauperibus in Xenodochiis Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrare poſſint: quibus virtute iſtius priuilegij id licet, modò adſint omnes conditiones priuilegij veri, quas inter neceſſaria præſertim Eccleſiæ vtilitas.

Digitized by Google

Nec ſingulare iſtud in fauorem Hoſpitalium, ſeu Xenodochiorum priuilegium eſt, quòd etiam Monaſteriis aliquando conceſſum fertur. Nam dicitur Alexander IV. Fratribus Carmelitarum facultatem miniſtrandi Sacramenta Eccleſiaſtica familiaribus ſuis, eíſque tradendi Eccleſiaſticam ſepulturam poſtquam obierint, conceſſiſſe. Gregorius XI. Fratribus Prædicatoribus, & Clemens IV. Fratribus Minoribus idipſum indulſerunt, ſi credas monumentis Ordinum. Idem narratur Benedictinis de Obſeruantia conceſſum à Nicolao Franco Apoſtolicæ Sedis Nuntio, & Oratore, cùm poteſtate Legati à latere deputato in regnis Caſtellæ, & Legionis, & Arragoniæ, vt ſi qui intra ſepta Monaſteriorum infirmati fuerint, extremam vnctionem ipſis Monachi dare poſſint Apoſtolicâ auctoritate, Parochialis Preſbyteri, vel alterius cujuſcunque Epiſcopi, vel Superioris licentiâ, aut aſſenſu nullatenus requiſitis. Poſtremum illud priuilegium mihi valde ſuſpectum eſt propter plurima. Suppono tamen illud conceſſum, & quidem validè, ac fixum, ratúmque fuiſſe; tamen ipſo etiam ſtante, nequaquam Epiſcopi conſenſum excluſum iri docet cap. 11. Concilij Trident. de reform. ſeſſ. 24. *Quoniam priuilegia, & exemptiones quæ variis titulis pleriſque conceduntur, hodie perturbationem in Epiſcoporum juriſdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur; decernit ſancta Synodus, vt, ſi quando ...... placuerit, necnon alios cuicunque Monaſterio oblatos, vel quomodocunque addictos, aut ſub nomine ſeruientium Militiis, ſeu Monaſteriis, Hoſpitalibus, Collegiis, aut quocunque alio titulo aſſumi, nihil ex iis priuilegiis detractum eſſe Ordinariis intelligatur, quominus ij quibus ea jam conceſſa ſunt, vel impoſterum concedi contigerit, ipſis Ordinariis tanquam Sedis Apoſt. delegatis plenè in omnibus ſubjecti exiſtant: exceptis tamen iis, qui prædictis locis, aut Militiis actu ſeruiunt, & intra eorum ſepta, ac domos reſident, ſúbque eorum obedientia viuunt, ſiue iis, qui legitimè, & ſecundùm Regulam earumdem Militiarum profeſſionem fecerint, de qua Ordinario conſtare debeat: non obſtantibus priuilegiis quibuſcunque, etiam Religionis S. Ioannis Hieroſolymitani, & aliarum Militiarum.*

Digitized by Google

Alterâ parte ſtatuitur puellas, quæ intra ſepta Monaſterij Monialium verſantur, clauſuram ſeruare debere, & Confeſſario Monaſterij, vel alij cui Epiſcopus hoc munus commiſerit, quoad Sacramenta præſertim Confeſſionis ſubditas eſſe. Et hoc præcipiunt Concilium primum Prouinciale Mediol. ſub S. Carolo Conſtitutionum parte 3. tit. *de puellis ad Religionem admittendis.* Cremonenſe primum Diœceſanum tit. *quæ ad Moniales pertinent.* §. *Si qua puella,* & alia paſsim.

ARTICVLVS XXXVII.

SI contingat peruerſus aliquis vſus in adminiſtratione temporalis reditus Monialium etiam exemptarum; vbi commonefactus fuerit loci Ordinarius, ſeu vbi ad eum delata fuerit querimonia; rationes ſibi exhiberi curabit, & eas examinabit, aduocato ſecum Monialium Præfecto, & tam ipſæ Religioſæ, quàm rerum ipſarum curatores, vi juris ad reddendas rationes compellentur. Et ſi agnoſcat Epiſcopus adminiſtratores bonorum Monaſterij incapaces eſſe, aut minùs fideles; poſtquam Superiores monuerit vt alios ſubſtituant; ſi obtemperare renuant, vel negligant, propriâ auctoritate alios ipſe ſubrogabit.

Commentarius ad Articulum trigeſimum-ſeptimum.

VETVS Monaſteriorum lex erat, vt adminiſtratio rerum Monaſterij penes Epiſcopum eſſet: ita vt nihil vendere, alienare & obligare abſque permiſſu, & ſubſcriptione Epiſcopi, Abbatibus, Preſbyteris, aut Monachis liceret: ex Concilio Agathenſi c. 56. Epaonenenſi c. 8. Aurelianenſi 3.

c. 23. Aurelianenſi 4. c. 11. Nicæno 2. c. 12. Capitularium Caroli Magni, cap. 275. Iſidoro Hiſpalenſi in Regula Monachorum, cap. 5.

Sed Eccleſiaſticâ diſciplinâ ſenſim imminutâ, priuilegium obtinuerunt Monachi, & Moniales, vt ab Epiſcoporum poteſtate, quoad temporalium adminiſtrationem immunes eſſent; cujus priuilegij meminit S. Gregorius lib. 6. indict. 15. epiſt. 12. Reſpectæ Abbatiſſæ Maſſilienſi: *In rebus autem, vel in diſpoſitione Monaſterij ejuſdem, nec Epiſcopum, neque Eccleſiaſticorum quempiam aliquam habere decernimus poteſtatem: ſed hæc ad ſollicitudinis tuæ, vel quæ poſt te in eodem loco fuerit Abbatiſſa, curam ſtatuimus per omnia pertinere.* Idem Gregorius in Concilio Lateran. hoc priuilegium Monaſteriis omnibus videtur conceſſiſſe, *pro quiete, ac libertate Monaſteriorum*, vt refertur in Conciliis inter decreta Gregorij I. & apud Gratianum 18. quæſt. 2. c. *Quàm ſit neceſſarium.* Quod decretum *omnibus Epiſcopis* à Gratiano inſcriptum dicitur; apud Gregorium autem Mariniano Epiſcopo Rauennati videtur directum lib. 7. indict. 1. epiſt. 18. vbi inter cetera hæc habentur: *Interdicimus igitur, vt nullus Epiſcoporum, aut ſecularium vltrà audeat de reditibus, vel de rebus, vel chartis prædicti Monaſterij, vel de loco aliquo, qui ad id pertinet, quocunque modo, qualibet occaſione minuere, nec immiſſiones doloſas aliquas facere.* Adeo verò frequentatum hoc priuilegium legimus, vt in formulam abierit. Nam lib. 1. formularum Marculfi cap. 1. priuilegij quod Monaſteriis ab Epiſcopis dari conſueuerat, hanc formulam fuiſſe innoteſcit: *Nullam penitus aliam poteſtatem Epiſcopus in Monaſterio, neque in rebus, neque in ordinandis perſonis, neque in villabus ibidem jam conlatis, aut deinceps regio munere, aut priuatorum conlaturis, vel in reliqua ſubſtantia Monaſterij, nos ſucceſſoréſque noſtri Epiſcopi, aut Archidiaconi, ſeu ceteri Ordinatores, aut qualibet alia perſona prædictæ ciuitatis habere non præſumat: aut quodcunque de eodem Monaſterio, ſicut de Parochiis, aut ceteris Monaſteriis, muneris causâ, audeat ſperare, aut ferre: nec de hoc quod à Dominum timentibus hominibus tranſmiſſum, aut in altario offertum fuerit, aut in ſacris voluminibus, vel qui-*

buſcunque

Digitized by Google

buſcunque ſpeciebus ad ornatum diuini cultus pertinet, aut præſens conlata, vel deinceps conlatura fuerint offerre præſumat. Item cap. 2. in conceſſione Regis ad hoc priuilegium eadem immunitas ſtatuitur : *Vt nullus Epiſcoporum nec præſens, neque ſi fuerint ſucceſſores, ſeu Archidiaconi, vel eorum Ordinatores, vel qualibet perſona poſſit quocunque Ordine de loco ipſo offerre, aut aliquam poteſtatem ſibi in ipſo Monaſterio, præter id quod ſcriptum eſt, adaptare, vel aliquid per commutationis titulum minuere, aut de miniſterij ornamentis, vel de altari, vel de offertione in altario inlata abſtollere, nec ad ipſum Monaſterium, vel cellulas ejus, niſi tantùm pro lucranda oratione, illud ipſum ſi fuerit cum voluntate Abbatis, vel ejus Congregationis, abſque diſpendio eorum aliter accedere penitus non præſumat.* Hinc etiam lib. 2. cap. 1. apparet plerumque ſub ea conditione donationes Monaſteriis fieri ſolitas, *ea ſcilicet ratione, atque prætextu, vt remota Pontificum, ſimúlque Eccleſiaſticorum Officialium, ſeu publicorum omnium poteſtate,* &c.

Poſtea tamen neceſſarium viſum eſt, vt ademptâ quidem Epiſcopis poteſtate auferendi, alienandi, & diſtrahendi res Monaſteriorum, Epiſcopis tamen cura incumberet, ne res Monaſteriorum deperirent, quemadmodum conſtat ex Conſtitutione Bonifacij VIII. *Periculoſo, de ſtatu Regularium : Epiſcopis autem, & aliis Prælatis ſuperioribus, & inferioribus quibuſcunque injungimus, quòd & ipſi cauſas, ſeu negotia, quæ præfatæ Moniales habebunt, agere coram ipſis, aut in curiis eorundem, ſiue ſint homagia, fidelitatis ſacramenta, lites, vel quicquid aliud ipſæ per procuratores earum fieri faciant, & tractari.*

Hinc etiam ſtatutum in Concilio Viennenſi, Clementinâ, *Attendentes, de ſtatu Monachorum : Vt ſingula Monialium Monaſteria per Ordinarios, exempta videlicet, quæ ita Sedi Apoſtolicæ, vt nulli alij ſubjecta noſcuntur, Apoſtolica : non exempta verò ordinariâ auctoritate, ac exempta alia per alios quibus ſubſunt, annis ſingulis debeant viſitari.* Item in Tridentino ſeſſ. 25. cap. 9. *de Regularibus*, vt *Monaſteria Sanctimonialium ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta, etiam ſub nomine Capitulorum ſancti Petri, vel ſancti Ioannis, vel aliàs quomodocunque*

Digitized by Google

nuncupentur, ab Epiſcopis tanquam dictæ Sedis delegatis, gubernentur, non obſtantibus quibuſcunque: quæ verò à deputatis in Capitulis generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, ſub eorum cura, & cuſtodia relinquantur.

Expreſſius eſt quod addit Gregorius XV. Bullâ, *Inſcrutabili*, § 5. *Sed & adminiſtrantes bona ad Monaſteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus ſubjectarum, pertinentia, ſiue Regulares extiterint, ſiue Seculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur; ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceátque Epiſcopo, ex rationabili cauſa, Superiores regulares admonere, vt ejuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoueant: iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amouendi, quoties, & quando opus eſſe judicauerit.* Circa quod Decretum notatu digna eſt declaratio DD Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, in qua ſicut Confeſſores, ita & Adminiſtratores bonorum Monaſterij Monialium ex rationabili cauſa amouere Epiſcopis licere declaratur; quantumuis eam Superioribus regularibus minimè ſignificent: quemadmodum habetur in reſponſione ad dubium 12. in Bulla ſuperiori articulo relata ad quæſt. vltimam circa Confeſſores Monialium. Circa hæc autem Federicus Cardinalis Borromæus in Synodo diœceſana Mediolan. 31. cap. 34. *de Monialibus regularibus ſubjectis*, hæc ſtatuit: *Et quia Monialium diſciplina pendet etiam ex bono rerum ipſarum temporalium regimine, Sanctiſſ. propterea D. N. Gregorius XV. Apoſtolicâ ſuâ Conſtitutione Ordinariis locorum, non eam tantùm curam clauſuræ, & Confeſſariorum, & electionis Abbatiſſarum commiſit, ſed etiam voluit penès Ordinarios eoſdem eſſe auctoritatem, vt cognoſcerent ipſi, quàm integrè, & fideliter bona Monialium, annuique reditus adminiſtrarentur: jubétque idcirco Adminiſtratores quoſcunque, ſiue Seculares, ſiue Regulares ſint, ſingulis annis apud Epiſcopum, adhibitis etiam ſuper ea re Superioribus regularibus, de adminiſtratione profiteri, & accepti, expensíque rationes exhibere: vúltque poſſe ad id, ſi qui*

Digitized by Google

fortè abnuant, grauioribus remediis compelli, & cogi: & Epiſcopo permittit, vt liceat Superiores regularium admonere ab officio ſtatim abdicent Adminiſtratorem illum, qui ſua in adminiſtratione aut ſuſpectus, aut compertus ſit flagitij compos alicujus; quòd ſi deinde Superiores facere id recuſent, vel differant, tunc Epiſcopus ſuamet auctoritate Adminiſtratori illi jus omne adimat, neque poſtea facti rationem apud Superiores regulares defendere teneatur. Vniuerſum etenim iſtud negotium arbitrio, & prudentiæ ipſius relinqui, cujus conſcientia in ea parte oneretur. Hæc autem omnia ſine Monaſterij cujuſdam detrimento, aut impenſa fiant.

Nos itaque Apoſtolicam ſecuti Conſtitutionem decernimus, vt ſingulis quibuſque annis ſecunda, vel tertia, poſt Natalis Domini ferias hebdomada, Vicarius noſter generalis in Congregatione quæ de rebus Monialium eſt, ex voto Vicarij Monialium ejuſdémque Congregationis certos in eo numero viros deligat, qui maximè idonei communi judicio fuerint exiſtimati, quibus Monaſteria in vrbe, ſiue in diœceſi aſſignentur ad illorum adminiſtrationis rationes noſtro nomine cognoſcendas, vocatis ante ad ipſum Regularium Superioribus, ſi adeſſe cognitioni rationum voluerint: in rationibus ſubducendis, quidquid fraudis, aut culpæ, aut negligentiæ in Adminiſtratore aliquo fuerit, deferri deinde ad nos id totum volumus, vt ex facultate nobis conceſſa liceat in illos animaduertere; cùm Adminiſtratoribus, ſi contumaciter egerint aliqui, Vicarius noſter generalis, cenſuras, & pœnas alias expediet aduersùs eos, cogétque, vt adminiſtrationis vniuerſæ quicunque ſint, ad delegatum noſtrum rationes referant, quibus cognitio non ſubſcribetur, niſi de innocentia, & integritate Adminiſtratoris palam erit.

Quæ autem præſcripta adhuc ſunt, mandamus, vt illa eadem ſeruentur in delegandis Viſitatoribus, qui adminiſtratas facultates Monaſteriorum, quorum cura, & arbitrium noſtrum eſt, præuideant: eáque in parte cupimus Vicarium Monialium, ipſóſque Viſitatores quàm accuratiſſimos eſſe, & diligentiſſimos.

Breuiùs Maceratenſis Synodus, cap. 12. *de Monialibus*, num. 18. *Qui rem Monaſterij quomodolibet adminiſtrant, & curant, vt ſunt Aduocati, Procuratores, & ſimiles, cum ſola Abba-*

Digitized by Google

tiſſa, aut ab illa deputatis agant: hanc autem adminiſtrationem, ſeu curam nemo ſuſcipiat, niſi de noſtro conſenſu.

Singularis hac in re diſtinctio Monaſteriorum regalium, & Epiſcopalium Synodi Vernenſis ſub Pippino Rege, c. 20. *In alia Synodo nobis perdonaſtis, vt illa Monaſteria, vbi regulariter Monachi, vel Monachæ vixerunt, hoc quod eis de illis rebus dimittebatis, vnde viuere potuiſſent, exinde, ſi regalis erat ad dominum Regem faciant rationes Abbas, vel Abbatiſſa, & ſi Epiſcopalis, ad illum Epiſcopum, ſimiliter, & de illis vicis.*

ARTICVLVS XXXVIII. & vltimus.

CVM agetur de electione Superioris, ſeu Præfectæ quocunque nomine vocetur, in locis iis in quibus electio adhuc viget, ſiue ipſa exempta ſint, ſiue Epiſcopis ſubdita, neceſſum eſt Epiſcopum admoneri, vt ei adſiſtat, & præſideat, ſiue per ſe, ſiue per Vicarium ſuum, aut alium quem delegare voluerit, qui ad ea Monaſteria eo fine accedet, abſque eo tamen quod ipſi oneri ſit, vel grauamini.

Commentarius ad Articulum trigeſimum-octauum.

ABBATES, & Abbatiſſas ab Epiſcopis creari ſolere antiquus mos fuit: & in Monaſteriis non exemptis perſeuerauit, ſaltem quoad hoc, vt ſine Epiſcopi conſenſu minimè eligerentur. Concilium Nicænum 1. c. 73. inter Arabicos vetat Abbatem conſtitui, niſi de licentia Chorepiſcopi; accedunt Concilia Francofordienſe ſub Carolo, c. 17. Aquiſgranenſe 2. ſub Ludouico Pio, de vita, & doctrina inferiorum Ordinum, c. 1. & Moguntinum ſub Arnulfo, c. 25. Diù autem hic mos perſeuerauit, vt Abbatis electionem confirmaret Epiſcopus; quemadmodum leges apud Goffri-

Digitized by Google

dum Vindocinenſem libri 1. epiſt. 3. Abbatiſſæ quoque electio Epiſcopo curæ erat, vt patet ex Concilio Pariſienſi ſub Ludouico, & Lothario, cap. 23. Aquiſgranenſi 2. ſub Ludouico parte 4. cap. 9. Sed iis antiquioribus omiſſis recentiora profero circa Abbatiſſas, aliáſque Monialium præfectas quæ per electionem conſtituuntur. Tridentinum ſeſſ. 25. *de Regularibus*, cap. 7. Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præpoſita appelletur conditiones, & qualitates enumerans *Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente eam eligendam* præſcribit, obſerua hæc verba *Epiſcopo, vel alio Superiore,* quibus innuitur in Monaſteriis exemptis, ſub Regularium diſciplina electionem ex decreto Concilij Trident. ad Superiorem regularem pertinuiſſe; in aliis verò Monaſteriis ad Epiſcopum.

At verò Gregorius XV. in Bulla *Inſcrutabili*, pluries jam citata, hæc ſtatuit: *Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus vnà cum Superioribus regularibus, quarumcunque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorundem Monaſteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere; abſque vlla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa.*

Quam facultatem Epiſcopis conceſſam agnouit ſuperiori articulo citatus Federicus Cardinalis Borromęus Synodo 31. Mediolan. cap. 34. illúdque explicat præſertim his verbis: *Conceſſum quoque eſt Epiſcopis, vt facultate Apoſtolicâ per ſe, vel per quemcunque alium intereſſe poſſint, dum cujuſuis Monaſterij Abbatiſſæ, vel Miniſtræ aliæ creantur: nóſque iſtam etiam Paſtoralis curæ partem aliquam arbitrati, quando negotiis ipſi majoribus diſtineremur, non ſemel jam Vicario Monialium mandauimus, vt ejuſmodi electionibus ille intereſſet. Nunc non ſolùm Monialium ipſarum Vicario, ſed & generali noſtro mandamus, vt vterque, vel altero eorum impedito, alter ſemper adſit: quòd ſi fiat interdum, vt occupati pariter rebus aliis illi ſint, tunc rem nobis ſignificari volumus, qui, ſi ita viſum erit expedire, aliquem alium ei ſtatim muneri delegabimus. Qui autem delegatione ejuſmodi fungetur, quamcunque in partem ſub pœna indignationis noſtræ incurrenda nihil omnino, ſiue muneris, ſiue mercedis loco,*

Digitized by Google

aut etiam alimentorum, itinerisve cauſa, quamquam ſponte offeratur à Monialibus, recipiat: ad omnia enim, ex Apoſt. Conſtitut. decreto, Archiepiſcopus ipſemet ſumptum vniuerſum liberaliter ſuppeditabit.

Porro ſacra Congregatio Cardinalium Concilij Trident. interpretum conſulta, *An liceat Epiſcopo in vim Conſtitutionis ſanct. mem. Greg. XV. de Exemptorum priuilegiis, punire Regulares qui ad Abbatiſſæ electionem procedunt ante tempus ipſi Epiſcopo ſignificatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciatâ.* Approbante Vrbano VIII. reſpondit: *Regulares ex eadem Conſtitutione ita demum teneri Epiſcopo ſignificare diem electionis Abbatiſſæ, eúmque vſque ad præfinitum tempus expectare, ſi antea ipſe expreſſè declarauerit ſe vti velle facultate ſibi hac in parte attributa, Abbatiſſarúmque electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere; poſt eam verò declarationem licere Epiſcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus ſignificatum, aut die electionis eidem non prænunciatâ, ad Abbatiſſæ electionem procedunt.*

Circa hæc tamen conſiderationes aliquas addimus. Primam quidem non præjudicare hanc Conſtitutionem priuilegiis (ſi fortè vera ſint hæc priuilegia) quibus concedi videtur, vt Abbates, & Abbatiſſæ à propria Congregatione eligantur, nam de Abbatiſſis quoque loquitur ſanctus Gregorius lib. 6. indict. 15. epiſt. 12. Reſpectæ Abbatiſſæ Maſſilienſi. Immo nequidem Epiſcopis jus conceditur tali Conſtitutione confirmandi Abbatiſſas, ſaltem, vt reſpondit ſacra Congregatio Cardinalium ad interrogationem 5. factam, viuente adhuc Gregorio XV. cujus reſponſa tam ab ipſo Gregorio, quàm ab Vrbano VIII. poſtea probata ſunt; ſed conceditur tantùm ipſis electioni præeſſe, & pro ea leges etiam ferre, qualem, verbi gratia, tulit Synodus Maceratenſis ann. 1651. pro electione Abbatiſſarum, cap. 12. *de Monialibus*, §. 31. *Ad Abbatiſſam*, inquit, *eligendam debent ſaltem duæ tertiæ partes Capituli ſuis ſuffragiis accedere; alioquin electio ſit nulla, non obſtante quocunque vſu, & conſuetudine, ſeu lege in contrarium; ſic enim conſultiùs prouidetur quieti totius Monaſterij.*

Digitized by Google

Altera conſideratio eſt, Gallicanos Epiſcopos hanc Bullam ſufficienter recepiſſe. Primò quidem ſpecialiter, & expreſsè eam receperunt Burdegalenſis prouinciæ Antiſtites in Concilio Burdegalenſi, habito ab Eminentiſſimo Cardinale de Sourdis, cap. 19. *de Monialibus*, num. 5. tum generaliter Epiſcopi omnes Galliæ hoc árticulo vltimo Bullæ decretum exſcribentes in Comitiis generalibus Cleri Gallicani.

Tertia demum conſideratio eſt concedi Epiſcopis poteſtatem iſtam præſidendi electionibus, non ſolùm præfectarum Monaſteriis ſub Epiſcopi poteſtate conſtitutis, verumetiam exemptis, & ſub Regularium auctoritate, ac directione poſitis: cámque concedi tanquam Ordinariam, & non vt delegatam; quippe cùm non ſolùm, data eis ſit, vt præeſſe electionibus iſtis per ſe poſſint; verumetiam, vt per alios præeſſe queant, quos ipſis libuerit delegare.

Ceterùm ſtatutis circa diſciplinam Regularibus ſeruandam, in prædictos articulos digeſtam, atque ex Conciliis, & Summorum Pontificum Bullis collectam, vbi finem impoſuit Clerus Gallicanus, profitetur Epiſcopos, Vicarios generales, & Officiales regulas iſtas à ſe præſcriptas tueri poſſe, & debere, etiam pœnali judicio; quod vnicuique Legiſlatori proprium eſt; ita tamen vt moderationem à Superioribus ſuis ſtatutam, ipſi obſeruent: quam non dubitamus eſſe Antiſtitum Gallicanorum mentem, de quorum poteſtate coercitiua hac in parte ad art. 31. copiosè ex profeſſo diſſeruimus.

De iis verò quæ ibidem adduntur: hac præſenti declaratione non comprehendi Eccleſias cathedrales, collegiatas, aliáſve ab iis dependentes, hoc paci datum eſt, & concordiæ inter vtrumque Ordinem fouendæ.

Quæcunque autem à nobis circa præſentes ordinationes ſcripta ſunt, noſtra eſſe profitemur; itaut nec tenuitatem ingenij noſtri præjudicium Conſtitutionibus totius Cleri Gallicani inferre velimus, ſi mentem ipſius non rectè interpretati fuerimus: nec næuos noſtros, aut errores ipſi tri-

Digitized by Google

bui velimus, ſed id totum quod erratum fuerit, nobis tribuendum eſſe cenſeamus; ita tamen vt ab vnoquoque enixè flagitemus quatenus credat nos ad emendationem paratiſſimos eſſe, & hanc ſinceram, atque ex animo prodeuntem proteſtationem noſtram accipiat, ſubjicere nos ea omnia quæ ſcripſimus iiſce in Commentaris, vel hactenus ſcripturi ſumus, tum Cleri ipſius Gallicani, & Romanæ Sedis, tum demum Eccleſiæ totius judicio, & animaduerſioni.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ed by Google

